Fwd Heyse
Berlin 1836 März.

IERVSALEM, VETVSTISSIMA ILLA ET CELEBERRIMA TOTIVS MVNDI CIVITAS, EX SACRIS LITERIS ET APPRObatis Historicis ad unguem descripta:

VNA CVM ORTHODOXIS FIGVRAE *ac ueritatis explicationibus, iuxta Scripturarum Veteris ac Noui Testamenti accuratam collationem.*

AC QVAENAM HVIVS VRBIS, TEMPLIque, & omnium aliorum, tam intra quàm extra mœnia locorum atque gestorum mystica sit repræsentatio.

QVID ETIAM PEREGRINA PROPRIA NOMINA, *in tota paßim Historia commemorata, significent atq; denotent.*

QVAE ADAMVS REISNERVS MAGNO PRImùm labore Germanica lingua delineata edidit: nunc autem Latinè omnia perscripta, ac fusius plerisq; in locis, ueterum Ecclesiasticorum Scriptorum testimonijs adhibitis, tractata, & in septem libros digesta sunt.

PER IOHANNEM HEYDENVM *Eyflandrum Dunensem.*



FRANCOFVRTI, CVM GRATIA ET Priuilegio Cæsareo atq; Regio.
M. D. LXIII.

IOHANNES POSTHIVS GERMERSHEMIVS POETA, CANdido Lectori.

Quæ Solymæ facies Urbis, quantiq; paratus,
Quæ fuerint arces, mœnia, templa, uiæ:
Quos dederit populo diuina potentia Reges,
Tum quos uatidico iusserit ore loqui:
Quicquid & est illic unquam memorabile gestum,
De regno in primis, Maxime Christe, tuo:
Hic docet & scripto liber, appositisq; figuris,
Cui similem uidit non prius ulla dies.

ILLVSTRI ET GENEROSO VIRO IOHANNI IACOBO FVGGERO, KIRCHPERGÆ ET VVEISSENHORNI Domino, uiro pietate, ſapientia & eruditione amplißimo,

S. P.



DOMINORVM ille Dominus, et Regum Rex, cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra, Chriſtus Ieſus, Fuggere generoſe, tertiodecimo apud Matthæum capite hæc ſuis Diſcipulis, poſt apertas nonnullas inuolutas parabolas, feciſſe uerba narratur: Omnis Scriba uel literatus, in cęleſti regno edoctus, ſimilis eſt Patrifamiliâs, qui è theſauro ſuo (&) noua depromit & uetera: Vbi nequaquã talis notatur Scriba, quales Iudaici fuere, de quibus Eſa. 29. dicitur, eos obſignatum cæleſtium uiſionum librum nec aperire nec legere poſſe. Et Ieremiæ 8. Quomodo poteſtis dicere? Nos ſumus ſapiẽtes, & Domini lex penes nos eſt? Verè mendacium operatus eſt mẽdax Scribarum ſtylus. Confuſi ſunt ſapientes, perterriti et capti, qui cũ Domini uerbum reprobârint, quæ ergo illis ſapientia reliqua eſſe poterit? Item Matthæi 15. Sinite Scribas iſtos & Phariſæos, duces ſunt cæci cæcorum. Ac 2. Cor. 3. Ad hunc uſq; diem dum legitur Moſes, uelamen impoſitum eſt eorum cordi. Hos Epiphanius ſic delineat: Scribę legis expoſitores atq; Doctores præ cęteris exiſtimari uolebant, legem uelut Grammaticam ſcientiam exponentes, eiusq; ſuperuacaneam quandam atq; Sophiſticam introducẽtes explanationẽ. Similiter ferè Origenes in Matthæum: Scribæ, inquit, inde dicti, quòd nudæ ſcriptæ atq; mortuæ literæ, cõtempto ſpiritu uiuificante, mordicus inhærerent. Ac rurſus: Scribæ appellantur,

qui aliud nihil in ſcripturis poſitum exiſtimant, quàm ſimplex ſcripturæ ſermo demonſtrat, & præterea eos quoque contemnunt,qui altitudinem aut ſpiritualem ſcrutantur intelligentiam. Sed eum Dominus citato loco edoctum uocat Scribam, cui ipſe ad ſe conuocato,inq; cœleſtis ſui regni ſcholam aſſumpto, ſeptena occluſi libri ſigilla reſignauit,ſenſusq; ad intelligenda diuina myſteria aperuit,& nebuloſum detexuit uelamen: ut non ſaltem Grammaticum diuinarum literarum ſenſum & hiſtoricam propoſiti textus enarrare ueritatem norit: ſed & quę ſpiritualia ſunt,ſpiritualibus comparare, literam occidētem à uiuificante ſpiritu diſcernere,umbras adhibita corporis face diſcutere,uetus Teſtamentum cum nouo conciliare, deniq; omnia,iuxta fidei analogiam,ad Dei gloriã, ad cognitionis Chriſti illuſtrationẽ & Eccleſiæ ædificationem dirigere ualeat.Huiuſmodi Scribam fuiſſe Eſdram apparet,qui non ſolũ ſacra monumenta,partim igni cremata,partim mendis ſcatentia, eiuſdem ſpiritus inſtinctu,quo dictante prius excepta fuerant,poſtliminio reſtituit atq; emendauit: ſed & populo prælegens,ita interpretatus eſt,ut ad eorũ præſcriptum corruptos deprauatosq; Reip. mores reformandos atq; corrigendos ſuaderet: Paſchatis etiam figuram in hunc declaraſſe modum apud LXX. legitur. Paſcha Saluator noſter eſt,quem habemus humiliare in ligno, & poſthæc in eum ſperabimus. Quæq; lex & Prophetę obſcurius tum de Ieſu nominibus,tum duobus eius aduentibus, humili nempe & glorioſo, ſub aliorum appellationibus, figurarumq; inuolucris adumbrant, ea ille lib. 4. cap. 7. expreſsis nominatim uerbis dilucidat: Dominus, inquiens, ita mihi dixit: Reuelabitur Filius meus Ieſus cum ſuis comitibus,& lętabuntur qui reliqui fuerint annis quadringentis, poſt eos annos morietur Filius

lius meus Chriſtus, & omnes ſpiritu pręditi homines, & conuertetur ſeculum in antiquũ ſilentium diebus ſeptẽ, ſicut in prioribus iudicijs, ita, ut nemo relinquatur. Peractis autem ſeptem diebus, excitabitur quod nondum uigilat ſeculum, & morietur corruptum. ter raq́; reddet quæ in ea dormient, & puluis qui in eo ſilentio habitabunt, & cellæ depoſitas apud ſe reddent animas, & reuelabitur ſupremus pro tribunali, præteritisq́; miſerijs congregabitur pacientia. Ius autem ſolùm remanebit, ueritas ſtabit, fides conualeſcet, premium ſubſequetur, merces exhibebitur, uigilabunt iuſtitiæ, & iniuſtitiæ non amplius dominabuntur. Hæc cũ tam perſpicuè deſcribat Eſdras, meritò Scriba uelox & intelligens denominatur. Talesq́; multos in Corinthijs exiſtere poſſe Scribas Apoſtolus optat, qui ſcilicet prophetent, & diuina ſcripta ad Eccleſiæ ædificationem, conſolationemq́; & cohortationem, rectè interpretentur. Et ad Romanos ait: Vt qui prophetiæ, hoc eſt, Scripturas interpretandi gratia præditus ſit, ea iuxta fidei analogiam utatur: Quomodo etiam ueteris Teſtamenti & figuræ & hiſtoriæ & prophetiæ ſint enucleãdę, idem in ſuis ſparſim inſinuat Epiſtolis, dum uerbi cauſſa ad Galatas illud de Abrahamo, duos habente filios, unum ex ancilla, alterum ex libera, per allegoriam ſcriptum eſſe, ac duo ſignare Teſtamenta, duosq́; populos, comprobat. Et ad Hebræos figuras Tabernaculi, ſacrificiorum, Sacerdotũ & Legis de Chriſto eiusq́ue corpore ſancta Eccleſia explicat. Tales, inquam, Scribas & Orthodoxi Eccleſiæ Doctores, Auguſtinus, Hieronymus, itemq́; alij, ſe profeſsi, quorum ſinguli pro data facultate, poſt explicatam in diuinis oraculis nudam literę, ut uocant, intelligentiam, ad indagãdas θεωρίας & ἀναγωγίας animos intenderũt. Hinc Auguſtinus Epiſtola III. de ſeipſo teſtatur, ſe ſuam quantu-

lamcunq;uitã,non dare ſegnitiei nec inertię,ſed in ſanctis ſcripturis,quantũ Dominus permittat et largiatur exercere, quò ijs explicandis & Eccleſiæ Doctoribus, & eorum auditoribus prodeſſe queat.Idem lib. de Ciuitate Dei,15.cap.27. aduerſus eos multis diſputat uerbis, qui uel ſolam ueteris Teſtamenti hiſtoriam recipiunt, ſine allegorica ſignificatione, ſed ſolas figuras defendũt, repudiata hiſtorica ueritate. Et libro de Geneſi ad literam, necnõ Codice quem de utilitate credendi ad Honoratum ſcriptum reliquit, hæc affert: Quatuor, à quibuſdam, modi Scripturæ exponendæ traduntur,ſecundum Hiſtoriam,ſecũdum Aetiologiam, ſecundum Allegoriam, & ſecundum Analogiam: Secundum Hiſtoriam traditur, cum docetur quid ſcriptum aut quid geſtum ſit, quid non geſtũ, ſed tantummodo ſcriptum quaſi geſtum ſit. Secundum Aetiologiam, cum oſtẽditur, quid qua de cauſa uel factum uel dictum ſit. Secundum allegoriã, quando docetur non ad literam eſſe accipienda quædam quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligẽda. Secundum Analogiam uerò, cum utriuſq; Teſtamenti congruentia indicatur. Ambroſius quoque lib.1. Officiorum cap.1. Scripturæ ſe & ſtudioſum & profeſſorem fatetur: Cum Deus dederit quoſdam, inquiens, Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios autem Paſtores et Doctores: Ego mihi non uindico Apoſtolorum gloriam, quis enim hoc, niſi quos ipſe Filius elegit Dei? Non Prophetarum gratiam, nõ uirtutem Euangeliſtarum, non paſtorum circunſpectionem, ſed tantummodo intentionem & diligentiam circa Scripturas diuinas, opto aſſequi, quam ultimam poſuit Apoſtolus inter officia ſanctorum, & hanc ipſam ut docẽdi ſtudio poſſim diſcere: Vnus enim uerus Magiſter eſt, qui ſolus nõ didicit quod omnes doceret: Homines autem diſcunt

prius

prius quàm doceant, et ab illo accipiunt quod tradant. Quantumlibet autem quisq; profecerit, nemo est qui doceri non egeat dum uiuit. Horum Patrum exemplo & hodie plerique Theologi Biblicos libros, præeunte sancti Spiritus inuocatione, omni euoluũt studio, quęque Domino secundo, in ijs se rectè percepisse confidunt, editis declarant scriptis, huiusmodi adferẽtes explicationes quæ primò textum propositum simpliciter enarrent, deinde recondita aperiant sacramenta, tum ad publicorum morum instructionem cũcta accommodent: & illud quidem non priuata interpretatione, sed aliorum Scripturæ locorum cõuenienti adhibita harmonia, prout fidei analogia exigit, & D. Petrus admonet, facere solent. In quibus certè non postremum obtinet locum intimus meus amicus, & in Hebraicis præceptor, D. Adamus Reisnerus, uir in pręcipuis illis tribus linguis (ut tu ipse Fuggere nosti) perquam exercitus & uerè pius: Is siquidem multis iam annis, præter ueteres Historias, sacras inprimis literas nocturna diurnaq́ue uersauit manu, ut inde uetustissimæ & celeberrimæ urbis Ierosolymæ historicam informare delineationem, cunctaq́; quæ inibi, siue diuinitus siue humanitus, unquã dicta, gesta, admissa sunt explicare, & figuras adhibita lucis ueritate illustrare posset. Ac confectum tandem aliquando suum opus plerisq; tum generosis tum doctis uiris examinãdum atq; iudicandum proposuit, qui id non tantum sua autoritate approbarunt, hominisq́; & in depingendis rebus antiquis felicitatem, & memorandis historijs peritiam, & conferendis Scripturis religionem admirati sunt, sed & magnopere ei auctores fuêre, ne huiusmodi opus diutius comprimat, sed primo quoq; tempore emanare sinat: Plurimã enim uel sacris addictis historijs, uel reconditorum mysteriorum studiosis allatu-

rum lucem ſimul ac utilitatem, Iudęis quoq;, ſi relictis ſuis erroribus Domino fortunante, ad exhibitum ſeſe Meſsiam conuertere uelint, multam in partem profuturum. Igitur ille ne talentum ſuum humi recondere, aut communi ſua dona profectui inuidere uideretur, præſertim ſenio iam cõfectus & proximus fato, quod nos omnes manet, parendum bene monentibus cenſuit, & Francofurtum ſuperiori proximo anno profectus, effictam tabula, deſcriptamq́; ſeorſim & explicatam Germanico libro de Ieroſolyma hiſtoriam, Georgio Coruino, ſolerti prorſus in ſua arte & ſedulo homini typis exprimendam commiſit. Cum uerò ego id temporis commodùm Coruini hoſpes eſſem, cœpit is cupidius mihi inſtare, ut idem argumentum, Reiſneri inſiſtens ueſtigijs, in exterorum præſertim & literatorum gratiam Latinè tractandum aſſumerem. Hic licet meam in ea re imbecillitatem, & quod doctis, nihil, niſi prorſus terſum perpolitum & uſquequaq; rotundum ſit, approbantibus, humili meo ac uix ſemipagano ſtylo, ſatisfacere nequirem, identidem prætendebam. Ille tamen contrà, & noſtræ me amicitiæ, cui nihil meritò denegare deberem, & publici commodi, cuius nomine quæuis quibuſlibet tentanda ſint, admonuit: hoc quoq; ſubijciens, uerè intelligentes & cordatos uiros in hac Theologica præſertim materia, non uerba, ſed rẽ ſpectaturos: quippe quos fugere non poſſit, ipſos tum Apoſtolos, tum ueteres Doctores res myſticas ſimplici perſecutos oratione. Euictus igitur frequenti hominis ſolicitatione, intercedentibusquoque aliorum uotis, diffuſum Reiſneri codicem, non quidem ad uerbum conuertendum, ſed conciſo quodam opere, ſummatim Latinis exprimendum tunc ſuſcepi. Ac informata quali quali Epitome, priuſquam eam ad incudem reuocarem, cœpi poſt ſacras literas Ioſephum,

phum, ueteresq́ue præcipuos Doctores consulere, & quæ uel ad propositam Historiam illustrandam, uel eiusdem interpretationem augendã pertinentia in manus ueniebant, suo singula loco, pro mei ipsius id temporis priuata exercitatione ascribere. Quod dũ facio, excrescit me imprudente Epitome supra Reisneri librum: quam quidem accretionem ego litura sublaturus fueram, nisi Typographus, itemq́; alij aliquot mei amici intercessissent, qui eam nec Reisneriano labori quicquam derogaturam, nec prorsus, ijs præcipuè, qui prolixis delectantur libris, ingratã fore censebant. Ordinem uerò toto meo opere eundem, quem & Reisnerus, obseruaui, eius quoq; sententias omnes ferè trãstuli, non multis omissis. Historiæ perpauca, quæ ille non habeat, adieci, nisi sicubi eandem rem, quam is Laconica sua breuitate breui complexus est, ego pluribus enarraui. In Templi & descriptione & explicatione ex professo longior sum: at quæ Reisnerus hic dedita omisit opera, proprio seorsim libro, breui, uti speramus, edendo, supplere decreuit. Ille in declarandis mysterijs sola Scripturæ collatione contentus fuit. quam rationem et Augustinus libro de Doctrina Christiana tutissimam esse dicit. Ego ueterum Doctorum sententias, pro priuatis meis studijs primò collectas, ut dudũ memini, Typographum ideo sparsim huic meo insere re scripto, permisi, ut æqui Lectores uiderẽt nulla nos noua uti scripturarum collatione, neq; quicquã dicere quod prius non sit dictum. Quòd uerò ad citata è diuinis Voluminibus testimonia attinet, in nulla certa translatione adhærescere semper potui, tũ quòd Reisneri uestigijs mihi insistẽdum esset, cuius quidem libri sententias ex Hebræi & Græci cõtextus archetypo in Germanicum cõuersas, ego Latinis summatim interpretandas suscepi: tum quòd in tanta Translatorũ ua-

rietate non possem non & ipse ea ex omnibus illis deligere, quæ in ueteri Testamento ad Hebraicum, in nouo ad Græcum authenticum contextum quàm proximè uiderentur accedere: id quod Orthodoxi scriptores non solùm fecerunt, sed etiam faciendum esse suadent. Sic enim Hieronymus Sumæ & Fretelæ scribit: Sicut in nouo Testamēto, si quādo apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria uarietas, recurrimus ad fontē Græci sermonis, quo nouum scriptum est Instrumētum: ita in ueteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosq; diuersitas est, ad Hebraicā recurrimus ueritatem: ut quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in riuulis. Et Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana: Latinę quidem linguæ homines quos nunc instruēdos suscepimus, duabus alijs ad scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationē attulerit Latinorum interpretum infinita uarietas. Idem eodem libro: Nanque aut ignotū uerbum facit hærere Lectorem, aut ignota locutio, quæ si ex alienis linguis ueniunt, aut quærenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut linguę eædem, si & otium est & ingenium ediscendę, aut plurium interpretum consulenda collatio. Ascribitur etiam Augustino Canon qui legitur in Decretis Canonicis, Distinct. 9. his uerbis: Vt ueterū librorum fides de Hebræis uoluminibus examinanda est, ita nouorum ueritas Græci sermonis normā desiderat. Hoc præterea dicendū, me in adducendis Scripturis Reisneri exēplo, ut breuitatis quoq; haberetur ratio, ea saltem posuisse, quæ ad propositū maximè facerēt, omissis sæpè aliquibus uerbis, quæ æquus Lector in Biblijs integra inueniet. Quia uerò in Hebræorū nominum appellatione magna sæpe & recōdita latent mysteria,

ut ea

ut ea rectè explicaremus, multum & operæ & chartæ ambo insumpsimus, nominati aliquoties Augustini uerbis adducti, quæ lib. 2. de Doctrina Christiana cap. ita leguntur: Aliquid ad similitudinē ualet, & proculdubio secretū quiddā insinuat Siloa piscina, ubi lauare faciem iussus est, cui oculos Dominus luto de sputo facto inunxerat, quod tamen nomen linguæ incognitę, nisi Euangelista interpretatus esset, tam magnus intellectus lateret. Sic etiam multa quę ab auctoribus eorundem librorum interpretata non sunt nomina Hebræa, nō est dubitandum habere non paruam uim atque adiutorium ad soluenda ęnigmata Scripturarum, si quis possit ea interpretari: quod nonnulli eiusdē linguæ periti non sanè paruum beneficium posteris contulerunt, qui separata de Scripturis eadē uerba omnia interpretati sunt, & quid sit Adam, quid Eua, quid Abraham, quid Moses, siue etiam locorū nomina, quid sit Ierusalem uel Siō, uel Iericho uel Sina, uel Libanus, uel Iordanis, uel quæcunq; alia in illa lingua sunt incognita nobis nomina, quib. apertis & interpretatis multæ in Scripturis figuratæ locutiones manifestantur: Hæc ille. Quod Historiæ ex sacris cōcinnatæ libris prophana Iosephi Iosippi, Gorionis, Egesippi, Aristęę, Hieronymi, aliorumq; ueterum Scriptorum testimonia passim inseruimus, nemini mirum uidebitur, qui perpendet, ex his ea nobis supplenda fuisse, quorum in Biblijs uel obscura uel nulla inferretur mentio, si modò integram omnium rerum descriptionē proferre uellemus. Quid uerò à me hic præstitum sit, sedentibus in Christiana Ecclesia æquis arbitris iudicandum offero. ego certè non alia mente (testis est mihi mea cōscientia) hunc laborem suscepi, quā ut omnibus prodessem) nemini fraudē facerem: at si imprudens uel contra nostræ fidei analogiam quid cōmisi, uel tot citan-

dis auctoribus alicubi describẽdo lapsus sum, aut Reisneriano exemplari non in omnibus satisfeci, admonitus cãdidè cuiuslibet uel minimi uitij retractationem spondeo. Meos Aristarchos hoc obtestor, quod D. Paulus Thessalonicenses his rogauit uerbis: Obsecro uos fratres, spiritum ne extinguatis, Prophetias (id est sacrę scripturæ explicationes uobis propositas) ne (temerè) aspernemini. Omnia probate, quod bonum fuerit tenete. Cæterum ut tibi, Fuggere illustris, hoc scriptum, ac quicquid hic est impensum operæ, consecrare uellem, adductus sum primò, quòd cognorim te & Historiarum ueterum & auitæ religionis, quæ coniunctim hic tractata inuenies, perquã studiosum esse. Deinde, quia optima spe ducar, cũ Reisneri Germanicam delineationem, ab eo tibi ante annos duos oblatã, non solum obuijs ulnis amplexus sis, sed & commendaris, te quoq; his nostris, ex ipsius Codice magnam partem translatis, uel infimum aliquem in frequentissima tua Bibliotheca locum cessurum. Adhæc confido, Momos uiso tui in ipso statim limine nominis augurio admonendos, ne quid temerè in his libris antè improbẽt, quàm sedulò probarint. Te ad extremum obnixè rogo, ut quæ defero, æqui boni facere, eaq́; unà cum suo auctore tibi cõmendata habere, &, cum uacabit, succisiuis saltem operis euoluere digneris. Gratia Domini nostri Iesu Christi te communi literatorũ emolumento diu conseruet incolumẽ. Vale & Salue. Datę Francofurti, ex Typographica Georgij Coruini officina, 13. Martij, Anno à Christi incarnatione, 1563.

Magnificentiæ T.

addictiss.

Iohan. Heydenus Eyflandrus Dunensis.

DE VRBIS SITV,

MVNITIONIBVS, AMBITV, NOminibus, multitudine Incolarum, primis Rectoribus: Item Gloria & Interitu.

LIBER PRIMVS.

EZECHIELIS 5.

Hæc est Ierusalem, Ego eam in medio Gentium posui, & in eius circuitu terras.

DE LOCO, SITV, SOLO, MVNITIONIBVS, ET AMbitu: Item de gloria, multitudine incolarum, ac interitu Vrbis.

LIBRI, I. CAP. I.



Vrbs antiqua Dei multis habitata colonis,
    Et quondam Solymæ nomen adepta ſacræ,
Cernitur hîc uiuis deſcripta coloribus, orbis
    Hæc olim medio climate iacta fuit.
Extitit in toto nil tam præſtabile mundo,
    Nunc reſtat nomen præter inane nihil.

HISTORIA.



VRBS Ieruſalem (cuius totum tractum ab initio terrenum Paradiſum fuiſſe, alibi ſatis abundè nos demonſtraſſe confidimus) ſita erat in medio Iudeæ, atq; adeò totius orbis climate, inſtar centri ſeu umbilici,

loco montibus facilè omnium altiſsimo, interiectis tamen uallibus, campisq́;: fontibus etiam & hortis longè iucundiſsimo atque fertiliſsimo: Quæ munitionibus, ædificijs, frequentia incolarũ, & omni gloria nulli unquam urbi ceſsit, legibus & ceremonijs, ab ipſo Deo datis, celeberrima: Apparitionibus autem, ſignis, prophetijs, Dei reſponſis, & felici omniũ rerum ſucceſſu, tum uerò præcipuè manifeſta Filij Dei DOMINI noſtri IESV CHRISTI in carne pręſentia, doctrina, miraculis, paſsione, morte, ſepultura, reſurrectione, aſcenſione in cœlos, miſsione Spiritus ſancti, & legatione atque prædicatione Apoſtolorum feliciſsima. At ob Principum atque populi ingratitudinẽ, peccata & eidolomaniam aliquoties miſerrimè deſtructa, tandẽ uerò, iuxta Dei decretum, iuſto iudicio euerſa, prorſus diruta, & ſolo æquata.

Vrbis ſitus

Quòd in medio Iudææ ſita fuerit, auctor eſt Ioſephus libro Bellorum 3. ita ſcribens: Media Iudęæ eſt Ieroſolyma, unde quidam nõ ſine ratione umbilicum eius terræ eam Vrbem uocauerunt. Idem Egeſippus teſtatur his uerbis: In medio Iudęæ ciuitas Ieroſolyma, quaſi umbilicus regionis totius, ut prudẽtibus placuit, nuncupatur, lib. 3. cap. 6.

Ieroſolyma orbis centrum.

Eam quoq; totius orbis centrum rectè à nobis dici ſacræ Literæ, ſubſcribentibus illis Eccleſię Doctoribus, atteſtantur. Apud Ezechielem enim DOMINVS ſic loquitur: Hæc eſt Ieruſalem, ego eam in medio gentium poſui, & in eius circuitu terras. Quem quidem locum D. Hieronymus in hunc interpretatur modũ: Ieruſalem in medio mundi ſitam, hic idem teſtatur Propheta, umbilicum terræ eam eſſe demonſtrans: A partibus enim Orientis cingitur plaga quę appellatur Aſia, à partibus Occidentis eius quæ uocatur Europa, à Meridie

ridie & Austro Libia & Aphrica, à Septentrione Scythis, Armenia atq; Perside, cunctisq; Ponti nationibus.

Cur uerò eam DOMINVS in medio orbis collocare uoluerit, Hieronymus ibidē huiusmodi caussam adfert: In medio, inquiens porrò, Gentium posita est, ut quia erat notus in Iudęa Deus, & in Israele magnū eius nomen, omnes in circuitu nationes illius sequerentur exempla. Apud adductum iam Prophetam, cap. 38. ea terræ umbilicus, interprete eodem Hieronymo, uocatur. Huius urbis situm Iacobus Patriarcha sine dubio etiam respexit, cum Iosephi filijs optaret, ut in medio terræ multiplicarentur, Genes. 48. Eodem & illud pertinet, quod Psalmo 74. scriptum extat: Deus autem Rex meus ab initio, salutem operatus est in medio terræ. Id est, ut Hieronymus explicat, in Iudęa, quæ terrę mediū dicitur. Eundem Psalmi locum Hylarius adducens: In medio, inquit, orbis terræ loco DOMINVS salutē nobis operans, passus est. Tandem Esaias de huius Vrbis euersione in hæc inquit uerba: Remansit in Vrbe solitudo, & desolatione cōteretur porta: Nam tale quiddam in medio terræ & in medio populorum erit, quale fit strictis oleis, aut qualis est post peractam uindemiam racematio, cap. 24.

Psalm. 75.

Super Psalmum 134.

Montibus uerò totius orbis altissimum huius Vrbis situm fuisse, uel indè cōstat, quòd sacræ Literæ passim ascendere eos dicant, qui alijs ex locis eò profecti: contra uerò descendere qui Ierosolymis essent digressi, ut uidere est, Iudithæ 4. Psal. 22. Esaiæ 36. Syrachi 46. Matthæi 20. Lucæ 10. Actor. 8. &c. Deuter. 32. Moses totam Iudæam, unà cum Ierosolyma, excellentissimam terrę partem uocat. Et Iudithæ 5. ac Lucæ 1. ea, Montana, appellatur. Item Psalmo 125. scriptum est: In circuitu Ierusalem sunt montes.

Montes Ierosolymæ.

Valles. A uallibus autem intra & circa Vrbem, uallis Regis dicitur. Genesis 14. & 2. Paralyp. 20. uallis benedictionis. Esaias eam uallem uisionis: Item electas eius ualles uocat, capite uigesimo secundo. In Ieremia habitatrix solidæ atque campestris uallis nominatur, capite uigesimo primo.

Felicitas & iucunditas urbis. At propter reliquam rerum omnium iucunditatem, ab eodem Ieremia in Lamentationibus, capite secundo, Vrbs perfecti decoris, & uniuersæ gaudium terræ, A Daniele autem ipsa gloria & decus, siue desiderabilis & inclytus locus, unà cum circumiacente Iudæa, nũcupatur, capitibus octauo & undecimo. Iosippus ait hortos & pomaria Ciuitatem, pręsertim à Septentrionali parte, itinere tredecim miliarium, sicut ipsum DOMINI Paradisum, circundedisse.

Strabo. De cuius Vrbis tota positione Strabo libro decimo sexto scribens: Locum, inquit, esse petrosum, aqua abundantem: circumstantem uerò regionem sterilem ac siccam, & intra sexaginta stadia petrosam: Eiusmodi & munitionem fuisse, nempe petrosam & benè septam, interius aqua abundantem, exterius omnino siccam, fossam in lapide excisam, quadraginta pedum profunditate, latitudine uerò ducentorum & quinquaginta. Plinius. Plinius quoque eam clarissimam totius Orientis Vrbem fuisse asserit. Tacitus. Tacitus autem sic de ea libro uigesimo primo belli Iudaici scriptum reliquit: Vrbem arduam situ opera molesque firmauerant, quîs uel plana satis munirentur: Nam duos colles in immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta, & turres, ubi mons iuuisset, in sexaginta pedes, inter deuexa in centenos quaque attol-

leban-

lebantur, mira ſpecie & procul intuentibus pares: Alia intus mœnia regiæ circumiecta, conſpicuoque faſtigio Antonia in honorem Antonij ab Herode appellata. Templum in modum Arcis proprijque muri labore & opere ante alios: ipſæ porticus, quîs Templum ambiebatur, egregium propugnaculum: Fons perennis aquæ, cauati ſub terra montes, & piſcinæ, ciſternæque ſeruandis imbribus. Idem Tacitus refert, ultimæ obſidionis initio, omnis ætatis ſexusque ducenta millia hominum in Vrbe fuiſſe.

Antonia. *Templum.* *Fons in Templo.*

Ariſtæas item, quo libello Philocrati fratri ſuam profectionem ad Eleazarum, Iudæorum Pontificem, pro adducendis Septuaginta duobus Legis diuinæ in Græcam linguam Tranſlatoribus, exponit, Ieroſolymam, ut quidem ipſe tum ſingula Vrbis loca accuratè perluſtrauerat, in hunc deſcribit modum:

Ariſtæas.

Sequens narratio, iter noſtrum ad Eleazarum continebit, ſed primum tibi totius regionis ſitum declarabo: Poſtquam ergo peruenimus in loca illa, cernebamus Ciuitatem in medio Regionis ſitam ſuper montem editum & ſubarduum, in huius ſummo erat extructum Templum, cum inſigni ornatu, circum quod erant tres muri, altitudine ſupra ſeptuaginta cubitos, & tum latitudine pro tali altitudine, tum longitudine pro ſtructura & mole ædificij. Atque hæc omnia erant exædificata perquàm magnificè, cum ſumptus ex omni parte excellentia:

Vrbis ſitus. *Templum.*

Conſpicua etiam erat expenſarum magnificentia in Portas, & compages partium earum inferiorum, & in munitionem ſuperliminarium. Velum item appenſum erat, ad ſimilitudinem ianuarum formatum,

Portæ Templi *Velum.*

quod ſpectaculum quoddam iucundiſsimum, & quo nunquam facilè ſatiari poſſes,præbebat: & quidẽ ideo præcipuè,quia à uento ſubintrante perpetuo mouebatur,& quidem ſinuatione ab imo uſque ad ſummum, ob uentum à pauimento ſubintrantem. Altare etiam extructum erat appoſitè,& ad locum illum, & hoſtias quæ ibi igne conſumerẽtur. Qua uerò parte erat aſcenſus ad illud,ea perquam decenter exornata erat,& pulchrè accommodata ad miniſteria ſacra,& habitum Sacerdotum ad talos uſque indutorum tunicis ex byſſo.

Altare.

Diſpoſitio Templi.

Templum autem ſpectat ad ortum,poſterioribus eius ad occaſum tendentibus:& pauimentum totum eſt lapide conſtratum,tractusq; habet aquæ immittendę ad loca certa, quæ immittitur ad abluendum ſanguinem hoſtiarũ: quia in ſolennibus feſtis multa millia iumentorum offeruntur.

Sacerdotes.

Sacerdotes uerò miniſteria peragentes,omnino uirium robore præſtant, cum ſumma ornatus ac ſilentij reuerentia: Nam omnes ſpontè intenti ſunt laboribus, licet ualde moleſtis, Ac ſuæ cuiq; demandatæ partes ſunt curæ, ſine miniſterij intermiſſione: alij enim ligna, alij oleum,alij ſimilam, alij aromata in miniſterio ſuo curant:Alij integras hoſtiarum carnes comburunt, utentes in hoc magna uirium & intentione & dexteritate: Apprehenſa enim utriſque manibus uitulorũ crura, quæ ſingula ferè talenti pondo habent, per uices utraque manu ſurſum porriciunt mira induſtria,in altitudinem ſatis magnam, nec in ijs excipiendis errant. Simili modo porriciunt etiã ouium crura, necnon & caprarum, quæ mirificè & pondere & pinguedine excellunt. Nam quod iam dictum eſt,ita peragitur,ut ad id,à certis quibus hoc curæ eſt,per omnia ſeligãtur,quæ & labe reprehenſionis omni uacent, & pinguedine excellant. Ad quietem autem habent locum certum, ubi quieſcentes recumbunt: atque inde

uſi

usi quiete, alacres & prompti excitantur, nemine ipsis ministerij officia imperante, tantumq́; ubique est silentium, ut putes in loco illo nullũ prorsus esse hominem, cum interim & Sacerdotum ministrantium sint circiter septuaginta, & eorum qui hostias adducant ualde magnus numerus, ita omnia cum reuerentia, & ut conuenit magnæ diuinitati, peragũtur. Hinc uerò magnus nos subibat stupor, cum aspexissemus Eleazarum sacra tractantem, & ornatum illum eius, & dignitatis reuerentiam, emergentem ex tunica induta, & lapidibus in ea preciosis: nam aurea tintinnabula ad pedes usq; ornatus eius dependent, quæ singula harmoniæ edunt sonum suum, inter quę singula sunt punica mala & floribus uarijs & colore miro decorata. Zona aũt cinctus erat ualde decente, & uarijs ac pulcherrimis coloribus pertexta. Supra pectus gestabat quod Rationale uocãt, in quo implexi & auro alligati erant duodecim lapides generum diuersorũ, qui splendẽtes specie inenarrabili, natiui & proprij coloris, inscripta habebãt nomina Principum cuiusq; tribus, iuxta priscam & ab initio institutam ordinationem. Supra caput habebat tegumẽtum, quod Cidarim uocant, & supra hanc inimitabilis artificij mitram, ornamentum à Regibus consecratũ. Hinc supra laminam auream, nomen Dei sacris Literis scriptum, cum ornatu & decore summæ reuerentiæ per frontem ad supercilia usq; protenditur. Ipse uerò Eleazarus in tractatione sacrorum uidebatur his omnibus dignus esse. Hinc, ut omnia cognosceremus, in adiacentem Ciuitatis Arcem ascendẽtes, eam perlustrabamus. Hæc sita in editissimo loco, munita est turribus ad summum usque longis lapidibus extructis, ad illorum quæ circum Templum erant locorum, ut colligebamus, custodiã: ut si quæ insidiæ, aut qui tumultus, aut hostium insultus existeret, ne quis posset aditum nancisci in illa

Summus Sacerdos. *Rationale.* *Cidaris mitra.* *Sion.* *Turris Sionis.*

circum Templum munimenta. Nam in turribus Arcis erant acuta iacula, & uaria bellica instrumenta: locusq; iste erat in uertice montis, & supereminens inter alia munimenta. Præterea turres custodiebantur à fide dignissimis, & patriæ multis argumentis declaratis uiris, qui non habebant facultatem egrediendi ex Arce, præterquam festis diebus, idque per partes & uices: neque sinebant ingredi quenquam. & à Præside iussi admittere aliquem contemplandi gratia, ualde accuratè eum obseruabãt, quod etiam tum, cum nos adessemus, eueniebat. Nam ægrè nos duos & inermes admittebant, ad perlustrandas res sacras: dicebant enim sibi sub fide commissam hanc curam, omnesque adductos ad hoc iuramento, quòd sanctè hanc rem, ut esset sibi præscripta, curare uellent. Et hinc cum sint numero quingenti, nunquam admittere simul plures quàm quinque. Hocque ita esse cautum & prospectum ab illo, qui primus hanc præmunitionem extruxerat. Ciuitatis uerò amplitudo est mediocritate quadam temperata, quæ, quantum colligere potuimus, in circuitu quadraginta stadia habet. Turres eius subtus uidentur esse peruiæ, supra uerò transitus usitatos habẽt, & sunt ad formam theatralem dispositæ: nam quia Ciuitas in monte est sita, sunt reflexæ, & in se inuicem pronæ. Ad illos transitus sunt etiam parati ascensus graduum editiores, ut alij in sublimi, alij subtus incederent. quæ distinctio pręcipuè facta est ob sanctos & religioni deditos uiros, ut neminem attingerent, quem non liceat. Non temerè autem illi primi conditores Ciuitatẽ hanc conuenienti amplitudinis dimensione condiderunt: sed sapienti hoc consilio fecerunt. Nam regio est ampla & bona, uersus quidem Samaritas & quà attingit Idumenæos, magna ex parte est campestris: in nonnullis etiam alijs locis est montosa, consita passim arboribus oliuarum, & fe-

Custodes Sionis.

Ambitus Vrbis.

Nehemiæ 7. Ierosolyma urbs spaciosa & ampla nominatur

Turres urbis.

Felicitas urbis & totius Iudeæ.

& ferax omnis generis frumenti & leguminum: adhęc uineis & mellificio abundat, palmæ uerò & aliæ frugiferæ arbores ſunt innumerabiles apud ipſos: item iumenta & pecora omnis generis multa, & paſcua uberrima. Præterea immenſa copia aromatum, lapidum precioſorum & auri importatur eò per Arabes: Nam regio & ad cultum & ad negotiationem eſt idonea, & Ciuitas abundat artificibus, nec deeſt ei quicquam eorum quæ mari aduehi ſolent, cum habeat portus opportunos, qui abundè ſuppeditent res, & Aſcalonæ, & Ioppæ, & Iazæ, ſimiliter etiam Ptolemaidis. Iam in medio iſtorum locorum eſt ſita, nec ab illis multum diſtat, ſed ipſa per ſe omnia abundè habet, cum ſit & irrigua undique regio, & ad magnam ſecuritatem munita. Expoſui ita ſtrictim tibi, frater Philocrates, quæ de his commemoranda fuerunt. Hactenus Ariſtæas Græcus.

Ad extremum ex Ioſepho quoque his pauca quædam ſubijcere libet, qui libro de Bello ſexto, cap. 6. ſic ait: Ciuitas trino muro circundata erat, niſi quà uallibus inuijs cingebatur, ex ea nanque parte unius muri habebat ambitum, & ipſa quidem (initio) ſuper duos colles, Sionem & Acram, erat condita, contrarijs frontibus ſemet inſpicientes, interueniente ualle Tyropæia diſcretos. Contra Acram tertius collis erat (Moriah dictus) ualle Cedrone ab Acra diuiſus, in quo Templum & Antonia fuêre conſtructa. Foris autem Ciuitatis hi colles profundis uallibus cingebantur, & à tribus lateribus, obſtantibus uſquequaque rupibus, adiri non poterant: Quin & quartus collis incolebatur, cui nomen eſt Bezetha, ſitus quidẽ ex aduerſo Templi atque Antoniæ in Septentrionali plaga, foſsis autem altiſsimis ſeparatus.

Ioſephus. *Muri.* *Montes.* *Valles.*

Idem Historicus lib.1.contra Apionem: Hecatæus Abdærita, qui cum Ptolomæo Lagi cōmoratus, refert: Nos Ciuitatem ipsam Ierosolymorum spaciosam & maximam olim inhabitare & uirorũ multitudine copiosam, necnon & Templi constructionem his describit uerbis: Sunt autem Iudæorum & aliæ quidem multæ munitiones per prouinciã atque uici: Vna uerò Ciuitas munitissima habens præcipuè circuitũ quinquaginta stadiorum, in qua commorantur hominum circa centum & uiginti millia, nomine Ierosolyma. Est autem in media Ciuitate lapidea quadriporticus, longitudine 500. pedum, & latitudine 100. cubitorum, habens etiam duplices ianuas, in qua Ara est quadranguli figuratione composita, ex lapidibus non dolatis, sed collectis, unumquodque latus uiginti cubitorũ latitudinem habens, altitudinem uerò decem, & circa eam maxima fabrica, ubi Altare est constitutum, & Candelabrũ, utraq; aurea, duorum talentorum pondus habentia, & inextinguibile lumen noctibus & diebus. Simulachrũ uerò aut aliquod Anathema ibi nequaquam est, nec ulla plantatio, nullus ibi ueluti Lucus, aut aliquid huiusmodi. Habitant autem in eo & noctibus & diebus Sacerdotes, quasdam purificationes agentes, & omnino uinum non bibentes in Templo.

Ambitus Vrbis. Vrbs à frequẽtia incolarum, Esa. 22. populosa, & Threnorum 1. plena populo appellatur. Templum. Ara. Candelabrum. Simulachra & Lucus. Sacerdotes.

Eodem libro Iosephus paulò post adducit Agatharchidem Historicum, qui ita de Iudæis & eorum Vrbe scribat: Qui uocantur Iudæi, habitant omnium munitissimam Ciuitatem, quam uocare Ierosolymam prouinciales solent: hi uacare consueti sunt septima die, & neque arma portare in prædictis diebus, neque terræ culturam contingere, neque alterius cuiuspiam curam habere patiuntur, sed in Templis extendentes manus, adorare usque ad uesperam soliti sunt.

Agatharchides. Sabbathum. Iudæorum orandi mos.

De ua-

De uarijs autem uaſtationibus,& ultimo Vrbis excidio,Ioſephus cũ aliâs paſsim, poſt ſacras Literas, tum uerò ſummatim lib.7.Bellorũ,cap.18.hoc modo ediſſerit:Ieroſolyma capta eſt ſecundo anno principatus Veſpaſiani, Septembris menſis 8.die. Quinquies aũt prius capta,tunc iterum uaſtata eſt. Aegyptiorũ quidem Rex Aſochæus, & poſt eum Antiochus, deindè Pompeius, & poſt hos cũ Herode Soſius captã Vrbem ſeruauêre. Antea uerò Rex Babyloniorum ea potitus excidit poſt annos, ex quo ædificata eſt, mille trecentos ſexaginta, & menſes octo,& dies ſex. Primus autem conditor eius fuerat Chananęorum Dynaſta, qui patria lingua Iuſtus appellatus eſt Rex: erat quippe talis. Chananæorum quidem populo Rex Iudæorũ Dauid pulſo, colendam ſuo populo tradidit, & quadringenteſimo ſexageſimo quarto anno poſt,ac menſibus tribus,à Babylonijs euerſa eſt. A Rege autem Dauide,qui primus Iudæus in ea regnauit,uſque ad id, quod Titus fecit,excidium, anni mille centum ſeptuaginta nouem.Ex quo primum autem condita eſt uſque ad excidium,anni duo millia,centum,ſeptuaginta ſeptem. Sed enim neque antiquitas, neque ingentes diuitiæ,neque per totum orbem terræ diffuſa fama,nec magna religionis gloria quicquam iuuit,quò minus periret. Interitus Vrbis.

Hæc ille.

B

CAP. II.

ירושלם· ἱεροσόλυμα·

DE PRIMO FVNDATORE, ET RECTORIBVS, ITEMque nominibus Vrbis.

Quis primus ualidæ fundamina iecerit Vrbis,
Explicat hoc præſens, Lector amice, caput.
Rectoresq; ſimul primos deſignat, & eius
Nomina, quæ ſecum myſtica multa ferunt.

HISTORIA.

Melchiſedechus primus Vrbis conditor.



ELCHISEDECHVM Chananeæ Regẽ, & ſummi Dei Sacerdotem, eo tempore, quo Abrahamus in Chananæa peregrinabatur, prima huius Vrbis fundamenta iecíſſe, in eaque ſui regni ſceptrum collocaſſe, & fanum quoddam inibi conſtruxiſſe, à Ioſepho & Egeſippo, Hiſtoricis antiquis, memoriæ proditum eſt: Qui & tum eam Solymam & Ieroſolymam nuncupatam aſſerunt. Ioſephi uerba hæc ſunt, ultimo Bellorum: Primus Ieroſolymæ conditor fuit Chananęorum Dynaſta, qui patria lingua iuſtus appellatus eſt Rex, erat quippe talis, Ideoque Sacerdotium Deo primus exhibuit, & fano primum ædificato, Ieroſolymam Ciuitatem appellauit, cum antè Solyma diceretur. Idem alibi: Abrahamus parta pace uictor ad ſuos redijt, redeuntem uerò Solymæ Vrbis Rex Melchiſedechus excepit, id nomen interpretatur Rex iuſtus, erat enim reuera talis, omnium conſenſu ſacerdotio ſummi Dei ob iuſticiam dignus habitus. Antiquit. lib. 1. cap. 10. Idem rurſus Ieroſolyma tempore Abrahami, generis noſtri auctoris,

Solyma.

ris, Solyma uocabatur. Nec desunt qui affirment etiam apud Homerum Solymorũ nomine hanc Vrbem intelligendam, Templum enim iuxta Hebræorum linguam nominatum est hac uoce, securitatem significante, Antiquit. lib. 7. cap. 3. Egesippus autem sic scribit: Dicuntur Ierosolyma, quæ primò Solyma dicebantur, Sed cum Rex Chananæus, cognomento Iustus, qui fuit conditor Solymorum, Templum addidisset, indè Ierosolyma nuncupauit.

Quam uerò Iosephus & Egesippus hìc Solymam & Ierosolymam uocant, eam sacræ Literæ (attestante nobis Hieronymo in Quæstionibus Hebraicis) Hebraicè plerisq; in locis Salem, Ierusalaim autẽ passim. Chaldaicè uerò Ierusalẽ nominant, quos imitati LXXII. ubique scribentes ἱερουσαλήμ. Latini conuertunt η in ε longum. Matthæus dicere solet ἱεροσόλυμα. Lucas modò ἱεροσόλυμα, modò ἱερουσαλήμ.

Ierusalem.

Idem tamen ad Euagrium Hebræos adducit, Iosepho cõtra dicentes, de etymologia Ierosolymæ, & quòd Salem nõ fuerit Ierusalem, sed oppidum iuxta Scytopolin, quod in hodiernum diẽ uocetur Salem, ubi & palatiũ Melchisedechi appareat

De Melchisedecho Rege Salem, seu Ierusalem, Genes. 14. cap. quoque mentio fit his uerbis: Melchisedechus Rex Salem protulit panem & uinum, & cum altissimi Dei Sacerdos esset, benedixit Abrahamo. Similiter Epistola ad Heb. cap. 7. habet: Melchisedechus erat Rex Salem, altissimi Dei Sacerdos, qui Abrahæ reuertenti à cæde Regum occurrit, eiq; benedixit, cui etiã decimas ex omnibus impartitus est Abrahamus, qui primũ quidem ex interpretatione dicitur Rex iusticiæ, deinde uerò etiam Rex Salem, quod est Rex pacis.

Melchisedechi & Salem notatio.

INTERPRETATIO.

IOsephus hanc Vrbem à firmitate Solymam, & à fano is, ac similiter Egesippus, illam Ierosolymã (ut iam

Lib. 9. Euang. præpar.

antè audiuimus) dictam referunt: Quibus & Eratosthe nes Eupolemus, teste Eusebio, subscribit, nisi quòd hic eam à Templo Salomonis Ierosolymam, illi autē à Fano Melchisedechi sic appellatam contendant.

Salem & Ierusalem quid.

Si uerò nos sacras Literas paulò altius indagauerimus, & quid huic Vrbi statim ab eius ortu à Deo præuisum, perque eandem denotatum sit, accuratius euoluerimus, inueniemus & alias nominis ipsius caussas, quodque diuinitus, & Deo ita ordinante, Salem & Ierusalem Hebraicè uocitata sit: Salem enim pacem Paulus interpretatur, & Ierusalē, quæ pacem uisura, uel in qua pax apparitura & doctura esset, denominatur.

Christus pax.

Melchisedechi mysteria.

Hieronym. ad Euag. Omnes penè sancti & Patriarchæ & Prophetæ, in aliqua re figuram expresserunt Saluatoris. Sic & Melchisedechus in typum præcessit sacerdotij & regni Filij Dei, & pane atq; uino Christi dedicauit Sacramentum.

Illa uerò pax DOMINVS noster IESVS CHRISTVS est, qui in hac Vrbe in carne assumpta apparere, Euangelium pacis annunciare, & extrà eius portam, in monte scilicet Caluariæ, per pacificam corporis atque sanguinis sui hostiam, omnia quæ in cœlo & in terra essent, pacificare uoluit. Cuius rei Melchisedechus figuram gerebat, cum Abrahamo redeunti è pugna ex hac sua Vrbe occurrit, benedixitque, oblato ei & seruis pane atq; uino: Quo significatum est, ex Abrahami semine deinceps nascendum uerū illum Melchisedechum, qui hoc eodem in tractu seipsum Deo Patri oblaturus, fidelibusq; Abrahæ filijs benedicturus, & eos pane atque uino corporis ac sanguinis sui refecturus esset. Melchisedechus quoque tum nomine suo, tum quòd Rex Salem erat, typum uenturi CHRISTI gesit. Melchisedechus enim Regem iusticiæ, Rex Salem autem, ut modò dictum, Regem pacis declarat. At de nostro Melchisedecho sic legitur, Esaiæ 32. Ecce in iusticia regnabit Rex. Et alibi ait DOMINVS: Germinare faciam ipsi Dauidi germen iusticiæ, & faciet iudicium atque iusti-

iuſticiam in terra, Ierem. 23. Rurſus apud Eſaiam de eo Bethlehemæ propè Ieroſolymã naſcituro, huiuſmodi uaticinium extat: Paruulus nobis natus eſt, Filius nobis datus eſt, & factus eſt eius principatus ſuper humero eius, & uocabitur eius nomẽ, Pater æternitatis, Princeps Salem, id eſt, pacis, multiplicabitur eius imperium in pace, abſque fine, ſuper ſolio Dauidis, & ſuper eius regno, Cap. 9.

Sub hæc, cum Abrahamus in monte Moriah, qui tertius Ieroſolymæ collis erat, filium ſuum ex DOMINI mandato offerre uellet, & DOMINVS ei tum illic appareret, uocauit locũ illum יהוה יראה hoc eſt, DOMINVS hic apparebit, indicans nimirum ſe in ſpiritu uidere DOMINVM ipſum, tempore plenitudinis, ibi in carne appariturum, & omnes homines uiam ueritatis docturum, ſuaque ipſius oblatione ſibi eos reconciliaturum. Ex illa Abrahę nuncupatione poſtea dici cœpit, ut Moſes ſcribit, in monte hoc DOMINVS apparebit. Vnde colligere eſt, hanc Vrbem nõ ſolùm à Templo, quam denominationem adducti iam Hiſtorici ſaltem afferunt, ſed uel maximè ab illo etiam, qui maior Templo, & in Templo appariturus, docturusque & pacem daturus erat, hoc eſt, à CHRISTO IESV DOMINO atq; Deo uero Ieruſalem appellatam. De quo DOMINVS in Aggæo ſic pronunciauit: Propediem erit, cum ueniet deſiderium Gentium, ac replebo Domum iſtam gloria, & in loco iſto dabo pacem, cap. 2. Et apud Baruchum: Bono es animo Ieruſalem, is enim, à quo es nominata, te conſolabitur, cap. 4. Item cap. 5. O Ieruſalem, Deus gloriam ſuam, quæ ſub cœlo eſt, in te oſtendet, Nomen tibi ab eo ſempiternum tribuetur. Pax iuſticiæ, & gloria pietatis. Ac rurſus, cap. 3. Deus noſter omnem ſcientiæ uiam inuenit, eamque ſeruo ſuo Iaco-

Dominus apparebit.

Ieruſalẽ unde ſic dicta.

Deus in terris uisus.

Iohan. 1. Verbum caro factum, & habitauit in nobis.

Pax uera Christus.

bo & Israeli dilecto suo dedit. Posthæc in terris uisus, & cum hominibus conuersatus est. Item Dauid, Psal. 84. Deus Deorum in Sione uidebitur.

Hæc autem omnia impleta, & Christum Iesum pacem illam uerè esse, cuius memoriam huius Vrbis nomen suggerere debebat, quòd in ea ille apparituros, pacem & annunciaturus & daturus, atque omnia pacificaturus esset, totum Nouum Testamentũ demonstrat, præsertim uerò in Luca de eo iam nato Angelus pastoribus, non longè ab Vrbe gregem pascentibus, ita dicit: Hodie natus est uobis Saluator, qui est Christus DOMINVS, in Ciuitate Dauidis: Et statim affuit cum Angelo illo, ait porrò Euangelista, exercituum cœlestium multitudo, dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, cap. 2. Ibidem paulò post dicitur, cum Christus infans adhuc in Templum inferretur, Simeonẽ eum ulnis suis excepisse, Deoque benedixisse his uerbis: Nunc dimittis seruum tuum DOMINE, secundum uerbum tuum in pace: Quia uiderunt oculi mei, Salutare tuum. Iohannes etiam scribit: Verbum in sua uenit, & caro factum est, atque habitauit in nobis, & uidimus eius gloriam, Ioan. 1. Idem alibi: Quod erat à principio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo uitę, 1. Iohan. 1. Iohan. 14. & 16. Christus ad discipulos, habita cum illis ultima in Vrbe cœna, dicit: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis, in me pacem habebitis. Ioan. 20. Christus à sua resurrectione in medio discipulorum stans, ait: Pax uobis, ac tum illi gauisi sunt, inquit Ioannes, DOMINO uiso. Præter hæc Paulus de CHRISTO in hunc modum scribit: Christus est pax nostra, & ille ueniens euangelizauit pacem, Ephes. 2. & Coloss. 1. Per CHRISTI crucis sanguinem pacificata

sunt

ſunt omnia, tum quæ in cœlis, tum quæ in terra ſunt. Item Romanorum quinto: Iuſtificati ex fide, pacem habemus ad Deum, per DOMINVM noſtrum IESVM CHRISTVM.

Porrò terrena hæc Ciuitas, à Melchiſedecho conſtructa, myſticè cœleſtem illam Ieruſalem præſignificat, quam Ioannes uidit à Deo deſcendentem, paratam Sponſo ſuo, Apoc. 21. Et CHRISTVS de eiuſdem ædificatore dicit, quòd ipſemet eam ſuper petram ædificaturus ſit, Matth. 16. Quomodo etiam Deus Pater ſub Cyri figura de CHRISTO uaticinatur, Ego, inquiens, eũ in iuſticia excitaui, & omnes eius uias dirigam, ipſe meam Vrbem ædificabit, & meam dimittet captiuitatem non precio, nec numero, Eſaiæ 45.

Ambroſius ſuper Pſal. 118. Eccleſia Ciuitas Dei eſt.

Terrena Ieroſolyma Salem & Ieruſalem denominata eſt à CHRISTO, noſtra pace, qui in ea uiſus, nosq́; Deo Patri pacificauit. At ſi cœleſtem ſpectemus Ieroſólymam, in ea CHRISTVS nunc in ſpiritu per fidem apparet & præſens eſt, applicans illi & porrò conferens eam pacem, quam in terrena prædicauit, ſuaque morte obtinuit, Extrà quam cœleſtem Vrbem, nec pax uera, nec ſalus, nec CHRISTVS deprehendi iam poteſt, ut & illa non niſi in CHRISTO pacem firmam habet, in mundo autem oppreſsionem habet, Ioan. 16.

Spiritalis Ieroſolyma.

HISTORIA.

POſt Melchiſedechi tempora, cum ſcilicet Iſraelitæ promiſsionis Terram inuaderent: Iebuſæi, poſteri Iebuſi filij Chanaanis, terrenam Ieroſolymam tenuêre, dictam tunc Iebum, ut ſcriptum eſt: Iebuſæos, habitatores ipſius Ieruſalem, non potuerunt filij Iudæ &

Iebus.

Beniamitæ expellere, itaque habitauit Iebusæus cum illis in Ierusalem ad hunc usque diem, Iosuæ 15. Iud.1.& Iosue 18. Vrbes filiorum Beniaminis fuere Selah, Eleph, & Iebus, quæ est Ierusalē. Similiter lib. Iudic. Venit contra Iebum, quæ est Ierusalem, cap.19.

INTERPRETATIO.

Iebusæorū notatio & mysterium.
3.Reg.22.

IEbusæi conculcatores dicuntur, denotant antiqui serpentis instrumēta, falsos istos pastores, qui suis doctrinis, quæ dæmoniacæ à Paulo nuncupantur, 1. Tim. 4. omnia in spiritali Christi ciuitate conculcare, & pacem eius è medio tollere semper conantur, ut scriptum est: Multi pastores demoliti sunt meam uineam, conculcauerunt portionem meam, posuerunt portionem desiderabilem meam in solitudinis desertum, Ierem. 12. Et Ezech. 34. DOMINVS hos pastores sic alloquitur: An parùm uobis est Pastores, quòd residuum pascuorum & aquarum mearum pedibus cōculcetis, & meæ oues conculcationem uestrorum pedum depascunt ac bibunt? De quibus & Hieronymus hoc pacto pronunciat: Iebusæi & fidelium conculcatores in externo Ecclesiæ cœtu sunt porci & canes, qui sanctum & margaritas pedibus conculcant, hoc est, qui Verbū adlatrant, aut illud immundis suis affectibus aptant, & hi nō sunt de populo Iudah, neque de Ecclesia. Item rursus: Filij Iudah, hoc est, uerè pij, confidentes & credentes, non possunt de Ierusalem, hoc est, de Ecclesia eijcere Iebusæos & conculcatores, non quòd illi de uera Ecclesia sunt, sed quia externus cœtus semper habet Iebusæos, qui filios Israel supplantant. Et habetur in Decretis, C. Nolite, 11. q. 3.

Cyprianus de duplic. Mart. Nō paucos pastores habet Ecclesia, qui lupos agunt, deinde mactāt et perdūt animas simpliciū, ipsi uētri suo, quæstui & ambitioni seruientes.

HISTO-

HISTORIA.

DAuid autem rerũ potitus, Iebusæos prorsus exterminauit, & ex Vrbe totius Iudææ prouinciæ Metropolin fecit. Hinc ea deinceps Ciuitas Iuda, Lucæ 1. & Ierusalem rursum nominata est. Sic enim Scriptura habet 1. Paral. 11. & 2. Reg. 5. Profectus est Dauid, & uniuersus Israel in Ierusalem, quæ eadem Iebus est, & ibi tum Iebusæi terræ habitatores erant (quibus exterminatis) regnauit in Ierusalem in omnes Israelitas & Iudæos annos tres & triginta. Et Iosephus ait: Cananæorum populo Rex Iudæorum Dauid pulso, Ciuitatem suo populo colendam tradidit, ac deinceps ea caput, facies & mater Vrbium totius regionis facta est. De Bel. lib. 7. cap. 18. lib. 2. cap. 16. lib. 4. cap. 6.

Ierusalem Metropolis Iudeæ

INTERPRETATIO.

DAuid figura est Christi, ex semine Dauidis secundũ carnem nati, hìc profligatis spiritalibus ex sua Vrbe Iebusæis, sedem suam in ea collocat, & pristinum eius nitorem renouat, ut tunc uerè Ierusalem illa noua & sancta, de cœlo à Deo descendens, uocari queat, Apocalyp. cap. 21.

Hilarius: Christus Dauid uerus est, Dauid figura Christi in opere & sermone.

Ierosolyma etiã Nehem. 11. Esa. 52. Daniel. 9. Tob. 13. & alijs plurimis locis sancta Ciuitas dicitur, non equidẽ idcircò, quòd per se sancta foret, uel quenquam sanctificare illa posset, sed ut alibi scriptum est, quòd eam DOMINVS sibi ex omnibus Israelis tribubus elegerit, ut ibi nomen suum sanctum esset. 3. Reg. 11. 14. 2. Paral. 6. 12. Quòd Deus, qui solus natura, & uerè sanctus est, 1. Regum 2. ibi coleretur. Dan. 9. 4. Esd. 5. Sanctusq; ille sanctorũ, CHRISTVS IESVS, per figuras illic demon-

Sancta ciuitas.

ſtratus, à ſanctis uiris præuiſus, & in tempore plenitudinis præſens apparuerit. Daniel. 9. Ioan. 1. Tandem ſancta uocatur, quòd typum cœleſtis Ieroſolymæ præferret, quæ ſanctitatis Dei per Chriſtum in Spiritu ſancto particeps fit, & ſancta atque irreprehenſibilis exiſtit in eo, qui ſemetipſum pro ea expoſuit, & ei in ſanctitatem factus eſt, eamq́ue ſanctificat, ut illa uiciſsim ſanctum ipſius nomen, diuina fortunante gratia, ſanctificare, ſanctasq́ue manus attollere queat, Ioel. 3. Epheſ. 1. 5. 1. Cor. 1. 1. Tim. 2. Heb. 2. Matth. 6. Apoc. 11. & 22.

HISTORIA.

Terrenæ Ieroſolymæ interitus.

CVm uerò terrena illa Ieroſolyma ingrata ſepè Deo & inobediens eſſet, Vrbs nimirum ſanguinaria, tota falſa, rapinis, diſcordijs, & crudelitate plena, Nahumi 3. Pſal. 55. identidem ab Aegyptijs, Babylonijs, Antiocho, Romanis capta atque uaſtata, tandem quòd ſuæ uiſitationis diem & CHRISTI in carne pręſentiam non ſolum agnoſcere non uellet, ſed & eum occideret, eiusq; conſortes perſequeretur, quemadmodum & anteà omnes Prophetas, pacem ei futuram annunciantes, occiderat: Deus eam iuſto iudicio Titum poſtremò expugnare, & ſtirpitùs excindere permiſit, nõ relicto in ea lapide ſuper lapidem, qui diſſolutus non ſit, Matth. 9. & 24. Lucæ 21.

INTERPRETATIO.

Ieroſolyma æterna quæ.

AT cœleſtis Ieroſolyma, ceu terrenę iſtius ueritas, & dilecta æterni CHRISTI ſponſa, ad omnem uſq; perpetuitatem manebit, ut Eſaias de ea præcinit: Tabernaculum Ieruſalem non transferetur, nec eius claui migrabunt, cap. 3. Et Ioel. 3. Iuda in æternum conſidebit, & Ieruſalem in generationem uſque nouam habitabitur,

tur. Christus etiã Apostolis, spiritualibus illis in sua Vrbe Oeconomis atque ciuibus promittit, se cum illis fore usq; ad consummationem sæculi, Matth. 28. Et Matthæi 16. dicit: Portas inferorum non preualituras aduersus Ecclesiam suam.

Huc locus ille, quem Galatinus ex Iudæorum Thalmudo, contra ipsorum uanam spem de Ierosolyma & Templo, ante extremum diem externè instaurandis, adducit, pertinet: qui locus in Berysith Rabba super 28. cap. Genesæos his citatur uerbis: Iacobus Patriarcha ea nocte, qua in lapide dormiebat, uidit Ierusalem ædificandam in terra, & Ierusalem ædificandam Dei manibus in cœlis, & intellexit Ierusalem seu domum illam, quam Deus sanctus & benedictus ipse ædificet suis manibus in cælis de lapidibus preciosis & margaritis, cum diuinitatis ornatu & splendore, sit Ierusalem & domus, quæ Israeli in perpetuum & in omnem omnium ætatum æternitatem permanebit. Cumque Iacobus conspiceret utranque Ierusalem, alteram in terra, alteram in cælis, expauescens ait: Quàm terribilis est locus iste, insinuans nimirum terrenã istam parum quiddam fore, nec ueram Dei domũ existere, quæ permansura esset in omnem generationem, sed illam demum Ierusalem esse domum Dei æternam ac ueram, quam ipse suis manibus in cælis ædificet, iuxta dictum Exod. 15. Sanctuarium Deus manus tuæ aptauerunt. Et libro Thaanith Iudæorum Rabbi Iohannan ita dicit: Non intrabo in Ierusalem supernam, quousque inferior Ierusalem non fuerit amplius ædificata.

Vide Galatinũ de Arcanis Catholicæ ueritatis, lib. 5. ca. 10.

Ierusalem duplex.

CAP. III.

EXPLICATIO SINGVLARVM INTRA MOENIA partium.

HISTORIA.

Topographia Vrbis.



RBS intra mœnia in quatuor præaltis montibus Sione, Acra, Moriah, ac Bezetha, & duabus intra montes illos ingentibus uallibus, Tyropœo ſcilicet ac Cedrone, condita erat. Ioſephus de Bello, lib. 6. cap. 6. Hinc Pſalmo 87. ſub figura dicitur, eius fundamenta in ſanctis montibus eſſe. Et Pſalmo 78. ipſa in typo mons ſanctus, mons DOMINI Sebaoth, Apud Ieremiam uerò ſolidæ atque campeſtris uallis habitatrix nuncupatur, cap. 21.


INTERPRETATIO.

DEpoſito uelo, cœleſtis Ieroſolyma occurrit, in magno illo monte fundata, quem Daniel totum mundum (à quatuor orbis partibus) repleturum prænunciauit, cap. 2. Interim tamẽ, dum ea hîc adhuc Chriſtianam militat militiam, in lachrymarum ualle cõmorari neceſſe habet, ſuſpirans quotidiè ad DOMINI montes, ad ſuum Tabernaculum, quod è cœlo eſt, & æternùm permanet, Pſal. 83. 2. Corinth. 5.


GEO-



GEOMETRICA VRBIS IER



OSOLYMAE DELINIATIO.





DE SIONE PRIMO IEROSOLYMAE MONTE, IN QVO Dauidis Ciuitas, & superior Vrbs, condita fuit.

LIBER SECVNDVS.

PSAL. XLVIII.

Mons Sion amœnus est tractus (&) uniuersæ gaudium terræ, ad Aquilonis (existens) latera.

IOELIS III.

Scietis quòd ego sum Dominus Deus uester, habitans in Sione, meo sacro monte, & Ierusalem sacrosancta erit.

CAP. I.

הר ציון.

Ὄρος Σιών.

MONS SION.



Mons Sion (Christi quondam prælustris imago)
Nominor, ad nubes culmina nostra petunt:
Effigiem cœli refero, turbæque fidelis,
Cuius homo Christus rexque caputq; manet.

HISTORIA.



RIMVS & excelsissimus in Vrbe mons, Sion dicitur, protractus in longitudinem, & ambitu suo stadia plus minus quindecim cõplectens: unde quòd tutus & adeò latus erat, superiori in eo constructa Vrbe, castellũ à Dauide, aliàs superius Forum dictus est, teste Iosepho de Bello, lib.6.cap.6. *Descriptio Sionis.*

Internè ille cliuo ad Ciuitatis inferioris aream deſcendebat, contra Septentrionem, externè uerò abruptus uſquequaque erat, deſinens in Hinnonis uallem, & Vrbem toto auſtrali tractu ambiens. Tacitus 21. Annal. Zieglerus de Paleſtina.

De hoc monte Pſalterium in figura ſic canit: Mons Sion amœnus eſt tractus, uniuerſæ gaudium terræ, ad Aquilonis (exiſtens) latera, Pſal. 48.

INTERPRETATIO.

Sion Specula. Sionem interpretantur altam Speculam, σκοπευτήριον inquit Euſebius Pamphilus: Ex hoc enim monte longiſsimus quaquauerſus patebat ſpeculatus.

Debuit Iudæos ſummi illius cœli, ſedis nempe Dei Optimi Maximi commonefacere, quæ ſedes ab eminenti ſuo ſitu, & quòd inde Deus omnia uideat, Saluatoremque ad terrenam hanc Sionem, ut à cunctis ille in carne ſpectari poſſet, demittere uoluit: mons Sion
Cœlum Sion. & Specula uocatur. Quæ dico, Eſaiæ 8. & Ioelis 3. probantur his uerbis: Deus in Sione monte habitat. Et in Pſalterio: DOMINVS proſpexit de ſuæ ſanctitatis excelſo, DOMINVS è cœlo in terram deſpexit, ut gemitum audiret, & morti deſtinatos ſolueret, ut narrent in Sione DOMINI nomen, & eius laudē in Ieruſalem.

Pro huius Saluatoris, è cœleſti Sione ad terrenam, demiſsione, in Pſalmis talia uota fiunt: Quis dabit ex Sione Salutem Iſraeli? Pſalmo 14. & 53. Mittat tibi DOMINVS auxilium ex Sanctitate, & ex Sione te fulciat Pſalmo 20.

In Eſaia uerò DOMINVS ſe eum certo miſſurum, & in

& in Sione terrena propositurum, hoc modo promittit: Iusticiam meam faciam appropinquare, non tardabit, nec salus mea cunctabitur. In Sione salutẽ, & Israeli gloriam meam dabo, cap. 46. De quo & Dauid uaticinatur: Deorum Deus, inquiens, in Sione uidebitur, Psalmo 84. At cum hic Saluator iam in Iudæa & Sione pręsens appareret, uerè de eo dici poterat: Veritas è terra germinauit, & iusticia è cœlo prospexit, Psalmo 85. Id est (ut Lactantius hoc dictum explanat) Deus in quo ueritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis uiam salutis aperiret.

Irenæus lib. 3. cap. 11. Per Prophetas Deus promisit Salutare suum se facturũ omni carni uisibile, ut fieret Filius hominis ad hoc, quò & homo fieret filius Dei.

Institut. lib. 4. cap. 12.

Sionem quoque signum, titulum, aut scopum exponunt, in quem omnes certatim figere & collineare contendant, alter quidem suo lucro, alter proprio damno. Remoue typum, & CHRISTVS occurret, Hunc à Deo patre suo, ut tumulum, & spiritualem quendam scopum, in terrena Sione præfixum, electi quidem obuijs ulnis suscipiebant, & amplectabantur; reprobi autem supprimere, & quoquo modo auersari laborabãt, unde is illis in resurrectionem & gloriam, his in casum & reprobrium extitit, de quo Diuus Petrus ex Prophetis loquitur: DOMINVS (inquiens) est uiuus lapis, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum uerò electus ac honoratus. Quapropter & continet Scriptura: Ecce pono in Sione lapidem summum angularem, electum, honoratum, & qui crediderit in eum, non pudefiet. Vobis igitur, qui creditis, honoratus est: incredulis autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in anguli caput. Et lapis offendiculi, & petra offensionis, nempe ijs qui offendunt in Verbo, neque credunt ei, in quod positi fuerunt, 1. Pet. 2. Et Simeon cum Christum præsentem in Templo sisti DOMINO uideret, ita de eo matrem eius Mariam affatur: Ecce posi-

Sion scopus, signum.

Christus Sion, id est, signum.

tus est iste in casum & multorum resurrectionem in Israele, & in signum cui contradicatur, Lucæ 2. Item Prudentius;

Lapis ecce nostro fixus offensaculo est.
Impingat in quem uanitas.
Signum cauenti, non cauenti scandalum.
Hunc sternit, illum dirigit.

Sion uexillum. Interpretantur etiam Sionem uexillum, & tale signum, ad quod omnes aspirare, & respectũ habere debeant: ut nempe sub eo deprehendantur, & iuxta eius motum stipendia mereri posſint. Talis Sion, & eiusmodi signum, Christus quoque dicitur: Sic enim Esaias de eo, & Ethnicorum conuersione, post Israelis reiectionem, uaticinatur: In die illo radix Iessæi in uexillum seu signum populorũ stabit, ipsum Gentes requirent, cap. 11. *Christus uerũ uexillum.* Ac rursus: In nouisſimo dierũ erit præparatus mons domus DOMINI in uertice montium, supraque colles eleuabitur, & confluent ad eum Gentes, Et ibunt multi populi, atque ita dicent: Venite & ascendamus ad montem DOMINI, ad domũ Dei Iacobi, & is nos suas uias docebit, & in eius semitis ambulabimus, quoniam de Sione Lex, & DOMINI Verbum de Ierusalem exibit, Esaiæ 2. Mich. 4.

Deus autem, misericordiæ ille pater, tandem miserandos Iudæos, quorum patres propositum in terrena Sione præsentem Saluatorem reprobarunt magnam partem, unde & reiecti ipsi sunt, cõmiserabitur, & eundem illis Saluatorem, cum Gentium plenitudo intrauerit, spirituali modo, è cælesti Sione, mittet: quem tum multi ex illis fidei oculis respicient, & sub eo Christianam militiam militare insistent. *De Iudæorum ante ultimũ diem uocatione.* Hoc (inquam) mysterium Esaias præsignificat his uerbis: In die illa adijciet

DO-

DOMINVS ſecundo ſuam manũ mittere ad poſsidendum ſui populi reſiduum, & eleuabit uexillum in Gentibus, congregabitque profugos Iſraelis, & diſperſos Iudæos colliget ex quatuor terrę angulis, cap. 11. Et Paulus idem cõprobans: Non enim uolo uos ignorare fratres (ait ad Romanos fideles è Gentibus conuerſos) myſteriũ hoc: ne ſitis apud uoſmetipſos elati animo, quòd ex cæcatio Iſraeli ex parte accidit uſquequo Gentiũ plenitudo introierit. Et ita totus Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptũ eſt: Adueniet ex Sione Liberator ille, & auertet impietates à Iacobæis, & hoc illis à me Teſtamentũ, cum ipſorum abſtulero peccata, cap. 11.

Totus ſpiritualis Iſrael dicitur Eccleſia ex Gentibus & Iudæis ſine diſcrimine.

Eſaiæ 59.

Teſtamentum Dei cum hominibus eſt obliuio peccatorũ propter Chriſtum, qui ea de cauſa mortuus eſt.

Per Sionem illum excelſum ab Aquilone montem, qui, ut iam oſtendimus, ſpecula, ſcopus & uexillum exponitur, & cælum atque CHRISTVM præfigurauit: poſt Chriſtum Chriſtiana Eccleſia, ſponſa illa Chriſti, partim in terra ſub uexillo regis ſui adhuc militans, partim in cælo deuictis hoſtibus triumphans, intelligi ſolet. Propter hanc Sionem Chriſtus de cæleſti Sione ad terrenam deſcendit, ut illam ſaluaret, ſanctificaret, caputque & Rex illius foret.

Eccleſia Sion.

August. Chriſtus æternus Deus ex uirgine natus, reliquit patrem, ut adhæreret uxori Eccleſiæ.

De Sione militantis Eccleſię ita pronunciatum eſt. Pſal. 74. Recordare congregationis tuæ, quam ab antiquo requiſiuiſti. Redemiſti hæreditatis tuæ nationem, montem iſtum Sionem, in quo habitas. Pſalm. 69. Deus Sionẽ ſaluabit, Ciuitatesq; Iudęę ędificabit, & ibi habitabunt, ac hęreditate eam terrã poſsidebunt. Et in Abdia: In Sione monte erit ſaluatio & ſanctitas. Item, Heb. 12. Acceſsiſtis (ait Paulus ad Eccleſię Chriſti fideles) ad Sionem montẽ, & ad Dei uiuentis ciuitatẽ, Ieruſalẽ cęleſtẽ, & innumerabiliũ Angelorũ conuentũ, & ad Eccleſiam primogenitorũ, qui in cælis conſcripti ſunt, & ad iudicẽ

Hieron. in Eſaia: Congregatio ſanctorum eſt uera Sion.

Eccleſia militans.

uniuersorum Deum, & ad Spiritus iustorum perfectorum, & ad noui Testamenti mediatorem Iesum.

Ecclesia triumphans.

De Sione autem triumphantis Ecclesiæ, & eius rege CHRISTO, Esdra sic uaticinatur: Recipe Sion numerum tuum, & cõclude Sanctos tuos, qui legem DOMINI obiuerunt. Ego Esdras uidi in monte Sione turbam magnam, quam numerare non potui, qui omnes canticis collaudabant DOMINVM, & in eorum medio erat iuuenis procera statura, illos omnes superemi- nens, qui singulorũ capitibus imponebat coronas, ipse cæteris excelsior. Ego autẽ admiratione motus, interrogaui Angelum, & dixi: Qui sunt hi Domine? Et ille respondens, dixit mihi: Hi sunt, qui mortali tunica deposita immortalẽ sumpserunt, confessi nomen Dei, modò coronantur, & accipiunt palmas. Et dixi Angelo: Ille iuuenis qui est, qui ijs coronas imponit, & palmas in manus tradit? Et ille respondens, dixit mihi: Is est Filius Dei, quem in sœculo confessi sunt, 4. Esd. 2.

Esdra Christũ hominem filiũ Dei nuncupat.

HISTORIA.

Terrenæ Sionis destructio.

TErrenum Sionis montem Deus propter Iudæorum peccata, tempore Babylonicæ captiuitatis, ac postremò per Titum & Adrianũ penitus complanari & peruerti cõcessit, ut Micheas antè prædixerat: Propter uos, inquiens, qui ædificatis in sanguinibus Sionem, idem mons, ut ager arabitur, cap. 3. Id quemadmodum impletum sit, Ieremias hoc modo lamentatur, Mons Sion desolatus est, ita ut uulpes in eo ambulent. Et Epiphanius ait; Altitudo illa, quæ olim erat in Sione, deiecta est, lib. 3. contra Hæreses.

INTER-

INTERPRETATIO.

NOs igitur ad cœleſtem Sionẽ iugiter reſpiciamus, quę non cõmouetur, ſed in æternũ permanet, teſte Dauide, Pſal.125. Chriſtumque pro unico ſcopo nobis præfigamus, & ut illius Sionis ciues reddamur, contra quam portę inferorum nihil pręualebunt, etiam atque etiam attendamus.

Cœleſtis Sionis perpetuitas.

Matth.16.

CAP. II.

אבן בחן·

λίθος ἀκρογωνιαῖος.

Lapis Bohan in Sione.

Sion petra uocor ſtabili fundamine nixa,
　Cui tempeſtatum nulla procella nocet:
Aeternę ſaxum, fundamentumque ſalutis
　Nimirum Chriſti nobile corpus habes.

HISTORIA.



FVNDAMENTVM Sionis montis erat duriſsima quædam petra, dicta Hebraicè Bohan, Chaldaicè בפא, eius quoque anguli ad Orientis Meridiei atque Occidentis latera prærupti omnino & ſcopuloſi exiſtebant, adeò ut nec hoſtili machina perfringi, uel conſcendi, nec ulla cœli, aut inundationis tempeſtate concuti facilè poſſet. Vnde apud Eſaiam in figura dicitur, DOMINVM Sionem fundaſſe, & in ea ipſius populi pauperes ſperaturos, cap.14.

Deſcriptio fundamenti Sionis.

INTERPRETATIO.

Fundamentum spiritualis Sionis Christus.

SI uerò nos Sionem ſpiritualem, Chriſtianam ſcilicet Eccleſiam, ſpectemus, eius fundamentum ille exiſtit, qui Eſaiæ 28. uerè lapis fundamenti, lapis Bohan, angulus precioſus, & fundamentum ſolidum nominatur: Eum aũt DOMINVM noſtrum IESVM CHRISTVM eſſe, ex Pſalmo 118. & 1. Petri 2. colligere licet. Paulus uerò 1. Corinth. 10. expreſsius ita ſcribit: CHRISTVS erat petra. Et rurſus: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt IESVS CHRISTVS, 1. Corinth. 3.

Diabolus cum peccato et morte inferni nihil iuris habet in eos qui ſunt in Eccleſia, ſed illa Eccleſia quæ fundata eſt ſuper petrã Chriſtum.

Hylar. lib. 6. de Trinit. Chriſtus eſt petra, ſuper quã petram nixus eſt Petrus ſua fide, & propterea Petrus appellatus eſt.

CHRISTVS quoque petra illa eſt, de qua, Petro confitenti ipſum eſſe Dei Filium, his uerbis reſpondit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo meam Eccleſiam, & portæ inferorum aduerſus eam non pręualebunt, Matth. 16. Hoc eſt (ut Auguſtinus paraphraſticè hunc locum explicat) ſuper meipſum Filium Dei, quem tu Petre confeſſus es, & hanc petram, quam cognouiſti, ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, nõ me ſuper te. Quo & illud Pauli ſpectat, quòd Epheſijs ſcribit, eos in CHRISTO ædificatos, ſummo illo angulari lapide, cap. 2.

In CHRISTO igitur IESV, Deo atque DOMINO noſtro, ut & nos certa fide fundari poſsimus, omnis danda opera: Qui enim in DOMINO confidunt, ut Pſalmo 125. ſcriptum eſt, ſunt ut mons Sion, qui non commouetur. Et Pſalmo 18. DOMINVS mea rupes, & meum refugium, & liberator meus. Item alibi: Qui crediderit in lapidem, poſitum in Sione, non confundetur, Eſaiæ 8. Rom. 9. 1. Pet. 2. Hoc uerò qui facit, is prudens ille uir eſt, de quo DOMINVS Matth. 7. dicit, qui

ædifi-

ædificat domũ (cordis sui) super petram (super CHRISTVM scilicet) quam domum nec pluuiæ (cupiditatum carnalium) nec flumina (ullarum aduersitatum) neque uenti (falsarum doctrinarum, aut Sathanæ insultus) prosternere unquam poterunt, quippe quòd super petram fundata sit.

Greg. 7. Moral. Instabilis est domus, quæ Christum non habet in fundamento.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

AT quia Ierosolymitani terreno Sionis fundamento atque angulis, postposito Opifice, nimis innitebantur: Spirituales uerò eorum ędificatores, Pharisęi nempè & Legisperiti, CHRISTVM, uerum illum lapidem Bohan, & à Deo in anguli caput factũ, reprobabant, idcircò eos DOMINVS uicissim reprobauit, & suo iudicio superueniens, comminuit: ut passim in ueteri Testamento fuit prædictum, & in Nouo impletum legimus: figuralem uerò Bohan funditus euertendam curauit, atque sic perfectum est, quod Ieremias in Threnis deplorat: DOMINVS in Sione ignem succendit, qui eius fundamenta consumpsit, cap. 4. Et Esaias 32. cap. dicit: Palatium eius relictum est, Ophel atque Bohan redacta sunt in speluncas usque in æternum, ubi onagri gaudent, & greges pascuntur. Vt uideamus, quàm graue & periculosum sit, præsente ueritate, in umbris acquiescere, nec quicquam creatum ita solidum, quin si eo abutamur, Opifex id subuertere, & in nihilum redigere rursus uelit.

Cyrillus: Post quam illuxit Christus, qui est ueritas, & ipsius cultus introductus est, figurarum imbecillitatem meritò despiciamus: Imagines enim erant spiritualium.

CAP. III.

שער הראשון·

πύλη ἡ πρώτης.

SIONIS PORTA.

Hæc eſt porta prior, tendens Sionis ad Arcem:
Sic nobis ſternit CHRISTVS ad aſtra uiam.
Hunc qui non ſequitur, peruerſo tramite currens,
Incidit in dubium perditionis iter.

HISTORIA.

Deſcriptio portæ Sionis.



ORTA ex inferiori Ciuitate in Sionem montẽ, Zach.14. prima porta, Ieremię uerò 17. & Michææ 1. porta filiorum populi, per quam Iudææ Reges, in Throno Dauidis ſedentes, ingrediantur & egrediantur, uocatur.

Regia hæc, primaria & præcipua erat porta, ad quam omnes reliquæ portæ uiam ſternebant, & ciues plerunque ibi conuenire ſoliti ſunt. Sita in ualle Tyropœonea, contrà tenebroſam Cedronis uallem.

INTERPRETATIO.

Pſal.9.38.107. Sapient.16. Matth. 7. 1.Timot.6.

Spiritualis Sionis primaria porta.

POrta uerò illa, quæ ex mortis porta, ex porta lata abducente in exitium, per quam multi introeunt, & ex porta uallis tenebrarum huius mundi in cœleſtem Sionem ad uitam, & ad Deum, lucem inacceſſam inhabitantem, deducit: Geneſ.28. cœli porta, Pſal.118. porta ad DOMINVM, & Matth.7. anguſta porta dicitur, quam pauci inueniant. Hæc autem quænam ſit, uel indè colligere poſſumus, quòd Dauid Pſalmo 9. ad DOMINVM ſuum

ſuum, naſcendum de ſuo ſemine ſecundum carnem, orat: DOMINE, tu exaltas me de portis mortis, ut narrem omnes tuas laudes in filiæ Sionis portis. Et idem ille DOMINVS de ſeipſo, Ioan. 10. ait: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Ac rurſus: Nemo uenit ad Patrem, niſi per me, Ioan. 14. Item alibi de eodem ſcriptum eſt, quòd habeat clauem domus Dauidis in humeris ſuis, & aperiat, nec ſit qui claudat: claudat, nec ſit qui aperiat, Eſaiæ 22. Apoc. 3.

Bernhardus ſuper Matth. Chriſtus porta cœli eſt.

At quínam per hanc portam intrabunt? Reſpondet Dauid, Pſal. 118. Per portam ad DOMINVM iuſti ingredientur. In quod dictum Hieronymus ſic commentatur: DOMINVS IESVS CHRISTVS eſt porta Patris, per quam itur ad eum: ſed nemo ingredietur, niſi iuſtus, iuſtificatus nimirum per eum, qui ex iniuſtis iuſtos facit.

Ad hanc principalē & ſummā portam, quę CHRISTVS eſt, omnes reliquæ militātis Eccleſiæ portæ rectà ducent, quæ Pſalm. 87. Sionis portæ, quas DOMINVS diligat, Pſal. 118. iuſticiæ portæ, & Apoc. 21. portæ Vrbis illius magnæ & Agni ſponſæ, ex margaritis duodecim conſtructæ, nominantur ac Apoſtoli, cæterique Eccleſiæ fideles miniſtri per eas intelliguntur, quos portas nominare poſſumus, quòd claues cœlorum regni habeant, & ſua doctrina nobis aditum in ſpiritualem Sionem demōſtrent, ad Deum ipſum, per regiam portam CHRISTVM, directò intendentes.

Spiritualis Sionis ſecundariæ portæ.

Hieron. Quomodo ꝑ plures margaritas ad unum pergitur margaritum: ſic per multas uias & portas (ſano ſenſu) peruenimus ad eum, qui dicit ſe eſſe uiam & portam, per quam ingredimur ad Patrē.

HISTORIA.

IEremiam DOMINVS iubet in typica illa prima filiorum populi porta, & in omnibus reliquis Ieroſolymæ

portis ad Reges, cunctosq; Iudæos, clamare: ut si onera die Sabbathi nec per portas ferant, nec ex ędibus suis efferant, sed diem Sabbathi sanctificent, quemadmodum in mandatis habeant, tum Reges & Principes, qui in solio Dauidis sedeant, omnesq; ipsorum proceres, urosq; Iudæos, & Ierosolymę ciues ingressuros Vrbem, curribus & equis insidentes, Vrbemq; in sempiternum habitandam, uenturosq; ex Iudææ Ciuitatibus, qui sacrificia & gratiarum actionem in Domum DOMINI inferant: Sin autem non obedierint huic mandato, DOMINVM succensurum ignem in portis Ierosolymæ, qui eius arces consumat inextinctus, Cap. 17. Cum ergo Iudæorum aures talibus monitis nō paterent, in Babylonica & tandem Titi expugnatione accidit, quod Ieremias prędixerat, quemadmodum is ipse his uerbis lamentatur: Viæ Sionis lugent, omnesq; eius portæ sunt desolatæ, Thren. 1. Et Micheas ait: Descendit à DOMINO malum usque ad mei populi portam, Cap. 1.

Typici Sabbathi feriæ.

INTERPRETATIO.

SIc & nobis eueniet, ut nisi Sabbathū ab omnibus malis operibus agamus, Dominique præceptis accuratè insistentes, ad eius uoluntatem uitam omnem dirigamus, foris bello propugnacula nostra, quantumuis ea munita appareant, deturbabuntur: intus autē in cordis nostri porta ignis accendetur, quem Esaias dicit non extinguendum, ut fiamus opprobriū, & triste omni carni spectaculum, Cap. 66.

Spiritualis Sabbathi obseruatio.

Cyrill. Festi dies Christo spiritualiter agentur ab iis, qui se totos Christo dedicarunt, & consecrarunt in Templū.

CAP.

CAP. IIII.

מעלה העיר.

κλίμαξ τῶν ἀναβαινόντων

Gradus aſcendentium.

Si quis in excelſam cupiat conſcendere Sion,
Per noſtros opus eſt ſcandat ut ille gradus:
Sic & ad immenſum ſi quis contendat Olympũ,
Huic modò per Chriſtum ſemita certa patet.

HISTORIA.



A PRIMA ex tenebroſa ualle porta, gradus in Sionem erant, altitudine, ut quidam uolunt, 780. pedum, per quos ſolùm aſcenſus & deſcenſus patebat, nec aliunde quiſquã eum montem adire poterat, abruptis undiq; obſtantibus rupibus. Quorum graduum Nehemias recordatur his uerbis: Sallumus Cholhozæ filius ædificauit murum fontis Selaę ad hortum Regis, uſque ad gradus, qui ex Ciuitate Dauidis deſcendunt, cap. 3. Et cap. 12. Hi ad portam fontis per gradus ciuitatis Dauidis aſcenderunt, per aſcenſum muri ſupra Dauidis domũ.

Deſcriptio graduum in Sionem.

INTERPRETATIO.

Spirituales gradus.

HI uerò iamdicti gradus deſignare poterãt æternum Verbum, ſeu Filium illum Dei, CHRISTVM IESVM, qui in tempore plenitudinis ex cœleſti Sione in tenebroſam huius mundi uallẽ deſcenſurus, & per ſancti Spiritus operationem, è Dauidis ſemine, in Iudęa incarnandus erat, eò nempe, ut in ipſo nos aſcẽdere, & per ipſius carnẽ omnis reliqua caro ſuperas euadere ad auras, cœleſtisque ſpeculæ fulgoris particeps fieri queat.

Cyrill. in Theſauro: Verum patris Verbũ, Filius eſt.

Irenæus lib. 4. ca. 37. Verbum homo factum, ut hominem coniungeret Deo, ut regeneraret homines in Deũ, ut in carnem Domini incurreret paterna lux, & à carne eius ſplendida ueniret in nos, ac ſic demum homo ueniret in incorruptibilitatẽ, lumine paterno circundatus.

Quod ut tandem aliquando cõfieret, Esaias cupidè desiderauit hoc modo: Propter Sionẽ non tacebo, & propter Ierusalem non conquiescam, donec egrediatur, ut splendor, eius iusticia, eiusque salus tanquam lampas ardeat, & uidebunt Gentes tuam iusticiam. Cum autem CHRISTVS Ierosolymis pręsens in carne existeret, de seipso ita dicebat: Descendi de cœlo, ut eius uoluntatem faciam, qui me misit. Videbitis filium illum hominis eò ascendentem, ubi erat prius, Iohannis 6. Et .16. Exiui à Patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem. Item 20. Ascendo ad Patrem illum meum. Item 12. Si è terra excitatus fuero, omnes ad meipsum trahã. Ego sum uia, Ioan. 14. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ, Ioan. 9. 12. Et Paulus de eo, postquã consummata dispensatione redijsset in cœlum, Qui descendit, inquit, idem ille est, qui etiam ascendit longè suprà omnes cœlos, ut impleret omnia, Ephes. 4.

Augustinus super Matth. Ego sum uia, ueritas, & uita. Quasi dicat: Qua uis ire? Ego sum uia. Quo uis ire? Ego sum ueritas. Vbi uis manere? Ego sũ uita. Idem super Ioan. Ambulare uis? Ego sum uia. Falli non uis? Ego sum ueritas. Mori nõ uis? Ego sum uita.

Quòd uerò per Christum & ipsius carnẽ nobis aditus in supernam Sionem patefactus sit, id adductus iam Paulus alibi ita testatur: Per illũ (Christum nempè) habemus aditum in uno spiritu ad patrem, Ephes. 2. Et ad Hebr. 10. scribit, Nos habere libertatem ingrediendi Sacrarium in sanguine Christi, ea uia, quam is nobis dedicârit recentẽ ac uiuam, per uelum, hoc est, per carnem suam. Quo pertinet etiã illud Origenis dictum: Ad hoc Verbum in carnẽ descendit, ut in ipsum caro, id est, homo credens, per carnem in Verbum ascendat, ut per naturalem Filium unigenitũ multi filij efficiantur adoptiui: non propter seipsum Verbum caro factũ est, sed propter nos, qui nõ nisi per Verbi carnẽ potuissemus in Dei filios transmutari. Solus descendit, ut cũ multis ascenderet. De hominib. facit Deos, qui de Deo facit hominem.

August. de Ciuit. Dei, lib. 11. cap. 2. Deus Dei filius homine assumpto, nõ Deo consumpto eandem constituit atque fundauit fidem, ut ad Deũ iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim Mediator, 1. Tim. 2. per id, quod est Mediator, est homo, & uia perueniendi ad Deum.

Hæc

Hęc quoq; res per ſcalam illam deſignata eſt, quam Iacobus uidit in terra poſitam, capite pertingentē cœlum, & per eam Angelos Dei aſcendentes atque deſcendentes, & DOMINVM incumbentem ſuper eam, eidemq́ue promittentem, in ſemine ipſius omnes terræ familiâs benedicendas, Geneſ.28. Vbi ſcala carnē Christi adumbrauit, quam is in terra de filia Iacobi, Maria ſcilicet uirgine, aſſumpſit, & peracta crucis diſpenſatione in cœlum illud nouum, ubi Iuſticia regnat, longè ſupra omnes creatos cœlos, ad Deum in eius gloriam euexit. Angeli per ſcalã eam deſcendentes & aſcendentes, Chriſtianos repreſentant: hi ex carne & oſsibus CHRISTI supernè regenerantur, & rurſus per eandē eius carnem cœleſtia intrant, ibidem cum illo in gloria & felicitate æterna ſemper manſuri atque regnaturi. *Significant* quoq; Angeli illi, fideles Dei legatos ſeu Apoſtolos, quos neceſſe eſt antè per CHRISTVM in cœlum ad Deum fidei pedibus conſcendere, ibidemq́ue ſpiritualia dona accipere, quàm in mundum exire, diſpenſatoresq; myſteriorum Dei fieri, & CHRISTVM atque Deum ita prædicare poſsint, ut fructum ferant, eorumq́ue fructus duret, Ioan.15.

Gloſſa Ordin. in Geneſin: Scala ſignificat gradus generationū, per quos Verbum deſcendit, ab Abraham uſque ad uirginem Mariã, quę ipſum peperit. Quòd Dominus ſtabat ſupra ſcalam, ſignificat deitatem unitam carni. Ipſe eſt ſcala, qui ait Iohan 14. Ego ſum uia. Surſum eſt in capite, deorſum in corpore, id eſt, Ecclesia, ad ipſum aſcenditur, ut in excelſis intelligatur.

Gregor. In altitudine ſua diuinitas à nobis apprehendi nō potuit, ideo ſtrauit ſe hominibus per humanitatē, ut quaſi in iacente aſcenderemus, & in ſurgente leuaremur.

Gerſon. Scala quã uidit Iacob, cuius capiti Deus innixus, ſignat humanitatē Chriſti, cui Deus unitus.

Per CHRISTVM etiam noua illa Ieroſolyma, id eſt, Eccleſia Chriſtiana, de cœleſti Sione deſcendit, ut Ioannes Apoc.21. ſcribit: *Se eam uidiſſe à Deo de cœlo deſcendentem, paratã, ut ſponſam uiro ſuo ornatam.*

Nec aliunde uſquam ad ſuperas ſedes, & ad Deum patet acceſſus, niſi per CHRISTVM, ut is ipſe ait: Nemo uenit ad Patrem, niſi per me, Ioan.14. Et Ioan.3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius ille hominis, qui eſt in cœlo. Quæ uerba Auguſtinus ita explicat, Vt ſint homines cœleſtes è terrenis, & ſpiri-

Beda ſuper illud: Nemo aſcendit in cœlũ, niſi, &c. Ioan.3. Quiſquis in cœlum aſcendere deſiderat, ei qui de cœlo deſcēdit, decet, ut in cœlo uera ſe fidei & dilectionis unitate cōiungat, apertè intelligens, quòd nullo alio ordine, niſi per eum, qui de cœlo deſcendit, in cœlũ aſcendere poſſit.

tualis regni participes fiant, id nullo alio modo adipisci poterunt, nisi CHRISTO per Spiritum agglutinati, membra eius efficiantur: Vt sic solus CHRISTVS, qui tanquam caput descendit, cum corpore, quod assumpsit, & omnibus membris quæ ei per fidem adhærent, ascendat. August. de Baptismo paruulorum. Et de Symbolo ad Catechismum.

Proposita igitur nobis hac semita, Eia agite ueniamus (ut Prophetę nouissimo tempore populos alterutrum sese inuitaturos prænunciant) & ascendamus ad montem DOMINI, & ad domum Dei Iacobi, & is nos suas uias docebit, & in eius semitis ambulabimus, Nam ex Sione (cœlesti) Lex (Spiritus uitæ) & Verbum (illud æternum) è Ierusalem egredietur, Esaiæ 2. Mich. 4.

Quid uerò tandem illis expectandum sit, qui per CHRISTVM nō ascendunt, nec eum pro DOMINO atq; Rege suo agnoscere uolunt, Zacharias indicat hoc modo: Qui non ascenderint de familijs terræ in Ierusalem (in Sanctorum Dei cōmunionem) ut (ibi) adorent Regem, DOMINVM illum Sebaoth (CHRISTVM scilicet, uerum Deum, & supernæ Principem militiæ) non descendet super eos imber (gratiæ diuinæ & cœlestis benedictionis) sed plaga afficientur, qua DOMINVS omnes Gentes percutiet (id est, arescent in peccatis suis, & maledictio æterna eos manebit) Cap. 14.

CAP.

CAP. V.

מצדת ציון·

Περιοχὴ φρουρίου·

Excelſa Arx Dauidis.

Ceu Iebuſæos Rex Dauid depulit hoſtes
Hac ex Arce, fugans agmina tetra procul:
Sic Deus è mundo Sathanam pulſauit atrocem,
Qui nihil in Sanctos poſtmodò iuris habet.

HISTORIA.



N ſummo Sionis uertice primitùs alta atque munita Arx fuit, quam Iebuſæi, Iebu filio Chanaanis prognati, diu tenuere, nec unquam ab Iſraelitis expugnari poterat, tantiſper dum Dauid eam uirtute ſui Imperatoris Ioabi cœpit, & Iebuſæos inde ui eiecit, ueluti in Libris Reg. 1. Paral. & ſimiliter apud Ioſephũ ſcriptũ extat, quòd ſcilicet poſtquam Dauid cum omnibus ſuis uiris Ieroſolymã, quæ tum Iebus eſſet, & à Iebuſæis adhuc magnã partem incoleretur, ad exterminandos Iebuſęos, & Arcem oppugnandam profectus fuiſſet, Iebuſæos in cõtemptum eius in mœnibus cœcos & claudos collocaſſe, dictitantes: Non intrabit Dauid huc, cœci enim & claudi eum facilè arcebunt: tum Dauidẽ ad ſuos ita pronunciaſſe: Quiſquis Iebuſæũ primò expugnauerit, & per canalem (ſeu fiſtulam pluuialẽ) in Arcem euaſerit, claudosq; & cęcos, Dauidis animæ inuiſos, percuſſerit, hunc Imperatorẽ, & totius exercitus Ducem fore: Primùm igitur aſcendiſſe Ioabum Seruiæ filium, & ſic Imperatorem factum, Dauidem uerò Arce capta, & Iebuſęis indè eiectis, in ea habitaſſe, & Ciuitatem Dauidis eam appellaſſe, 2. Reg. 5. 1. Par. 11. Antiq. lib. 7. cap. 2. & 3. *Arcis Sioneæ deſcriptio.*

INTERPRETATIO.

IEbusæi conculcatores, & conculcati dicuntur, denotant hoc loci antiquum illum serpentem Diabolum, cum omnibus ipsius asseclis, malis nempè Angelis, qui statim à principio sui ortus in ueritate non consistens, proposuit in cælestis Sionis Arce regnare, & ibidem iuxta Deum ponere thronum suum, sed inde tum à Deo profligatus, & ad terram deturbatus est, de quo, ut quidem Orthodoxi Patres testantur, in Esaia, sub Regis Babyloniæ persona, ita dicitur: Qui dixisti in corde tuo, Ego cœlum ascendam, supernè iuxta stellas Dei meum exaltabo solium, & in monte congregationis, in Aquilonis sedebo lateribus, supra nubium altitudinẽ ascendam, altissimo similis fiam (ecce) ad inferos depressa est ista tua superbia, Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, auroræ fili, & deturbatus es ad terram? Cap. 14.

Apoc. 12. *Ioan. 8.*

Cum uerò deinde idem iste Serpens Adamum per inuidiam in terreno Paradyso ad transgrediendum diuinum præceptum pellexisset, & eum sub potestatem suam in peccatum & mortem pertraxisset, factus ita hominis atque totius mundi Rex, cui nemo resistere, nec eum ulla ui expellere, aut eius imperium dissipare posset: descendit de cælo ipse ille Deus, qui eum antè de cælo deiecerat, & factus est homo ex Dauidis semine, ac Deus homo, unus CHRISTVS, & unus Dei Filius existens, per Dauidem & Ioabum pręfiguratus, adortus est Iebusum istum fortem, possidentẽ omnia cum bona pace in regno suo, qui citò sentiens ipsius uirtutẽ, arreptis armis cæpit suum atrium custodire, & CHRISTO, cęcis illis, qui cæcorũ duces dicuntur, ac claudis in utrunque crus claudicantibus, hoc est, Pharisæis, Legisperitis, & reliquis occæcatis Iudęis sedulò resistere, dicentibus: Nolu-

Genes. 3. *Rom. 5.* *Monomachia Christi cũ Sathana.* *Galat. 4.* *Lucæ 11.*

Tertul. lib. 4. cõtra Marcionem, Cęci in recuperatione Sionis offenderant Dauidem, illi resistentes, quò minus admitteretur, in figurã populi, proinde cœci nõ admissuri quãdoq; Christum filiũ Dauid, & regnum illius.

Nolumus hunc ſuper nos regnare, crucifigatur, non ha bemus Regem, niſi Cæſarem. At CHRISTVS, ut fortior ille Ioabus (id eſt, filius Patris cœleſtis nimirum) per anguſtam crucis fiſtulam, murumq́ue qui contra ſe poſitus erat, mortem ſcilicet tranſiliens, accepit omnem in cœlo & in terra poteſtatem, & ſic antiquum mundi Regem, aduerſarium ſuum, eiecit foràs, eiusq́ue caput conculcauit, ſublatis uniuerſis eius armis, in quibus con fidebat, & ſpolijs diſtributis. Cæcos autem & claudos iſtos Phariſæos atq; Iudæos, qui nolebant ut ipſe in eos regnaret, per Romanos ultima obſidione occidendos, & domũ eorum diripiendam curauit: ac tunc ſpirituale ſuum regnum ad Gentiles transferens, eorum caput atque Rex cœleſtis factus eſt.

Ioan. 19. *Ioabus exponitur filius patris, aut patrẽ habens.* *Matth. 28.* *Ioan. 12.* *Lucæ 11.* *Lucæ 19.*

Hoc totum ſic fore, DOMINVS iampridem antè, in figura cõculcandi Aſſuri, his uerbis prædixerat: Prorſus ut ſtatui, decreuiq́;, ita fiet atq; eueniet, ut Aſſurum (id eſt, inſidiatorem, Serpentem nempe antiquum, ſeminis mulieris calcaneo inſidiantem) in terra mea obteram, & in montibus meis conculcem eum, faceſſatq́ue ab eis illius iugum, & onus ex eorum dematur humeris, Eſaiæ 14. Et alibi: DOMINVS in Arce habitantes deprimet, Ciuitatem ſublimẽ humiliabit: humiliabit, inquam, eam uſque ad terram, eam pes, pedes pauperum, greſſus egenorum conculcabunt, cap. 26. Item Dauid in Chriſti perſona: Perſequar meos inimicos, inquit, & eos comprehendam, nec reuertar, donec conſumpſero eos, cõfringam illos, nec ſurgere poterunt, mihi ſub pedes collabentur. In DOMINO exercitũ conteram, & in Deo meo tranſiliam murũ. Comminuã eos ut puluerẽ, & ut lutũ eos attenuabo. Tu me à populi (occæcati) cõtra dictionibus erues, & me in Gentiũ caput cõſtitues. Filij alieni defluẽt, & intrà clauſuras ſuas claudicabũt, Pſal. 18.

Aſſur dicitur inſidians. *Geneſ. 3.*

Hæc uerò omnia per Christũ nunc impleta, Euangelistæ passim testantur, cum, uerbi causa, scribunt: quomodo is præsens in carne Dæmonia eiecerit, & Sathanam iam eiectum foràs, professus sit, Pharisæis quoque & reliquis ipsi contradicentibus, nec eum pro Rege & promisso Messia agnoscere uolẽtibus, dixerit: Auferendum ab illis Dei regnum, & genti dandum fructus edituræ, domum eorum desolatam relictum iri, ipsumq; eos adducendos, & coram seipso interficiendos curaturum.

Marci 1. *Ioan. 12.* *Lucæ 19.* *Matth. 21. 23.* August. Gentes imitantes fidẽ Abrahæ, filij facti sunt, Iudæi degenerãdo à fide exhæredati.

Paulus quoque de CHRISTO ex Psalmo 68. ita testatur: Quum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, Ephes. 4. Et ex Osea: Absorpta est mors in uictoriam. 1. Corinth. 15. Ac rursus: CHRISTVS carnis & sanguinis particeps factus est, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberos redderet, quotquot mortis metu per omnem uitam seruituti erant obnoxij, Heb. 2. Idem rursus: CHRISTVS expoliatos principatus ac potestates ostentauit confidenter, triumphans de illis in semetipso, Coloss. 2. Ad obstinaces uerò & obcæcatos Iudæos adductus iam sæpè Apostolus sic dicit: Videntes uidebitis, & non perspicietis, ac quia Dei Verbum repellitis, & uos æterna uita indignos iudicatis, ecce cõuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis DOMINVS:

Historici duodecim annos Discipulos in Iudæa prædicasse narrant, tertio autẽ decimo egressos ad Gentes. *Esaiæ 49.*

Ego te in Gentium lumen posui, ut sis
usq; ad terræ extremũ salus,
Actor. 13. & 28.


CAP.

CAP. VI.

בית לדוך ארדים

οἶκος κέδρινος.

Domus Dauidis Cedrina.



Arx hæc Sionis multo deuicta labore,
Cesſit in egregiam Rex tibi ſancte domum:
Dum tua Cedrinis fabricatur Regia tignis,
Conuenit in Chriſtum talis imago Deum.

HISTORIA.



DAVID expugnata Sionis Arce, & inde Iebuſæis deturbatis, ex ea ſibi Regiam ædificauit, mittente ei ad hoc Hiramo Rege materiam Cedrinam, architectos & fabros, ac per omne ſui Regni tempus deinceps ſedem atque domicilium inibi collocauit. Vnde ea indigenis Arx ac Ciuitas Dauidis, & à firmitate

Ioſeph. Antiq. lib. 7. cap. 3.

Ioſeph. de Bel. lib. 6. cap. 6.

Caſtellum, à lignis uerò, ex quibus conſtructa erat, Cedrina dicta eſt, qua de re in ſacris Hiſtorijs ita legitur: Dauid cœpit Arcem Sionem, quæ Dauidis eſt Ciuitas (poſtea dicta) & habitauit Dauid in ea Arce, eamq; Dauidis Ciuitatem appellauit. Miſit autem Hiramus Rex Tyri legatos ad Dauidem, lignaq́ue cedrina, & fabros lignarios, artificesq́ue lapidũ ad parietes (id eſt, latomos) qui domum pro Dauide ædificauerunt. Cognouitq́ue Dauid, quòd DOMINVS eum in Regem Iſraelitarum confirmaſſet, quodq́ue eius regnum, propter ſuum populum Iſraeliticum, exaltaſſet, 2. Reg. 5. 1. Paral. 11. 14. & 2. Paral. 3. Cumq́ue Dauid iam in hac ſua domo habitaret, ad Nathanem Prophetam ait: Ecce ego in Cedrina domo habito, 2. Reg. 7. 1. Paral. 17.

INTERPRETATIO.

Actor. 13. DAuid, uir ille ſecundum DOMINI cor, ſi nomen eius interpreteris, ſonat dilectum: figura eſt eius Dauidis, quem Deus, Ierem. 30. ſe excitaturum promiſit, & cum coram in carne eũ ſiſteret, de eo, uoce è cœlo emiſſa, ſic pronunciari uoluit: Hic eſt Filius meus dilectus ille, in quo mihi complacui, Matth. 3. 17. 2. Petri 1. Et Paulus de eodem ſcribit: Deum nos ſibijpſi gratos reddidiſſe in dilecto illo, Epheſ. 1. Atque is quidem CHRISTVS IESVS eſt, qui deuicto Sathana, eiuſdemq́ue regno in mundo per ſuam crucem deſtructo, cœleſtem Sionem, *Cœlum Sionea Arx.* quæ habitaculum Dei in Scripturis uocatur, conſcendit, & ibi nunc cum Deo Patre ſuo in eius gloria ſedet atque regnat, occupans cœlum, uſque dum tempus reſtitutionis omnium ueniat, & hoſtes eius ſcabellum pedum ipſius reddantur, de quo Eſaias prędicit: In die illa (hoc eſt, CHRISTI) inquiens, animaduertet DOMINVS in Arcis exercitum, qui eſt in Arce, & in terrę Reges, qui

ges, qui in terra ſunt. Erubeſcet Luna; & confundetur Sol, quum regnabit DOMINVS Sebaoth in mõte Sione, & in Ieruſalem, & glorioſe ſuis ſenioribus præſens erit, Cap. 24. Eſdra quoque uaticinatur, Altiſsimi filium è maris meditullio aſcenſurum, & liberata per ſemetipſum ſua creatura, omnibusque, qui præparati ſint contra ſe pugnare, deletis, uolaturum in cacumẽ (cœleſtis) Sionis, quæ tum uidebitur parata, & omnibus ædificata, ac ibi illum tunc conſtiturum, hominumque impietates accuſaturum, & hoſtes ſuos inde porrò debellaturum, 4. Eſd. 13.

Hęc uerò nunc perfecta eſſe, D. Petrus in Actis probat, ita ediſſerens: Dauid non aſcendit in cœlos, ſed ipſe dicit: Dixit DOMINVS DOMINO meo, ſede à dextris meis, donec tuos inimicos ponam ſcabellũ pedum tuorũ. Certò ſciat, ergo tota Iſraelis domus, quòd DOMINVM & CHRISTVM fecerit Deus hunc eundem IESVM, quem uos crucifixiſtis, Cap. 2. Ac rurſus: CHRISTVM oportet cœlum capere uſque ad tempora reſtitutionis omnium, quę Deus locutus eſt per os omnium ſanctorum ſuorum à ſeculo Prophetarum, Cap. 3. Paulus etiã multis locis de CHRISTO ſcribit, quemadmodum is abolito Diabolo, morteq; abſorpta, & affixo cruci Chyrographo, quod aduerſus nos erat, triumpharit de principatib. & poteſtatibus, ac longè ſupra omnem principatũ, ac poteſtatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen in ipſam Dei gloriam aſcenderit, ubi nunc ad dextram Patris ſui conſideat, & cum eo omnia gubernet, ſegregatus à peccatoribus, & ſublimior creatis cœlis factus, id quod ſupereſt expectans, donec inimici ipſius ſcabellum eius pedum fiant, 1. Corint. 15. Col. 2. Epheſ. 1. 4. Phil. 2. Heb. 1. 2. 7. 9. 10.

Chriſtus è cœlo ad iudicium non ueniet, niſi prius omnia compleantur, quæ per Prophetas dicta ſunt.

Hieron. Chriſtus eſt in gloria Dei Patris, id eſt, in natura & gloria deitatis, dũ unius eſt gloriæ cum Patre Deo.

Regia illa quam Dauid ſibi ex Sionis Arce, depulſo

Iebuſæo, cõſtruxit, mittente ei Hiramo Rege materiam Cedrinam & artifices, ſanctam quoque Eccleſiam deſignat, quam noſter Dauid, ſuo redemptam ſanguine, ſpiritalibusq́ue ex ea Iebuſæis depulſis, in cœleſti Sione, ex Cedro non putreſcente, hoc eſt, ex carne & oſsibus ſuis incorruptis, per Spiritum ſanctum, in domum corpusq́; & tabernaculum ſuum inſtaurat, in qua quidem inſtauratione ei externè, in gratię curſu, artifices illi miniſtrant, quos Paulus ſapientes Architectos, & Cooperarios, atque Dei myſteriorũ Oeconomos uocat, 1. Corint. 3. A uerò illo Hiramo, id eſt, uiuenti excelſè, hoc eſt, à Deo Opt. Max. qui in excelſis uiuit ac regnat, & eius CHRISTO uocatis atque emiſsis.

Eccleſia Sionea Arx.

Epheſ. 5.
1. Pet. 1.

Hilar. 8. de Trin. Hęc uerò uitę noſtræ cauſa eſt, ꝙ in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, uicturis nobis per eum ea conditione, qua uiuit ille per Patrem.

Hierony. ad Alg. Apoſtoli fruſtra dicunt, niſi Chriſtus miſerit.

Hanc interpretationem confirmant, quæ D. Paulus ad Epheſios ſcribit: CHRISTVM ſemetipſum pro Eccleſia expoſuiſſe, ut illam ſanctificaret, eiusq́ue membra ex carne & oſsibus ſuis (generaret) & cum aſcendiſſet in altum, datos Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores ac doctores, ad inſtaurationẽ ſanctorũ, in opus adminiſtrationis, & corporis eius ædificationẽ, Cap. 4. & 5. Ac quod Ioannes Apoc. 21. ait: Se uidiſſe ſanctã Ciuitatem à Deo de cœlo deſcẽdentem, paratã, ut ſponſam uiro ſuo ornatã, & uocem ſe audiuiſſe, dicentẽ: Ecce Dei cum hominibus tabernaculum, & cum eis habitabit.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

IN ſua illa Arcis Sionis Regia Dauid à Deo per Nathanem Prophetã promiſsionẽ accepit, Chriſtum ex ſuo ſemine naſciturũ, qui in Dei nomine domũ ædificabit, cui Deus ſit pater futurus, & eius regni thronũ in æternum uſq; confirmaturus. De qua promiſsione 2. Reg. 7. 3. Reg. 8. 1. Par. 11. Pſal. 89. & Ierem. 23. ſacris Literis proditum eſt. Angelus uerò Gabriel eam Lucę 1. & Diuus Petrus

trus, Actor. 2. Item Paulus ad Hebræos 1. manifestè de CHRISTO explicant. Quibus ueteres Ecclesiæ Patres subscribunt, & ex illis Irenæus sic ait: Quem promisit Deus Dauidi de fructu uentris eius suscitaturum se Regem, hic est, qui ex uirgine, quæ fuit de genere Dauid, generatus est, Quod Elisabeth, impleta Spiritu sancto, testificata, dicens: Benedictus fructus uentris tui.

Vide Lactant. Insti. lib. 4. cap. 13.

August. super Ioannē, Tract. 48. Quia de semine Dauid originem Maria uirgo ducebat, inde Dominus de seminē Dauid erat.

CAP. VII.

המלוא עיר דוד·

Ἀνώπολις·

Ciuitas Dauidis superior, Millo.



Vrbs ego Dauidis Millo sum nomine dicta,
Rex ubi distribuit plurima dona suis,
Splendida cœlestis refero domicilia sedis,
Vnde fluunt cunctis munera larga pijs.

HISTORIA.

Ciuitatis Dauidis descriptio.


AVID absoluta sua in Sione domo, circũ eam & alias ædes pro se heroibusq; & fortibus suis administris toto montis ambitu interiore cõstruxit, ac ea ædificia deinde Ioabũ munitionibus cingere, reliquaq; quæ opus essent, exædificare demandauit. Ioseph. Antiquit. lib. 7. cap. 3. Quę pars ab eodem Scriptore de Bello lib. 6. cap. 7. lib. 1. cap. 1. superior Ciuitas & sacra pars: At 3. Reg. 8. 1. Par. 11. 2. Par. 5. 8. & 1. Mach. 7. Vrbs Dauidis, Secundo autem Par. 25. Ciuitas Iudęæ, A fortibus uerò Dauidis heroibus, eam incolentibus, apud Nehemiã 3. domus fortium, nuncupata est. Ac quia ibi his fortibus suis administris Dauid ex aula sua cibaria, potionem, uestes, munera, & omnis generis diuitias suppeditare solebat, summumq; copiæ cornu, & exundans cunctarum rerum abundãtia ibidem suppetebat, idcircò, inquam, dicta est ea Ciuitas, Millo, hoc est, si interpreteris, plenitudo, πλήρωμα, abundantia, copia, satietas. De qua 1. Par. 15. ita legimus: Dauid fecit sibi domos in Ciuitate Dauidis. Et 1. Par. 11. Dauid Vrbem Millo circumquaque ædificauit, Ioabus uerò reliqua (eiusdem) Vrbis uiuificauit seu instaurauit. Item 2. Reg. 5. Dauid Millo per circuitum & intrinsecus ædificauit.

Millo quid.

INTERPRETATIO.

Cœlũ spiritualis Dauidica Vrbs. Ephes. 4.

ADumbratur hac Ciuitate habitatio cœlorũ in æterno Dei regno, quam habitationẽ filius ille Dei, Deus homo, per Dauidẽ & Ioabũ repręsentatus, captiua ducta captiuitate, ceu fortis bellator, non solũ ꝑ se inijt, sed & in ea suis heroib. qui hic nomen suũ profitẽtur, fortiterq; sese in Christiana militia gerũt, & datis talẽtis sedulò negotiãtur, mãsiones certas parauit, quos etiã rediẽs,

Lucæ 19.

nunc

nunc in ſpiritu illuc ad ſe aſſumit, & ſui eos cohæredes regni, omniumq; bonorum participes facit, ut ibidem panem fortium in menſa ſua comedant, & nouũ in gloria ſui Patris muſtũ bibant, de quo myſterio Eſaias hoc modo uaticinatur: Exaltabitur DOMINVS, quoniam habitat in excelſo, implet Sionẽ iudicio & iuſticia. Iam ſurgam, dicit DOMINVS, iam exaltabor, iam ſubleuabor, formidauerũt in Sione peccatores, inuaſit tremor impios. Quis ex nobis habitabit cum igne deuorante? Quis ex nobis habitabit cum ardoribus perpetuis? Qui in iuſticia ambulat, & æquitatem loquitur, qui oppreſſionum auaritiam reſpuit, manus ſuas, ne munera ſuſcipiat, excutit, qui ſuam aurem, ne ſanguines audiat, obdurat, & oculos ſuos, ne uideant malum, claudit, is in excelſis habitabit, petrarum munitiones erunt eius aſylum, panis ei dabitur, eius aquæ ueraces, Regem in ſuo decore uidebunt oculi tui, uidebunt longinquã terram. Reſpice Sionem, Ciuitatem noſtrarum ſolennitatum, oculi tui uidebunt Ieruſalem, habitationẽ quietam, tabernaculum quod non transferetur, quia uerè fortis DOMINVS nobis uelut locus fluuiorum erit, DOMINVS Rex noſter, ipſe nos ſaluabit, cap. 33. Et Dauid: Aſcendiſti in altum, captiuam duxiſti captiuitatem, accepiſti dona in homines, & etiam rebelles (primò) ut (morigeri facti) DOMINVS Deus eos inhabitet, Pſal. 68. Et Pſalmo 24. Quis aſcendet in montem DOMINI, & quis in eius ſanctitatis loco ſtabit? Mundus manibus, & mundus corde, qui ſuam animam in uanum non accipit, nec doloſe iurat, à DOMINO benedictionem, & à Deo ſuę ſalutis iuſticiam accipiet. Hæc eſt generatio quærentiũ eum, quærentium faciem Dei Iacobi. Eleuate ô portæ capita ueſtra, eleuate uos portæ perpetuæ, & Rex gloriæ introibit. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

August. Da mihi te Deus meus, redde te mihi, &c. omnisq; mihi copia, quę Deus meus non eſt, egeſtas eſt.

Pſal. 78.

Lucæ 22.

Deus ignis conſumens eſt, Deut. 4 Hebr. 12. qui ignis eorum communionẽ non patitur, qui ſibi aduerſantur, ſed qui illuſtrari & purgari ſuo cupiunt ſplendore. Nullus ſanè permanebit, niſi qui hoc igne purgari deſideret.

Bernhar. Serm. 3. feſti Pentecoſt. Iſtud ergo germẽ quod de uirga Ieſſæ uirore uirgineo pullulauit, in magnificentia fuit cum reſurrexiſſet à mortuis, quia tunc Dominus Deus meus magnificatus es uehementer, confeſſionem & decorem induens, amictus lumine, ſicut ueſtimẽto. Quanta autẽ aſcendentis gloria cũ medius Angelorum & animarum ſanctarũ ad patrem deduceris, & triumphatrice palma cæliſ inuectus ſuſceptum hominem, in ipſa diuinitatis claudis identitate. Quis cogitet, nedũ loquatur quã ſit fructus terræ ſublimis in cõſeſſu ad dexteram Patris, quod utique cœleſtiũ oculos reuerberat naturarum.

Cum uerò hic Rex in terra præſens, iamiamq; per crucem atque mortem cœleſtem illam manſionē petiturus, eodemq; fortes ſuos, ſingulos ſuo tempore, aſſumpturus eſſet: ad præcipuos ex illis Heroas, hoc eſt, Apoſtolos ſuos, ſic dixit: In domo Patris mei multę manſiones ſunt (non ſolum mihi, ſed omnibus quoque meis fidelibus paratæ) ſi uerò non (paratæ illę eſſent) dixiſſem uobis, uado paraturus uobis locum. Et ſi abiero, & prę parauero uobis locum, iterum ueniam, & uos ad meipſum aſſumam, ut ubi ſum ego, & uos ſitis, Iohan. 14. Item Luc. 22. Vos ij eſtis, qui mecū permanſiſtis in meis tentationibus, & ego uobis diſpono, prout diſpoſuit mihi Pater meus regnū, ut edatis & bibatis mecum in mea menſa in regno meo.

De eodem Rege, regnante nunc in regno ſuo, Paulus hoc modo ſcribit: Qui deſcendit, idem ille eſt, qui etiam aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia, Epheſ. 4. Et Rex ipſe in Apocalypſi Philadelphienſis Eccleſiæ Angelum ita alloquitur: Quoniā meum patientiæ Verbum ſeruaſti, & ego te ex tentationis hora ſeruabo. Ecce, uenio citò, tene quod habes, ut nemo coronā tuam accipiat. Si quis uicerit, faciam ut ſit columna in Templo Dei mei, nec foràs egredietur amplius, & ſuper eum Dei mei nomen ſcribam, & nomen Ciuitatis Dei mei, & meum nomen nouum, Cap. 3. Idem poſtea dicit: Qui uicerit, poſsidebit omnia, & ero illi Deus, & ipſe mihi filius erit, Cap. 21. Ac Ioānes: Vidi, ait, Agnum (qui tulit peccata mundi, CHRISTVM ſcilicet) & cū eo centum quadraginta quatuor millia, Patris eius nomen in ſuis frontibus ſcriptum habentia, hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, uirgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnū quocunq; ierit, hi ex hominibus empti ſunt primitię Deo & Agno, & in eorū ore nō eſt inuētus dolus, ſine macula enim ſunt ante Dei thronū, Apo. 14.

Ambroſ. Fidei uictoria eſt cū omnia uicia & crimina ſubiugantur, ut ad æternæ uitæ premia ueniatur.

Iohan. 1.

Ciui-

Ciuitas illa Dauidis dicta superior Vrbs, & domus fortiũ,atq; Millo,in qua Dauid habitabat, & circũ eum fortes ipsius milites, quos is ex Aula sua cibabat, omnibusq́; implebat bonis,significat quoq; militantẽ etiamnum in hac terra Ecclesiam, quæ in sacra Scriptura Ierusalem supernè descendens,Item Ciuitas fortitudinis, Vrbs fortium, Adhæc domus Dei,& corpus atq; plenitudo spiritualis nostri Dauidis,Christi Iesu,nominatur, Esa.60.26.Psal.87.93.Ephes.1.Col.1.Apoc.3.In huius Ciuitatis medio Christus tanquã caput, Rex,& uerus Gibor,id est,fortis Gigas, per Spiritũ suum habitat. In circuitu autem ij, qui Christi uirtute in fide,tanquã fortes Athletæ,aduersario resistunt,quos & Christus pane cœlesti indies sustentatos,ex sua plenitudine omnibus spiritualibus bonis adimplet, ueluti D. Ioannes de se & alijs Ecclesiæ mẽbris testificatur,quòd ex plenitudine Christi omnia accipiant,gratiam pro gratia, Cap.1. Ac cap.6. sermonem illum Christi de cibatione & sustentatione omniũ fideliũ multis uerbis persequitur. In Apocalypsi aũt refert Christũ ita pronunciare: Qui uicerit(Sathanam,peccatum,& mundũ) meq́; intromittet,& pœnitentiam aget, is mecũ cœnabit, & ego ei dabo de ligno uitæ,ac manna abscondito, Cap.2.3. D.Paulus quoque ad Ephes.scribit:Christũ Ecclesiam suam enutrire acfouere,Cap.5.Et rursus:Deũ Christo omnia subiecisse sub pedes eius, eumq́; dedisse caput super omnia ipsi Ecclesiæ,quę sit corpus ipsius,&cõplementũ eius,qui omnia in omnibus(mẽbris suis)adimplet,Cap.1. Idẽ ad Coloss. In Christo omnis deitatis plenitudo corporaliter habitat,& uos in illo estis cõpleti, qui caput est corporis Ecclesiæ,principiũ & primas in omnibus, in quo complacitũ est Patri uniuersam plenitudinẽ inhabitare,cap.1.2.

Ecclesia quoq; spiritualis Dauidica Vrbs seu Millo.

Chrysost.super 3. cap. Hebr. Quid est, participes facti sumus Christi? Participamus ex eo, inquit, unum facti sumus nos et ipse, siquidẽ ipse caput est, nos corpus, cohæredes, & concorporales. Vnũ corpus sumus, ex carne eius & ossibus eius: si tamẽ principium substantiæ usque ad finẽ firmum teneamus. Quid est principium substantię? Fidem significat, per quam subsistimus, & nati sumus, & essentiales, ut ita dicam, facti sumus.

Gregorius super Ezech. Ecclesia est una substãtia cum Christo capite suo.

De hac superiori Dauidis nostri ciuitate in Psalterio post literalẽ sensũ mysticôs ita scriptũ legitur: Magnus

DOMINVS, & laudabilis ualdè in Ciuitate Dei nostri, in suæ sanctitatis monte, pulcher termino (&) uniuersæ terræ gaudium, mons Sion, qui est (ad) latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni, Deus in Palatijs eius notus est, ut tutum presidiũ, lætetur mons Sion, circundate Sionem, & circuite eam, numerate turres eius, aduertite cor uestrum ad eius propugnaculum, aspicite eius Palatia, ut enarretis generationi posteræ, Psalm. 48. Et 132. DOMINVS elegit Sionem, expetiuit ut esset sibi habitaculum. Hęc mea requies, in æternum usque hic habitabo, quoniam expetiui eam, uictui eius benedicens benedicam, & eius pauperes saturabo panibus. Sacerdotes eius salute induam, & sancti eius exultando exultabunt. Item Psalm. 22. De te (ô Deus) erit mea laus in Ecclesia magna (ibi) comedent mansueti (cibante eos Christo) & satiabuntur: comedent etiam pingues terræ (oleo læticiæ pinguefacti in noua terra) & laudabunt atq; adorabunt DOMINVM (Christum cibatorem atque Regem suum) Huc quoque dictum illud Domini apud Ieremiam spectat, ubi is de hac Ciuitate & eiusdem incolarum cibatione per CHRISTVM sic fatur: Venient & laudabunt in Arce ipsius Sionis (in Ecclesia) & confluent ad bonitatem Domini, ad frumentũ, ad uinum, ad oleum, & ad pecorum atque boum fœtus, eorumq; anima erit quasi irriguus quidam Paradysus, tunc (ibi) Sacerdotum animam pinguedine (olei læticiæ) perfundam, meusq; populus bonitate mea saturabitur, & omnem lassam atque afflictam animam replebo, Cap. 3.

Hæc demonstratio ad intellectum.

HISTORIA.

SVperiorem illam Dauidis Ciuitatem, eo iam defuncto, filius eius Salomon cum sua coniuge, usq; ad regiæ in monte Moria ædificationẽ incoluit, cumq; eam plerisque in locis corruere uideret, collapsa eius instaurauit

rauit ædificia. Sic enim 3. Reg. 3. ſcriptũ eſt: Confirmato regno in Salomonis manu, is filiam Pharaonis duxit, & eam in Ciuitatem Dauidis introduxit, dum interea domũ ſuam exędificaret. Et 3. Reg. 9. Filia Pharaonis aſcendit è Ciuitate Dauidis in domum ſuam, quam ei (Salomon) conſtruxerat, tumq; Salomon Millonẽ etiã reædificauit, & dirupta Ciuitatis Dauidis patris ſui obſtruxit. *Inſtauratio Millonis.*

INTERPRETATIO.

SIc Filius ille hominis, qui ſeipſum Apoc. 22. radicem & genus Dauidis, Apud Euangeliſtas maiorem Salomone nominauit, Matt. 12. Luc. 11. Eccleſiam ſuam, dum ea hic militat, per fidem inhabitat, ac ſi quæ in illa rimas agunt, ea ſtudioſe obſtruens, omnibus eius uulneribus ſalutarem medicinam facit. De quo Paulus Epheſienſis Eccleſię membris precatur, ut CHRISTVS per fidem in eorum cordibus habitet, Cap. 3. Et cap. 2. de iiſdem teſtimonium perhibet, eos in Dei habitaculum in ſpiritu coædificari. De inſtauratione autem ſpiritualis Dauidis Ciuitatis, per cœleſtem illũ Salomonẽ, huiuſmodi promiſsio in Amoſo uate extat: In die illa (inquit Dominus) reædificabo Dauidis Tabernaculum, quod collabitur, eiusq; murorũ aperturas reficiam, & ruinas ſuſcitabo, & id, ſicut antiquis diebus (iam olim factum fuit) inſtaurabo, Cap. 9. *Reformatio Eccleſiæ.* *Actor. 15.*

HISTORIA.

CVm Millo rurſum ſequentibus ſeculis ruinoſa uſq;quaq; appareret, reparauit illã Hiskias Rex: Sic enim 2. Paral. 32. dicitur, Hiskias Millonem in Ciuitate Dauidis roborauit.

INTERPRETATIO.

HIskias exponitur fortitudo, ſeu potentia DOMINI. Dauid Pſal. 59. ubi ad Dominũ orat, ſe fortitudinem *Hiskiæ nominis notatio & myſterium.*

éius canere uelle, CHRISTVM intelligit, qui 1.Cor.1. fortitudo & potẽtia Dei uocatur, hic ſolus dirutam iterum ſuam Ciuitatem inſtaurare poteſt, ut quidẽ Eſa.51. promiſſum eſt his uerbis: Conſolabitur DOMINVS Sionem, conſolabitur omnes eius ruinas, eiusque deſerta ponet, quale eſt Eden, & ſolitudinem eius ueluti Paradyſum DOMINI, gaudium & læticia, gratiarũ actio, & laudis uox in ea reperietur. Excitare, excitare, indue fortitudinẽ, ô brachium DOMINI (ô CHRISTE, qui brachium & uirtus DOMINI es) ut redempti DOMINI reuertantur, & in Sionem cum laude ueniant.

Brachiũ Domini est ipſe Filius, ſeu æternus Dei Sermo. Sicut enim homo omniaque facit, brachio abſoluit: ſic Deus per Filium ſuum cuncta operatur, conſeruat & reficit.

HISTORIA.

Hiſkiæ filius Menaſſes, ædificauit exteriorem Ciuitatis Dauidis murũ, eumque ualdè exaltauit, 2.Par.33.

INTERPRETATIO.

Menaſſis nominis notatio & myſterium.

Menaſſes dicitur obliuiſcens, aut obliuiſci faciens. CHRISTVS peccatorum lapſæ ſuæ Eccleſiæ, & pro ſe obliuiſcitur, & ut quoque Pater ipſius eorundem obliuiſcatur, ſua reconciliatione, in crucis ara ſemel peracta, effecit: néue in eam deinceps nefandi deſtructores irruere facilè queant, tali muro eam munit, qualis Eſa. 60. his depingitur uerbis: Et uocabis tuos muros Salutem, & portas tuas laudem. Eſaiæ 49. ſpiritualis illa Dei, atque ipſius CHRISTI Ciuitas, ſub perſona Sionis ſic conqueritur: Dereliquit me DOMINVS, DOMINVS mei eſt oblitus. Cui mox DOMINVS reſpondẽs: Nunquid obliuiſcetur (inquit) mulier infantis ſui, ita ut uentris ſui filij non miſereatur? etiamſi obliuiſcerentur illæ, ego tamen tui non obliuiſcar. Ecce in manibus te deſcripſi, tui muri ſemper ſunt in meis oculis. Approperant

perant ſtructores tui, qui autem te euertunt, quique te deuaſtant, ex te emigrabunt. Euerſa tua terra iam futura eſt, quam pro incolis anguſtior.

CAP. VIII.

כסא המלוכה.

Θρόνος τῆς βασιλείας.

Thronus regni Dauidis.

Hoc erat egregium nitido ſplendore Tribunal,
Rex in quo reſidens iura ſacrata dabat.
Denotat ætheream ſedem, regnumque perenne,
In quo Chriſtus idem cum Patre iuris habet.

HISTORIA.



AVID in ſuperiori Ciuitate regalẽ ſuum Thronum habebat, ſplendido apparatu conſtructum, de quo ſacræ Literæ plurimis locis teſtantur, præſertim uerò 2. Regum 4.5.14. 3.Reg.1.2. 1.Par.29. Iere.13.22. Et Pſal.122.in figura ſic ſcriptum eſt: Ieroſolymis collocati ſunt Throni ad iudicium, Throni domus Dauidis. *Typicus Thronus.*

Ex hoc ſuo Throno Dauid in omnes Iſraelitas ac Iudæos regnauit annos tres & triginta, 3.Reg.1.2.2.Reg. 5. faciebatque iudicium & iuſticiam cuncto ſuo populo, 3.Reg.8.1.Par.18.

INTERPRETATIO.

QVi Thronus eius, cœleſtem ſedem & ſupremã Dei maieſtatẽ regendi atq; iudicandi ex æquo & bono omnia, quæ in cœlo & in terra ſunt, denotauit: hinc eſt, *Cœlum uerius Dei thronus.*

August. de Cœna Domini, lib. 13. cap. 28. Cum tanta sit inter signa, & res signatas, cõcordia, & omnia significãtia uideantur earum rerum, quas significãt, sustinere personas, fit, ut symbolicorũ appellatio cõmutetur, & sæpe alterutro totius mysterij summa peritis demonstretur.

quòd ille 1. Par. 29. Thronus DOMINI, & aliàs Thronus æternus nuncupetur, assumente nimirũ figura nomen rei figuratæ.

Verùm quod ad Deum attinet, eius Thronum cœlum uocari, ex Esa. 66. Matth. 5. 23. Actor. 7. patet. Et Psalmo 103. dicitur: DOMINVM in cœlo præparasse suum Thronum, & regnum ipsius omnibus dominari. Matthæi 11. CHRISTVS Deum suum Patrem cœli atque terræ DOMINVM, Et Paulus eum regnantiũ Regem, ac dominantium Dominum appellat, 1. Tim. 6.

De iudicaria autem Dei potestate, Psalm. 5. & 75. ita scriptum legimus: Deus Iudex est. Et Psal. 9. hoc modo orat Dauid: Tu (ô DOMINE) egisti iudicium meum, & causam meam, sedisti super Throno, qui iusticiam iudicas. DOMINVS præparauit ad iudicium Thronum suum, & ipse orbem in iusticia iudicabit, ius populis ex æquo dicet. 1. Reg. 2. inquit Anna: DOMINVS terræ fines iudicabit, Regiq́; suo fortitudinẽ dabit, & sui CHRISTI cornu attollet.

In Ecclesia quoque Dei thronus.

Habet quoque Deus suum Thronum in militantis Ecclesię Sione, quod ea loca, quę de inhabitatione, mansione, & regno ipsius in fidelibus, nimirũ Leuit. 26. 2. Corinth. 6. Matth. 6. Ioan. 14. ac alibi paſsim scripta habentur, insinuant: Huius autem Throni regnum non consistere in externa aliqua moderatione, nec cum obseruatione uenire, sed internum esse, & iusticiam, pacem, atque gaudiũ appellari, uidere est Lucæ 17. Rom. 14. 1. Corinth. 4. De quo & Macarius concionatur: Creatura, inquiens, omnis à Deo regitur & tenetur, attamen non in illis sedem fixit, neq; communionem cum illis inijt, sed in homine solo benè complacitum est ei, quo cum communionem instituat, in illo conquiescens. Hoc modo cogna-

Cyrill. lib. 7. de Trinit. Creatura nunquam deifica intelligi debet, soli Deo hæc res tribuenda, qui suæ proprietatis participationem sanctorũ animabus per spiritum immittit.

cognationem uides Dei cum homine,& hominis cum Deo. Quoniam benè complacitum eſt Deo, hominem diuinæ facere naturæ participem, Homil. 45. 49.

HISTORIA.

Salomonis ſeſſio in Throno ſui Patris.

CVm Dauid prouecta iam ętate eſſet, & ſe morti proximum ſentiret, accerſitis Sadoco Pontifice, Nathaneque Propheta, & Beniacho filio Iehoiadæ, iuſsit ut filium ſuum Salomonem, in monte Gihone Regem unctum, in Throno ſuo in Ciuitate Dauidis ponerent, pro ſe regnaturum: nam ei ſe iam antè præcepiſſe, ut imperium tum in Iſraelitas, tum in Iudęos teneret. Cui Dauidis mandato mox ſatisfactum eſt. Et Salomon, uiuente adhuc Patre ſuo, in eius throno ſedit, Eoq; mortuo, confirmatum eſt illius regnum, proſpereque egit, & uniuerſus Iſrael illi parebat, 3. Reg. 1. 2. Par. 29. Ioſephus Antiq. lib. 7. cap. 11.

INTERPRETATIO.

Chriſti ſeßio in Throno ſui Patris.

HOc loco Dauid figura eſt Dei Patris, Salomon autem Filij Dei, CHRISTI IESV, qui iuxta Verbum iam inde ab omni ęternitate cum Patre ſuo in eius throno, ut æqualis cum eo Rex & uniuerſorum Iudex, ſemper conſedit: iuxta carnem uerò, poſt crucis diſpenſationem, in ſua clarificatione in eundem illum thronũ ſublatus, & Rex omnipotens, ac uiuorũ atq; mortuorum Iudex conſtitutus eſt.

Theophyl. in illud: Sedere eum fecit ad dextram maieſtatis in excelſis. Nõ ſedere hunc dicit, perinde ceu loco aliquo Deus circũſcribatur, ſed ut Filium Patri honore parẽ oſtendat & gloria: ad patriũ enim thronum peruenit. Et ut Pater ſublimis ſedet, ſic & Filius excelſa conſcendit.

De diuinitate CHRISTI ita, ſub nomine Sapientię, apud Syrachum ſcribitur: Ego (inquit Sapientia) in excelſis domicilium habui, & in nubis columna meũ thronum, Cap. 24. Et Prouer. 8. A ſœculo principatũ habui. Ioan. 17. CHRISTVS de ſua diuinitate, in oratione illa

Hylar. Filius caro factus orabat Ioan. 17. ut hoc Patri caro inciperet esse quod Verbũ, ut id quod de tẽpore erat, gloriã eius, quæ sine tẽpore est, claritatis acciperet.

ad Patrem, dicit: Se gloriam apud eum ante conditum mundum habuiſſe. Item Ioan. 12. ſic inquit: Verbũ quod ego locutus ſum, in extremo die iudicabit. Quo dicto, ut Auguſtinus interpretatur, DOMINVS ſatis manifeſtauit, ſeipſum in nouiſsimo die iudicaturum: ſeipſum quippè locutus eſt, ſeipſum annunciauit.

Tertull. ſcribit, Carnẽ Chriſti ad dextram Dei patris in cœlis prę ſidere, & uenturam inde è ſuggeſtu paternę claritatis

Quod uerò ad hominem in CHRISTO attinet, is ipſe de ſe hoc modo poſt reſurrectionem teſtatur: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, Matth. 28. Et Apoc. 3. idem ait: Ego uici, & conſedi cum meo Patre in eius Throno. Apoſtolus de eodem ad Hebræos ait: Intueamur in fidei auctorem & cõſummatorẽ IESVM, qui uice propoſiti ſibi gaudij pertulit crucem, ignominia cõtempta, & in dextra throni Dei conſedit, Cap. 12. Et cap. 8. Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera throni maieſtatis in cœlis. Idem 1. ad Epheſ. cap. Deus, Pater ille glorię, ſuſcitauit CHRISTVM ex mortuis, & ſedere eum fecit in ſua dextera in cœleſtibus, longè ſupra omnem principatum, ac poteſtatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in ſæculo hoc, uerumetiam in futuro, & omnia ſub eius pedes ſubiecit. Similiter Ioannes Apoc. 17. Agnus Dominorum eſt DOMINVS, & Regum Rex. Iam de iudicaria hominis CHRISTI poteſtate is ipſe Ioan. 5. ita de ſe fatur: Pater Filio poteſtatem iudicandi dedit etiã, quia (uel quatenus) filius hominis eſt. Et Paulus, Actor. 17. Deus ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem terrarũ in iuſticia, in Viro quem definijt, fidem prebens omnibus, illo ex mortuis excitato.

Theophyl. in illud: Sedere eũ fecit ſupra omnem principatũ, &c, Supra dixit Apoſtolus, ut ſummã oſtenderet ſublimitatẽ, ab infimo namq; ad excelliſſimũ gradũ humanam quæ Chriſto inerat naturã ſubuexit, de hac quippe diſſerit. Vniuerſæ itaq; Angelicæ poteſtati humana præſidet natura.

Quandòquidem iudiciũ erit in omnem carnem, idcirco in carne iudicabit Deus.

Quia uerò CHRISTVS in throno ſui Patris, etiã ſecundũ carnem, cõſedit, ibidemq; nunc cũ eodẽ regnat, hinc thronus ille, thronus Dei & Agni ſimul, Apoc. 22. appel-

appellatur. Et Paulus Ephes. 5. regnum cœleste, regnum Dei & CHRISTI uocat.

Porrò quemadmodum paulò ante comprobauimus, Deum Patrem non solum in cœlesti, sed etiam in credentium Ecclesiæ Sione suum habere Thronum, in qua regnet & iudicet: ita sciendũ est, eum quoque suum Filium, ex Dauidis semine iuxta carnem natũ, huic Sioni, ut caput, Rex atque Iudex in ea foret, pręposuisse, uelut is ipse Psalmo 2. testatur: Ego constitui Regẽ meum (CHRISTVM) super Sionẽ, meæ sanctitatis montem, (id est, super omnes fideles, ex Iudęis præsertim electos) Ac statim idem pater hunc suum Regem ita affatur: Postula à me, & tibi Gentes (non solum Iudæos) in hæreditatem, atque terræ fines in possesionem dabo (ut omnis lingua confiteatur, DOMINVM te esse in tui Patris gloria, Phil. 2.) Virga eos ferrea conteres (id est, rectitudinis uirga, Psal. 42. & oris tui Spiritu, arguente mundũ de peccato, iusticia, & iudicio, Ioan. 16.) tanquam figuli uas eos comminues (in regeneratione eos tibi subijcies, & ad imaginem Dei reformabis) De hoc Rege Michee 4. talis promisio extat: In die illa, dicit DOMINVS, colligam claudicantem, & eiectam congregabo, regnabitque DOMINVS (CHRISTVS) super eas in monte Sione, ex eo tempore, & usque in perpetuum. Lucæ autem 1. Angelus ad DOMINI Matrem dicit: Ecce concipies in utero, & paries Filium, ac uocabis nomen eius IESVM: Hic erit magnus, & altisimi Filius uocabitur, eique dabit DOMINVS Deus Thronũ Dauidis ipsius patris, regnabitque super domum Iacobi in æternum, & eius regni non erit finis. Et Paulus ad Ephesios: Deus DOMINI nostri IESV CHRISTI, Pater ille gloriæ, dedit CHRISTVM caput super omnia ipsi Ecclesiæ, Cap. 1. Idem Hebręos 8. IESVM λειτουργῶν, Administrato-

In Ecclesia Christi Thronus.

Hęc est æterna & incommutabilis Dei uoluntas, ut Christus regnet, & Rex sit, quantumuis à suis primò negligatur, in quorũ uicẽ Gentes successere.

Nostri comminutio in Christi regno est salutifera, quoniam innouari nos oportet, postquam opus Dei in nobis Sathan destruxit, quod per Christum reparatur, ut conformes simus Dei filio.

Ambros. in hoc ipsum dictũ. Non ideo dicit Angelus, erit magnus, quòd ante partũ Virginis magnus nõ fuerit, sed quia potentiam quam Dei filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus, ut una sit persona Deus & Homo. Et citatur 3. Senten. Dist. 14.

rem ſanctorum,ac ueri illius Tabernaculi, quod fixerit Deus,&non homo,nuncupat.

HISTORIA.

Tertio Reg.3. & apud Ioſephũ Antiquit. 8. cap.2. memorabilis hiſtoria, de difficili quadam cõtrouerſia, à Salomone,in Regem iam cõfirmato & magna à Deo ſapientia donato,prudenter admodum dijudicata,perſcripta eſt:quæ quia ad Thronum illum Dauidicum,de quo hic agimus,tractata fuiſſe uidetur,&aliàs myſterio non caret inuoluto,eam hic quoq; enarrare,&interpretando paucis euoluere uiſum fuit: Duæ mulieres meretrices uenerunt ad Regem (ſedentem in Dauidis Patris ſui throno) & ubi coram eo conſtiterunt,altera earum ſic exorſa eſt:Obſecro Domine mi,ego & mulier iſta in eadem habitamus domo,peperiq; apud eam domi, tertio poſt die peperit & ipſa, eramusq; ſimul, nec fuit extraneus nobiſcum domi, præter nos duas. Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte, quia incubuit ei.Et conſurgens, tulit filium meum, dormiente tua ancilla, poſuitq; eum in ſinu ſuo,filium autem ſuum mortuum collocauit in ſinum meum. Manè ubi ſurrexi lactatura filium,ecce mortuus erat,&conſiderans eum,non erat ille quem ego pepereram.Tum altera ait:Nequaquam, ſed filius meus uiuit,tuus autem mortuus eſt. Rurſumque illa: Non,ſed filius tuus eſt is, qui mortuus eſt, & filius meus eſt is,qui uiuit. Ad hunc modũ cum illæ apud Regem cõtenderent, Rex tandem ait:Afferte mihi gladium,& diuidite illum uiuentem in duas partes, & date utriq; dimidium. Hic illa,cuius uiuebat filius,cõmotis eius uiſceribus erga filium,Regi ita dicere: Detur iſti potius totus, quàm ut interficiatur. At altera,nec meus eſto,nec tuus,inquit,diuidatur. Tum Rex ait:Date huic quæ

Duarum meretricum lis à Salomone dijudicata.

Et uerũ & fictũ amorẽ res ipſa detegit.

quæ dixit, ne interficiatur, puerũ uiuum: hæc enim uera eius mater est.

INTERPRETATIO.

DVæ istę meretrices sunt Ecclesia & Synagoga, id est uera pietas & hypocrisis: omnes enim à natura peccauerunt, & Dei gloria egent, Rom. 3. Sed illa per fidem in CHRISTVM sanctificatur, hęc in peccatis usq; manet, dum sanctificari, quæ fide caret, non potest: hæ simul fœtus in una domo pariunt, quia ambæ ex una Dei familia uideri uolunt, & operum fructus producere, ac semper coram Salomone, id est, CHRISTO, uiuorum ac mortuorũ Iudice, contendunt: dum utraq; dicit sibi uiuentem deberi fœtum, suaq; demum opera uera esse: sed CHRISTVS illi adiudicat fœtum, in qua cordis affectũ moueri uidet, id est, ueram cordis fidem, cuiusq; opera ex Deo facta sint: altera Hypocrisi & mendacio confunditur. *Duarum meretricum mysterium.*

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.


POst Salomonem & nepotes Dauidis in eius throno sederũt, ex quibus scelerati causa excidij illius throni & sublati regni Dauidici externi fuêre, boni autem figuram eorũ prætulêre, quos D. Petrus genus electum, regale sacerdotium, ac gentem sanctam nominat, 1. Pet. 2. Quales & Apostoli extiterunt, & adhuc omnes uerè Christiani sunt, de quibus CHRISTVS Apoc. 3. ita loquitur: Qui uicerit (diabolum, mundũ, & carnem suam in Christiana militia) ei dabo mecũ in meo sedere throno, sicut & ego uici, & consedi cum meo Patre in eius Throno (Id est, ut alibi inquit, uolo, ut ubi ego ero, ille mecum sit, in gloria nimirum Patris mei.) *De posteris Dauidis, & eorũ mysterio.*

CAP. IX.

אהל בירושלם·

Σκηνὴ ἐν ἱερουσαλὴμ.

Tabernaculum in Ieruſalem.



Picta Tabernacli tibi machina cernitur ingens,
Qua condebatur fœderis Arca Dei:
Arca coruſcabat fuluo ſpectabilis auro,
Membra quidẽ CHRISTI clarificata notans.

HISTORIA.


2. Reg. 7. 1. Par. 17. *Deductio Arcæ in Ciuitatem Dauidis.*



DAVID, extructa ciuitate Dauidis in monte Sione in Regiam ſedem, erexit ibi Tabernaculũ, pellibus tectum, & eò Arcam DOMINI, deductam ex Obedis Leuitæ domo, tranſtulit: cupiens uidelicet, ut omnis diuinus cultus, qui id tẽporis adhuc ſub figura uſurpabatur, unà cum ſacrificijs & ceremonijs à maioribus acceptis, in poſterum Ieroſolymis celebrarentur, Ioſephus

phus Antiquit.lib.7.cap.4. De quo etiam 2.Reg.6. & 1. Par.15.& 16. huiusmodi uerbis scriptum est: Dauid fecit sibi domos in Ciuitate Dauidis, locumq; Arcæ Dei parauit, ac Tabernaculũ pro ea tetendit. Tumq; omnem Israelem Ierosolymam congregauit, ad DOMINI Arcam è domo Obedis Aedomi deportandam (eò enim ex Cyriatha Iearimo transtulerat) & in locũ ei à se præparatum efferendã. Vocauit ergo Sacerdotes atq; Leuitas, ut se sanctificarent, & Arcam ferrent. Igitur sanctificati sunt Sacerdotes, & Leuitarũ filij Arcam humeris suis impositis uectibus portarunt, quos Deus portantes adiuuit. Dauid autem totis uiribus saltabat ante DOMINVM, & erat indutus Ephodo serico, sed & omnes Leuitæ Arcam portantes, ac Cantores pallijs bissenis amicti erant. Et uniuersi Israelitæ deducebant Arcam fœderis DOMINI cum iubilo & buccinæ, tubarum cymbalorumq; sonitu, & nablis atq; cytharis resonantibus. Veniente autem Arca ad Ciuitatem Dauidis, Michal Sauli filia per fenestram prospiciens, uidit saltantem atq; ludentẽ Dauidem, eumq; in corde suo despexit, unde ipsi (ex Dauide) nullus est natus filius. Introduxerunt igitur Arcam Dei, & eam in suo loco, in medio tabernaculo, quod Dauid pro ea tetenderat, collocarunt, & holocausta atq; pacifica coram Deo obtulerunt. Cumq; Dauid cõpleuisset offerre, benedixit populo in nomine Domini Sebaoth, & distribuit uniuerso populo, cunctęq; Israelis multitudini, tã uiris, quàm mulieribus, singulis partẽ panis, carnisq;, & uini lagenam, tumq; eos dimisit: & ex Leuitis corã Arca Domini ministros constituit, qui Dominũ Israelis Deum cõmemorarent, confiterentur & laudarent. Item 2 Paral.1. Arcã Dei adduxerat Dauid ex Ciriatha Iearimo (in locũ) ei à se apparatũ, ubi scilicet ei tabernaculũ Ierosolymis tetenderat, altare quoq; ęneũ, ꝙ fecerat Bezaleel, erat ibi ante Domini tabernaculũ.

Figura uere fidelĩũ, qui puro & sanctificato cordis affectu uerbũ uitæ sustinent, Phil.2.



INTERPRETATIO.

ARca uerò illa DOMINI ex lignis Sittim facta fuit, intrinsecùs atq; extrinsecùs tota inaurata, in qua erant urna aurea habens Manna: & uirga Aharonis, quæ germinauerat: & Tabulæ fœderis: super eam aũt Cherubi gloriosi, Propitiatorium & Arcæ operculum obumbrantes, Exod. 25. Heb. 9.

Per eam, eiusq; singulas tum interiores tum exteriores partes, Orthodoxi Ecclesiæ Patres, ex sacrorum Monumentorum consensione, DOMINVM nostrum IESVM CHRISTVM intelligere solent, hoc ferè modo: Vt ligna Sittim (id est, Cedrina, quemadmodũ nonnulli uolunt) quæ & odore suauia sunt, & tẽpore æterna, & cariem seu corruptelam nunquã sentiunt, gratiosum illud incorruptumq; & æternûm mansurũ Christi corpus denotent. De quo spiritualis sponsa in Canticis 5. sic dicit: Aspectus dilecti mei Libano similis est, tanquam Cedrus is electus est, eius labra suauia, & quicquid uspiã in eo existit, id desiderabile est. Is dilectus meus, is amicus meus est, ô filię Ierosolymitanę. Et 1. cap. Ob tuorum

rum

rum ſuauium unguentorũ odorem (fuluum enim unguentum eſt tuum nomen) te amant puellæ. Item Iohan.12. populus ait: Nos audiuimus ex lege, quòd CHRISTVS in æternum permaneat. Ac Pſal.15. Actor.2. & 13. de eiuſdem carne, eam corruptionem non uiſuram, dicitur. In hac expoſitione Hippolitus Martyr nobiſcum facit, ita ſcribens: Arca ex lignis, quæ putreſcere non poterant, erat ipſe Saluator: Eius enim Tabernaculũ nulli putredini obnoxium, & ab interitu alienum.

† *Cyrill. de Verb. incarnat. Erectum eſt de Dei uolũtate ſanctum Tabernaculũ per deſertum, & in eo multis Emmanuel formabatur: Imputribile enim lignũ in Arca figura corporis ipſius incorrupti fuit: Imputribilis enim cedrus. Aurum uerò materies alijs precioſior exiſtens, diuinæ nobis indicat ſubſtantiæ maieſtatem. Attende aũt quòd Arca tota auro puro foris & intus incruſtata ſit, adunatum quippe ſanctæ carni Verbum, & id eſt, ut opinor, Arcam fuiſſe extra inauratam. Quòd uerò & animam rationabilem, quæ corpori inerat, ſibi propriam fecerit, ex eo apparet quòd & intrinſecus Arcam Dominus inaurare præcepit. Quòd autem naturæ ſiue ſubſiſtentiæ incõfuſæ maneant, hinc ſcimus, q; aurum impoſitũ ligno manſit id quod erat: & inaurabatur quidem lignũ, ſed lignum eſſe non deſijt. Arcam uerò in Chriſti accipiendã imagine, plurimis declarari probationibus poſſet: Perambulabat enim cũ Iſraelitis, requiẽ illis quærens, At Chriſtus alibi ait: Ego uobis parabo locũ.*

Inauratus Arcæ ſplendor clarificatã & abſolutam CHRISTI conſummationẽ ſignificat, in qua ille ad Patris dexterã euectus, lęticię oleo, ſanctiq; Spiritus plenitudine intus atq; foris perunctus eſt, ueluti Scriptura Heb.1.2.5. Actor.2.3. & 10. declarat. Ac Gregorius in ſuo Apolog. dicit: Deus unxit Chriſtum oleo exultationis præ participibus, eius ungens humanitatẽ cum deitate, ut faceret utraq; unum.

Manna in Arca, abſconditum Manna, de quo Chriſtus 2. Apoc. uerba facit, ſe eo ſpirituales ſuos uictores paſturum repræſentat: Quale uerò hoc ſit Manna, idem, optimus ſuorũ uerborũ interpres, Ioan.6. enunciat: Patres ueſtri, inquiens, Manna (typicum) in deſerto comederunt, & mortui ſunt, Caro mea quam ego pro mundi uita dabo, uerè eſt cibus, & panis ille quem ego dabo. Qui meam carnem edit, uitam habet æternã, & in me manet, & ego in eo, eumq; ego in ultimo die excitabo.

Mannã.

Qui mãducat carnem Chriſti, uitã mãducat, quę hic in homine incipit, & nõ tantum eius animam ab æterna uindicat morte, ſed & ipſius carnẽ extrema reſurrectione in æqualem cum anima gloriam reuocabit.

Virga Aharonis.

Raphanus in Ieremiæ 11. cap. Mors Iesu spica frumenti facta est, septuplũ & multo amplius restituens, quàm fuerat seminatum.

Virga Aharonis quæ germinauerat frumenti granum, quod iactum in terram multũ fructũ erat éditurum, Ioan.12. præfigurauit: hoc est, ut Gregorij utar uerbis, carnem CHRISTI, quæ de radice Iessæi succisa, & deinde mortificata, citò post mortis ariditatem reuixit, & tum in ijs, qui sibi per fidem inserebantur, uberes fructus, in æternam mansuros uitam, protulit, Ioan.15.

Tabulæ fœderis in Arca indicant totam diuinitatis plenitudinem in CHRISTO homine corporaliter habitare, in eoque Legem Spiritus uitæ, ac omnes sapientiæ & scientię thesauros absconditos esse, Coloss.2. Rom.8.

August. Sine mediatore Christo nullus reconciliatur Deo.

Propitiatoriũ super Arcam positum, etiam CHRISTVS est, qui inter Deum & hominem medius propitiator interuenit, quemadmodum Isidorus loquitur. Et Apostolus ait: Deum nobis CHRISTVM proposuisse ἱλαστήριον, id est, propitiationem per fidem in sanguine ipsius collocandam, Rom.3. Et Heb.4. idem CHRISTVM gratiæ Thronum nominat, ad quem accedere debeamus, ut misericordiam consequamur, & gratiam in oportuno inueniamus auxilio.

Fides in sanguine Christi collocatur, quia Dei est sanguis, Actor.20.

Hieron. in 17, ca. Iobi: Si mors absorpta est in uictoria, quare non & carnis humilitas, quæ propter humanã salutem assumpta est, in diuinitatis transierit maiestatem: ut faceret utraque unum.

Duo Cherubi, Propitiatorium obumbrantes, ambas CHRISTI naturas unius iam gloriæ & æqualis potentiæ declarare possunt. Veteres autem Patres per eos duo Testamenta intelligunt, quorum alterum futuram DOMINI incarnationem atque gloriam, alterum factam prędicat, seseque mutuò respiciunt, uersis in Propitiatoriũ uultibus, quia in ueritatis attestatione, quam promulgant, in nullo inter se discrepant, sed consono unius harmoniæ ore unum cõcelebrant CHRISTVM, de quibus sic Ordinaria Glossa: Vetus & Nouum Testamen-

ſtamentum CHRISTI myſteria ſub ænigmatum figuris operiunt.

Translatio Arcę in ſuperiorem Dauidis Ciuitatem primò CHRISTI ad Patris dexteram exaltationẽ adumbrat, quomodo Beda ait: Arca intra uelum poſita, CHRISTVM hominem Deum ſedentem ad dextram maieſtatis in excelſis ſignificat. Deinde hac translatione eiuſdem CHRISTI in Eccleſiæ tabernaculum introductio delineatur, in quod quidem tabernaculum ſpirituales Leuitæ, Apoſtoli nempe & Doctores, eum, ſuo modo, deportãt†: dum eum externè prædicant, extollunt, & de cognitione, gloriaq; ac beneficijs eius teſtantur: Ipſe uerò ſuo Spiritu concurrens, fideles internè docet, illuminat, cibat, potat, pacificat, incorruptibilis ſuæ naturæ conſortes reddit, ac legem ſpiritus uitæ eorum cordibus inſcribit, Ioan.6.2.Cor.4.1.Cor.3.Heb.3.8.Epheſ.2.Apoc.3.

† Cyrill.lib.4.in Ioannem: *Quòd Chriſtus, Arca præfiguratus, per ſanctos uiros circumuehatur, tum* Habacuc Propheta *docet, inquiens: Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio:* Tum maximè *ipſe* Saluator *de* Paulo *ad* Ananiam *dicens,* Vade, *quoniam uas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram omnibus* Gentibus.

Michal, quæ Dauidem deſpexit, & ideò, diuina uindicta, ſterilitate puniebatur, typum mundanę ſapientię prætulit, cui Verbum illud crucis, crucifixi inquam & exaltati CHRISTI myſteria, ſtultitia & nauſea ſunt: ergo ea quoque nullum fructum edit, neque hæreditatem in Dei regno adire poteſt, 1.Corint.1.

Michal.

Hieron.in 2.cap. ad Col. Philoſophi ſtultũ eſſe exiſtimant Deum ex homine naſci, mori atq; reſurgere.

CAP. X.

בית אוריה החתי·

οἶκος οὐρίου.

Domus Vriæ Hitthæi.



Hîc ſunt Vriæ robuſti militis ædes,
Qui bello mortis uulnere cæſus obit:
Huius at uxoris Rex Dauid captus amore,
Patrat adulterij turpe malumq́ue ſcelus.

HISTORIA.



OMVS Vriæ Hitthæi, qui unus ex fortiſſimis Dauidis militibus erat, in uicinia regiæ cõſtitit, auctore Ioſepho: Cuius Vriæ uxorem Bathſabam, ſingulari formæ pulchritudine mulierem, lauantem ſeſe frigida, Dauid in regio Solario deambulãs, ut animaduertit, cœpit eam concupiſcere, & accitam cõpreſsit, tumq; ea ſan-

ea sanctificata domum suam redijt. Rex autem postea eius uirum in bello per dolum occidi curauit, & sic eam in matrimonium duxit: ex qua Salomon natus, quem DOMINVS diligebat, ideoq; Iedida eũ uocabat, 2.Reg. 11.12..1.Paral.11. Iosephus Antiquit.7.cap.7. Matt.1.

INTERPRETATIO.

QVod facinus, licet graue peccatum fuerit, nec ideò sacris Literis insertum, ut cuiquam id uel imitando in se transferre, uel eo suis sceleribus ac flagitijs patrocinium quærere concedatur: sed tamen puris, quibus omnia pura, & diligentibus Deum, quibus cuncta, etiam ipsa peccata, cooperantur in bonum, teste Paulo, Rom.14. Tit.1. mysticam ad eorum doctrinam přeferre adumbrationem non minus potest, quàm id, quòd Oseas meretricem iussus est ducere uxorem, Oseæ 1. Et Paulus rem gestam de Abrahæ concubina allegoricè enunciat, quomodo etiam Gregorius & alij nonnulli Ecclesię Doctores mysticam huius historiæ suscepêre expositionem in hanc ferè sententiã: Vt Dauid, qui significat dilectũ, præfiguret CHRISTVM, Bathsaba, filiam iuramẽti sonans, Synagogam uel Iudaicum populum, Vrias uerò, cuius nomen idem est quod lux DOMINI, Legem Mosaicam: Quæ quidem Lex & suam claritatem habebat, ut peccatum mortemque ostenderet, ac testimonium de ijs, quæ post dicenda erant, suo ministerio præferre posset: At Synagogã certo matrimonij iuramento sibi deuinctam, & sub se, tanquam Pędagogum, cõclusam, ob transgresiones per infirmitatem & inutilitatem suam, quòd carnalis nimis foret, & futurorum bonorum umbram, non ipsam rerum imaginem haberet, consummare minimè ualebat, multò minus ab ipso peccato & morte uindicare, aut iustam atq;

Genes. 50. dicit Iosephus ad fratres suos: Vos in me malum cogitastis, at Deus idipsum conuertit in bonum.

uiuam eam coram Deo reddere: uel ſi quando maximè impregnabat, non niſi mortuos ex ea fœtus procreare ualebat, idque coactè, ſeruili quodam ſpiritu ad id impulſa, præter omnem uel cupiditatem, uel animi alacritatē: Idcircò alter ille Dauid de cœleſti Sione deſcendens, in ſimilitudine carnis peccati apparuit, ac peccatum, hoc eſt, hoſtia pro peccato Synagogæ & maledictio legis ſub lege factus, id quod lex ipſa apud ſuam ſponſam præſtare non poterat, ea parte, qua infirmabatur per carnem, præſtitit: ac de peccato condemnauit peccatũ in carne, poſteaq; à morte excitatus, & eò aſcendens, unde deſcēderat, abrogauit, antiquauit, uel (ut ſic loquar) occidit prorſus legem in decretis poſitam, ſpiritualemq; Bathſabam, id eſt, Synagogam, à priori marito, id eſt, à peccati & mortis lege, hoc eſt, à maledictione & coacto carnalis legis pædagogio, per legem ſpiritus uitæ, id eſt, ſua lege, hoc eſt, ſeipſo liberauit, eandemque per ſuum corpus ſanctificatam, & ſpiritu adoptionis, uirtutis, charitatis & ſanitatis animi donatam, copulauit ſibi in iuſticia & fide: ac tum legem ſuam, immaculatam illam atq; rectam legem, conuertentem animas, lætificantemq; cor, & oculos illuminantem, nec non ſapientiam præſtantē paruulis, in cor atque mentem eius inſcripſit, unde ea deinceps grauida atque conſummata reddita, ueros pacis fructus, atq; uiuos fœtus, in Deo ſcilicet & per Deũ in ea effectos, ſine ulla moleſtia, propenſa uoluntate, edere & procreare ualebat.

Mors legis eſt liberari à maledictione legis, & arripere Chriſtum.

Iuſtin. in Tryph. Poſtrema & ſempiterna lex data eſt Chriſtus, atq; item Teſtamentum fidele, poſt quod Teſtamentum, non lex, non præceptum, non mandatum erit ullum. Lex, inquit, à me exibit, & iudicium meum in lucem gentium, Eſa. 51. Hanc ipſam Iudæi legem dehoneſtaſtis, & nouum ſanctumque Dei Teſtamentum uilipendiſtis.

Bathſaba filia illa Iuramenti, poſt Synagogam uniuerſalem, denotat etiam quamlibet fidelis hominis in ea animam: quæ natura iræ filia ſub maledictione exiſtens, primo copulatur auſtero, formidabili & deformi uiro, legi dico peccati & mortis, in quam omnes ſumus concluſi, & Dei gloria egemus: dumq; ſub hoc uiro adhuc

huc uersatur, non nisi abortiuos & morti deditos liberos cōcipit, hoc est, lex quidem reuelat peccatū, & quid homines facere debeant ostendit, sed adultera per eam natio grauida facta, non nisi malos, coactos & inutiles fœtus profert, qui uel mercedis causa, uel ex inferorum metu, semper autē refragante corde fiunt: Ea re necesse est ut austerus iste & deformis uir, sub quo prius anima in peccato est, unà cum prolibus seu fructibus atq; operibus suis moriatur, quia saltem cogit, timorem & desiderium ad familiariorē, melioremq; ac formosiorem uirum, suo modo, excitat: is aūt uir DOMINVS noster IESVS CHRISTVS est, qui eā sibi interno fidei nexu copulans, postquam priore marito mortuo atq; relicto, sibi adducta & antè in gratię aqua lota fuit, per spiritum suum grauidat, unde tum pura ac sancta existens, illi, ut meliori & amiciori sponso, adhærere semper, promptaq; uoluntate ueros spiritus fœtus producere, ac Deo suo in sanctitate atq; iustitia omnes suæ uitae dies seruire debet.

Populus legis morti gignit, abortiui enim & maledicti sunt omnes fœtus qui per legem concipiuntur, quippe quòd uitalis Christi spiritus deest.

Anima quę uidua facta, id est, à legis maledictione liberata, Christo spirituali & cœlesti sponso interno per fidē nexu desponsata est, dignam suo sponso prolem in omni pietate & sanctitate progignet, nec ad alium maritum, quum suus ad omnē perpetuitatem uiuat, demigrabit, ne cum adultera natione ęternis addicatur supplicijs.

De hac tota re cum alibi passim sit scriptum, nimirum 2.Cor.3.5.11.Rom.2.3.5.7.8.11.Heb.3.7.10.11.Gal.3.4. 2.Timoth.1.Ephes.2.4.1. Cor.9.Ioan.3.8.Oseæ 2.Psal.19. Esa.26.Matth.6. tum uerò nominatim ac uelut ex professo ad Rom.7.Paulus hæc uerba loquitur: An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quòd lex (tantisper) dominetur homini (legi addicto) quoad uixerit: Nam uiro subiecta mulier, uiuenti uiro, per legem deuincta est, quòd si uir mortuus fuerit, ea à lege uiri liberata est: proindè uiuente uiro adultera uocabitur, si fiat alterius uiri: sin autem uir mortuus fuerit, libera est à lege illa, ita ut non sit adultera, si fiat alterius uiri. Itaq; mei fratres, uos quoq; mortificati legi estis, per CHRISTI corpus, ut fiatis alterius, eius scilicet qui ex mortuis excitatus est, ut fructus feratis Deo. Quum enim esse-

August. lib. 83. q. 66. Cū ergo tria quædā in illa similitudine uideamus, mulierem, uirum, & legem: & rursum in hac re propter quā similitudo adhibita est, tria, animam, peccatū, & legem peccati: hoc solū hic diuersum est, quòd in illa similitudine uir moritur, ut nubat mulier cui uolet, & à lege uiri soluatur: hic aūt ipsa anima moritur peccato, ut nubat Christo: cum aūt moritur peccato, moritur lege peccati.

Ex mortuis resurrexit, cuius nos spōsæ sumus, qua ergo fronte mortua opera admittemus?

mus in carne, affectiones peccatorum, quæ ſunt per legem, in membris operabantur noſtris, ad fructũ ferendum morti: nunc autem à lege liberati ſumus, mortui ei, in qua detinebamur, ut ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in literæ uetuſtate.

Nouitas ſpiritus eſt cultus Dei, in ſpiritu & ueritate conſiſtens. Vetuſtas literæ eſt externa coactio, minis præſcriptũ exigens.

CAP. XI.

קבורת דויד·

τὸ μνῆμα Δαβίδ.

Monumentum Dauidis.

Hic Dauidis habes gelidi monumenta ſepulchri,
Huius erat putridis uermibus eſca caro:
At uerò CHRISTI uenerabile corpus IESV,
Sanctaq; corrumpi non tulit oſſa Deus.

HISTORIA.



DAVID cum iam tres & triginta annos Ieroſolymis regnaſſet, obdormiuit cũ ſuis Patribus in bona ſenectute, diebus, diuitijs ac gloria ſatur: & in Ciuitate (ſua) Dauidica in ſepulchretis, quæ Nehem. 3. Dauidis monumẽta nominantur, ſepultus eſt, 3. Reg. 2. 1. Paral. 29. De quo & D. Petrus Actor. 2. ad Iudæos ita loquitur: Viri fratres, licet liberè apud uos de Patriarcha Dauide dicere, quòd & obierit & ſepultus ſit, eiusq́ue ſepulchrum apud nos in hunc uſq; diem extet. Similiter ferè D. Paulus ait, Actor. 13. Dauid quidem quum ſuæ generationi inſeruiuiſſet, Dei uoluntate obdormiuit, & ad ſuos Patres appoſitus eſt, corruptionemq́ue uidit.

Dauidis ſepultura.

Ioſephus narrat Salomonem Patri ſuo Ieroſolymis ma-

magnificè parentasse, præter solennia illa in Regum funeribus, inlatis etiam maximis in eius monumentũ diuitijs. At post annos M. CCC. Hircanum Pontificem, quum in Vrbe ab Antiocho, cognomine Pio, oppugnaretur, Dauidis monumenti cellam aperuisse, & inde tria talentorum millia protulisse, eorumque parte Antiocho numerata, se oppugnationis periculo exemisse, Antiquit. lib. 7. cap. 12. lib. 13. cap. 16. Et Bellor. lib. 1. cap. 2. Cui & Egesippus Historiæ Iudaicæ lib. 1. cap. 1. consentit, nisi quòd addat, Hircanum residua pecunia, ut huius sui facti inuidiã apud populũ leuaret, primùm Xenodochia instituisse, quibus peregrinorum pauperum aduentum susciperet. *Xenodochia.*

INTERPRETATIO.

SI nos alterum illum Dauidem respiciamus, qui se Apoc. 22. huius primi Dauidis radicem & genus nominat, is ut post trigesimũ tertium suæ ætatis annum pro nobis mortem obierit, & ab honoratis uiris decenter in nouum repositus monumentum, atque ita à Deo granum frumenti factus sit, quod in terram deiectum, & inde rediuiuum emanans, multum protulit fructum, unde à spiritualibus nostris hostibus liberari, à peregrinis propiores, & ex pauperibus spiritu in ipso diuites fieri possimus. De eo, inquam, in sacris Literis passim testimonia, si quis illa requirat, extant; ut Matt. 27. Actor. 13. Ioan. 12. Lucæ 1. Ephes. 2. Matt. 5. *Christi sepultura.*

Hoc interim discriminis Diuus Petrus & Paulus in adductis iam locis Actorum libri, inter mortem & sepulturam primi atque alterius Dauidis constituunt: Quòd ille corruptionem passus sit, nec tum in cœlum ascenderit (eius uidelicet anima in uiuentium loculo li- *Differẽtia inter Dauidis & Christi mortẽ atq; sepulturã* Olim etiã pij cœlo nondũ reserato, ad inferos descendebant, nunc uerò ad Christũ recta migrant.

Carnē ſine peccato non uitiat corruptio, Et anima ſine peccato non torquetur in inferno.

gata, apud DOMINVM Deum, id eſt, in Abrahæ ſinu, ut Abigail ei antè prædixerat, 1. Reg. 25.) huius autē carnem in ſepulchro corrumpi non potuiſſe, nec eius animam in inferno (quò unà cum unito ſibi Verbo deſcendit, ut ſpiritibus in ſpiritu Euangelium ibi prędicaret, ac eos inde educeret, 1. Pet. 3.) relinqui, ſed eum à Deo ſuſcitatū, ſolutis mortis doloribus: propterea quòd impoſſibile fuerit illum ab ea teneri, & in cœlum ad dextram Dei euectum, ut primus Dauid præſcius reſurrectionis & gloriæ eius de eo iam ante his uerbis, Pſal. 15. uaticinatus ſit: Propter hòc cor meum eſt lætatū, & lingua mea exultauit, inſuper & mea caro in ſpe requieſcet: Quoniam tu animam meam nō derelinques in inferno, nec ſines ut Sanctus tuus uideat corruptionem. Notas mihi feciſti uitæ uias, me cum tua facie iucunditate replebis. Et Pſal. 110. Dixit DOMINVS DOMINO meo, ſede ad dextram meam, donec tuos inimicos ponam ſcabellum pedum tuorum.

Chriſtus ſecundū animam deſcēdit ſine dolore ad inferos, ut ibi detentis ſpiritibus prædicaret. Et iacuit ſecundū corpus in ſepulchro ſine corruptione, Interim tamen nec animæ Deus Sermo defuit quippe cum qua deſcendit, neq; corporis oblitus eſt, utpote quòd à corruptione ſeruauit.

De ratione ſepeliendorū Regū, uide 2. Paral. 16. & Ieremiæ 34.

In Ciuitate ſuperiori ad Dauidis monumenta etiā eius filij atque nepotes ſepulti ſunt, Salomon, Rehabamus, Ioſaphatus, Ioramus, Ioas, Ioathamus, Iehoiada, Ezechias, Ioſias, Ariſtobulus, 3. Reg. 11. 2. Paral. 12. 21. 24. 27. 32. 35. Ioſephus de Bello lib. 2. cap. 7.

CAP.

CAP. XII.

Cæſareum & Agrippium.



Expreſſæ Augusti, Agrippæ, & Herodis imagines.

Hæc ſunt Herodis generoſa palatia Magni,
Luxu regali quæ nituiſſe ferunt.

HISTORIA.

HERODES factus Iudęæ Rex, Octauij Cęſaris & Agrippæ Conſulis Romani fauore, extruxit ſibi Regiam domum in ſuperiori Vrbis parte, & in ea binas amplißimas atque pulcherrimas ædes, quibus ne Templum quidem uſquam conferri poſſet, ædificauit: eas gratitudinis ergò in æternam memoriam horum ſuorum promotorum uocabulis, alteras Cæſaream, Agrippiam alteras nominans, Ioſephus Antiquitat. lib. 14. cap. 26. Lib. 15. cap. 10. & 12. De Bello lib. 1. cap. 16. Egeſippus lib. 1. cap. 35.

INTERPRETATIO.

Herodis notatio & myſterium.

Ηρώδης exponitur Arrogantiæ mons, aut Chaldaicè, Draco ignitus. Sub eius nomine & geſtis Antichriſtum recordari poſſumus, qui ſeſe in ſanctum

locum, in Ecclesiæ CHRISTI montem, ingerens: erga illos beneficus est, qui ipsum promouent, & talium nomina nunquam obliterandæ memoriæ consecrare nititur, qui ei adhærent. De quo Antichristo sub Idumæi figura, ex cuius genere Herodes ortus, Ieremiæ 49. Et apud Abdiam scriptum est: Arrogantiã & cordis ipsius superbiam eum decepisse, ut in petrę uertice habitet, & collis altitudinẽ occupet. At licet tam altè quàm Aquila nidificet, DOMINVM tamen eum deturbaturum.

CAP. XIII.

דרך ציון·

Φάραγξ ὑποκειμένη.

Vallis Tyropœon.

Vallis eram uiridans, per me transiuerat olim
Rex Asina Christus, non renuente, sedens.

HISTORIA.

Tyropœoneæ uallis descriptio.



INTER superioris Vrbis collẽ, & eum qui inferiorem sustinebat Ciuitatem, Acra dictum, profunda uallis erat, uiam in Sionẽ patefaciens, & usque ad Siloam fontẽ pertinẽs, quam uallem Iosephus Tyropœon appellatam asserit, De Bello lib. 6. cap. 6.

In hanc uallẽ creberrimæ desinebant domus, tempore Dauidis, ab hospitibus, religionis amore peregrè aduentantibus, inhabitatæ: & Salomon eò postea ædes pro suis seruis ac stipatoribus ędificasse creditur, de quorum habitaculis scriptum est 3. Reg. 10. 2. Par. 9.

Per Tyropœon missus ille Siloa Filius Dei sine dubio

bio uenit, cum Asinæ insidens, Vrbem & deinde Templum, proximè ante suam passionem, ascendit: de quo eius aduentu Euangelistæ narrant, & Zachar. 9. præuisus legitur.

Tyropœon quasi θυρόποιῶν, quòd ianuas ad superiora faciat.

INTERPRETATIO.

ISta uallis huius mundi lachrymarum uallis figura erat, in qua Ethnici, hospites olim ac inquilini, procul à testamentis promissionis dissiti, nec non Iudæi, ciues tamen illi & Deo propiores, unà residebant: quibus Christus humilis ac demissus uenit, euangelizans utrisque pacem, ut per carnem eius in eodem spiritu ad Patrem aditum haberent, & deinceps pariter conciues sanctorum ac Dei domestici redderentur, quorum πολίτευμα, municipatus seu cõuersatio porrò in cœlesti Sione esse debeat, ueluti scriptum est Ephes. 2. Phil. 2. 3. Et Psal. 107. de CHRISTO dicitur: Eum in deserto errantes per rectam deducere uiam, ut in habitationis Ciuitatem ueniant. Ac Ieremiæ 50. In die illa (CHRISTI) Israelis & Iudæ filij uenient, & Sionis quærent uiam huc (conuersæ) eorum facies: si uenient, copulabuntur DOMINO fœdere sempiterno. Quo & dictum illud Irenæi pertinet: CHRISTVS, ait ille, ut nos de Apostasia suo sanguine redimeret, ad hôc, ut essemus & nos sanctificatus populus, de cœlis in uirtute Patris descendit, & summus angularis lápis apparens, in unum collegit & uniuit eos, qui propè, hoc est, circumcisionem & præputium: dilatans nimirum Iaphet, & eum constituens in domo Sem.

Psal. 80. 4. Esd. 20. Positum est seculũ in tenebris, & qui habitãt in eo, sine lumine sunt.

August. de Verb. Christi: Ipse est Christianus, qui & in domo sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus.

Nec uerò quisquam à CHRISTO in sanctũ montem ad Ciuitatem DEI deducitur, nisi prius in ual-

Isidor. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris.

Glossa Ordinar. Sicut in statera una parte depressa altera eleuatur, sic qui eleuantur in præsenti uita, deprimentur per pœnam in futura. Et è cõuerso, qui se humiliãt, & pœnitentiam agunt, in futuro ad gloriam eleuabũtur.

lem descendens, se coram illo submittat: Sic enim Diuus Iacobus & Petrus suis scribunt, ut sese submittant in cõspectu DOMINI sub potenti eius manu, quòidem eos tempore uisitationis erigat atque extollat, Iacobi 4. 1.Pet.5. Et CHRISTVS ipse dicit: Venite ad me omnes, & à me discite, quòd mitis sum & corde humilis, & inuenietis animabus uestris requiem. Qui sese demiserit, extolletur, Matth.11. Lucæ 14.

DE

DE MONTE ACRA, FILIA SIONIS, ET INFEriori Ciuitate.

LIBER TERTIVS.

ESAIAE X.

Mons filiæ Sionis manum ſuam eleuabit, collis (Gibeath) in Ieruſalē: Ecce DOMINVS DOMINVS Sebaoth frondem ſecuri amputabit, ſtaturaq; præalta ſuccidet, & procera deijciet.

PSAL. CXLIX.

Exultabit filia Sion in Rege ſuo, eius nomen (Sionei) in choro laudabunt.

CAP. I.

בת ציון·

Ἄκρα, θυγάτηρ Σιών, κατὼ πόλις.

Acra mons, Filia Sionis, Inferior Ciuitas.

Alter in Vrbe ſacra mons Graijs Acra uocatus,
In quo Sionis filia ſtructa fuit,
Splendida quæ ſuperæ domicilia rettulit Vrbis,
Deſuper à ſummo progenerata Deo.

HISTORIA.



Acræ montis deſcriptio.

SECVNDVS in Vrbe mons Sionem contraria fronte à Septentrione inſpiciebat, ſed illo tamen humilior, & uſquequaq; decliuis exiſtẽs: dictus Acra. Ioſeph. de Bello lib. 6. cap. 6. & 7. Antiquit. lib. 12. cap. 7.

Filia Sion.

Hiero. in Eſa. myſticam adfert cauſam, inferiorem nempe Ciuitatẽ Virginem & Filiã dictam, quòd cunctis Gentib. ſimulachra adorantib. hominũ mortuorũ, hæc ſola conſeruet caſtitatem religionis Dei, & unius diuinitatis cultum.

In quo monte altera Vrbis pars ędificata fuit, quam Ioſephus Inferiorem Ciuitatem, Prophetæ autem, ut Eſaias 1.3.7. Dauid Pſal. 9. Zach. 9. & alibi paſsim, Filiam Sion: Item uirginem Filiam Sion, Filiam Ieruſalem appellant: ideò ſcilicet, quòd infrà ſuperiorem Ciuitatem ſita, ac uelut filia de ea, ceu matre, genita, munita atque ornata uideretur.

Huius collis & Ciuitatis in eo ſitæ fit mentio Eſaiæ 10. his uerbis: Mons Filiæ Sionis manum ſuam eleuabit, collis in Ieruſalem. Ecce DOMINVS DOMINVS Sebaoth frondem ſecuri amputabit, ſtaturaq; præalta ſuccidet, & procera deijciet.

Poſt Melchiſedechum Dauid & Salomon hanc partem ædificijs præcipuè ornare cœperũt, mœnibus eam

quoque & portis munientes. 3. Reg. 9. Iosephus de Bello lib. 6. cap. 6. Vnde & illa, in Maccabæorum præsertim libris, Ciuitas Dauidis, & ab Egesippo, Eusebio, ac pluribus alijs Scriptoribus à nomine Salomonis Ierosolyma denominata creditur.

INTERPRETATIO.

Ecclesia spiritualis filia Siõ.

Hieron. in Esaiã: Ecclesia filia Siõ nominatur, quia à Deo adoptionis nomen accepit.

INferior illa Ciuitas, Filia Sionis dicta, militantem in hac terra Ecclesiam denotat, quæ supernè ex Dei Patris gratia, uelut natiua matre, orta atque fundata, per CHRISTVM, uerum Dauidem atque Salomonem, id est, dilectum pacis Regem, in sancto spiritu instauratur, illustratur, pacemque & læticiam habet perpetuam, ut scriptum est Galat. 4. Ierosolyma illa quæ sursum est, libera est, mater omnium nostrûm. Et Apoc. 21. Vidit Ioannes Vrbem sanctam, Ierosolymam nouam, de cœlo à Deo descendentem, Dei habentem claritatẽ, & murum magnũ ex Iaspide, portas uerò ex Margaritis constructas. Psalmorum autem 149. de hac Ciuitate ita dicitur: Exultabit Filia Sion in Rege suo, eius nomen (Sionij) in Choro laudabunt. Eam quoque Zophonias affatur his uerbis: Lauda Filia Sion, iubila Israel, lætare & exulta toto corde filia Ierusalẽ, DOMINVS enim tua iudicia (tuas pœnas) sustulit, tuos inimicos ille exterminauit: Israelis Rex DOMINVS est in medio tui, malum deinceps non uidebis. In illa die dicetur Ierusalem: Noli timere Sion, ne remollescãt tuę manus, DOMINVS Deus tuus in medio tui est, fortis ipse te saluabit, Cap. 3.

Fundamentum & origo Ecclesiæ.

Quòd autẽ spiritualis Filia Sion, Ecclesia militans, cum suis membris supernè fundamentum & originem suam habeat, id etiã Augustinus confirmat in hunc modum: Sicut fundamentũ corporeę fabricę in imo est, ita fun-

fundamentum ſpiritualis fabricæ in ſummo eſt, terrena ędificatio à terra incipit, cœleſtis extructio à ſuperno creſcit exordio. Fundamẽtum quando ponitur in terra, deſuper ædificantur parietes: Si autem fundamentũ noſtrũ in cœlo eſt, ad cœlum ædificemur. Corpora ędificant iſtam ſtructuram amplam, quia uerò ſpiritualiter ædificamur, fundamentum noſtrum in ſummo poſitum eſt. Et Chryſoſtomus ait: Eccleſiæ radix in cœlo eſt, Homil. 4. in Geneſin.

HISTORIA.

VErum enimuerò quia externa illa filia Sion Deo rebellis ferè ſemper erat, ut ipſe conquæritur: Filios enutriui & exaltaui, & ij iniquè contra me egerunt, ipſum DOMINVM dereliquerunt, Sanctum Iſraelis irritârunt, Eſaiæ 1. Et Ezech. 16. O Ieruſalem, Qualis mater, talis ipſius eſt filia, Tu tuæ filia matris es, quæ & uirum & filios ſuos reſpuit. Non fecit tua ſoror Sodoma, unà cum ſuis filiabus, qualia tu cum tuis filiabus feciſti. Ac cum CHRISTVS in carne præſens filios Ieruſalem in unum congregare cuperet, quomodo gallina ſuos pullos ſub alas congregat, & illa nollet, nec ipſum, ceu uerum ſuum Regem, in ſe regnare uellet, Matt. 23. Luc. 19. Idcircò Deus iam antè in eam ſępenumero animaduertit, Eſaia prophetante: Glabrabit DOMINVS uerticem filiarũ Sionis, DOMINVS earum turpitudinem denudabit, Cap. 3. Et tandem omnia, quæ in ea erant, Tito funditûs extirpanda, Gentibusque conculcanda permiſit, non relicto in ea lapide ſuper lapidem; eius uerò incolis partim ad internecionẽ deletis, partim per omnes gentes diſperſis, Lucæ 19. & 21.

Cauſa uaſtationis typicæ filiæ Sion.

Hieron. aduerſus Pelag. Sodoma cõparatione ſceleratioris Ieruſalem iuſta uidetur: illa enim propter abundantiã panis & per luxurię magnitudinẽ, exceſſit modum libidinis, hæc uerò ipſum Dei Filium occidit.

Augu. de Geneſ. ad lit. cap. 18. Nõ ad hoc ipſa Dei ſapientia, noſtra infirmitate ſuſcepta, uenit ad colligendos ſub alas ſuas filios Ieruſalem, quemadmodũ gallina pullos ſuos, ut ſemper paruuli ſimus, ſed ut malitia infantes, mente pueri eſſe deſinamus.

INTERPRETATIO.

Causa reiectionis spiritualis filiæ Sion.

Balaami doctrina est spiritus erroris, 1. Tim. 4. cum benedictiones & maledictiones in Ecclesia uœnum eunt.

Spiritualis Iezabel est falsa doctrina seu hæresis: quæ mulier dicitur, quia per mulierem error cœpit, teste Ambrosio in 2. Corinth. cap. 11.

Iste gladius est æternum Dei Verbū, Eph. 6.

Eos Christus euomit, quos derelinquit, reijcit, negat.

IDem obuersanti in hac terra nostræ Ecclesiæ continget, ut si uera DOMINI atque Fundatoris sui IESV CHRISTI cognitione neglecta, prioreque omissa charitate, Balaami doctrinam admittat, ac Iezabelem suos seruos seducere concedat, nec de admisso lapsu maturè pœnitentiam agens, uiua dignas fide edat fructus: DOMINVS eius candelabrum ex suo loco transmouebit, ceu Ecclesiæ Ephesinæ minitatur, cumq; illa, tanquam cum Pergamensi congregatione oris sui gladio depugnabit, quin & in lectum maximamque afflictionem eam conijciet, eius quoque filijs morte mulctatis, ut Thyatirensibus fecit, ac demum eam, uelut Laodicensem cœtum, penitus ex ore suo euomet, Apoc. 2 3.

CAP. II.

צבה חקרא·

Ακρόπολις.

Arx in monte Acra.

Nominor Acropolis fabricata cacumine summo,
Condidit Antiochus mœnia nostra ferox:
Vtpotè quæ falsi referunt munimina CHRISTI,
CHRISTVS at hoc uerus destruit arcis opus.

HISTORIA.

Deuastatio Vrbis & Templi per Antiochū.



NTIOCHVS Epiphanes, post expeditionem suam in Aegyptum, capta & compilata Vrbe, spoliatoq; Templo, & Gentilibus Iouis Olympij Idolomanijs fœdato, ciuibus aūt alijs interfectis, alijs captiuis abductis, succensis etiā pulcherrimis quibusque ædibus & mœnibus circum circa destructis

Ar-

Arcem quandam ualidis muris ac turribus in ipſo Acrę uertice Templo altiorem, condidit, Acropolim uocatam: eoq́ue Macedonicum præſidium collocauit, admixtis illis, ex Apoſtatis Iudæis, ſceleſtiſsimis quibuſque: à quibus Ciuitas plurimum ſemper uexata, & Arx illa laqueus maximus, aduerſariusq́ue peſsimus, multo deinceps tempore, Iſraelitis fuit: unde inſidiæ ipſis plurimæ parabantur, Templumq́ue identidem & oppugnabatur & cõmaculabatur, ac circà Sanctuarium innoxius ſæpè ſanguis per iniuriam profundebatur. Vide 1. Maccab. 1. 2. 3. 4. 6. 10. & deinceps. Item 2. Maccab. 4. 5. 6. 9. &c. Et Ioſephum Antiquit. lib. 12. cap. 7. 8. ac reliquis. Item, lib. 13. & Bellor. lib. 1. cap. 1.

Hanc rem in figura primùm ſic fore, Daniel iampridem antè denunciarat, 8. ſuæ Prophetiæ capite: In nouiſsimo, inquiens, regni eorum (id eſt, circà finem regni Græcorum) cum conſummatæ fuerint præuaricationes (& ideò puniendę) ſtabit Rex facie ſeuerus, & intelligens ænigmata (Antiochus ſcilicet) hic mirabiliter ſæuiet, & proſperè illi ſuccedet, ac faciet (pro arbitratu ſuo omnia) robuſtos atque populum ſanctorum (in Iudæa & Ieroſolymis) depopulabitur, quinetiam contra Principum Principem (contra DOMINVM illum dominantium, Deum & ipſius CHRISTVM) conſurget, & iuge eius ſacrificium auferet. Et cap. 11. idem Propheta hunc in modum ſcribit: Rex Aquilonis reuertetur, (ex Aegypto) & in ſanctuarij fœdus excandeſcet, animumq́ue in deſertores ſancti fœderis intendet, & brachia illic ex eo conſiſtent (præſidiarij in Vrbe) qui fortitudinis Sanctuariũ (Templum inquam) polluent, ſublatoq́ue iugi ſacrificio abominationem, ſtupere facientem, importabunt. Rex autem ſeſe extollet, atque magnificabit ſupra omnẽ Deum, & contra Deorũ Deum

Vaticiniũ Danielis de Antiocho.

Vide Hieron. in hunc locũ.

mirabilia loquetur, ſuique palatij tabernacula figet inter maria, in inclyto ſanctitatis monte, & ueniet uſque ad ſummitatem, &c.

INTERPRETATIO.

Antiochus figura Antichriſti.

DIuus Hieronymus in Danielem cõmentatur, quòd ſub Antiocho in typo factũ ſit, id Patres dicere, ſub Antichriſto in ueritate complendum. Cui & Gloſſa ordinaria aſſentit his uerbis: Antiochus fuit figura Antichriſti, quia ſicut ille erat perſecutor Synagogæ, ita Antichriſtus perſecutor Eccleſiæ. Id autem uerum eſſe, ex oppoſita utriuſque contentione probari poteſt:

Antiochi & Antichriſti collatio.

Hieron. Algaſiæ Antichriſtus ſic dicitur, quòd aduerſetur Chriſto. Filius peccati uocatur, in quo fons omnium peccatorũ eſt. Filius perditionis, id eſt, diaboli: ipſe eſt enim uniuerſorũ perditio, quæ aduerſatur Chriſto.

Antiochus enim exponitur aduerſarius, & 1. Mac. 1. is radix peccati uocatur, cuius cognomen erat Epiphanes, id eſt, illuſtris, ſeu glorioſus: ſed ob inſignem ſuam petulantiã in Polybio Επιμανὴς, id eſt, furioſus appellatur. Sic Antichriſtum Paulus, 2. Theſſ. 2. hominẽ peccati & perditionis, qui aduerſetur, & ſeſe efferat: Ioannes eum Beſtiam habentem nomẽ Blaſphemię, & meretricem ſeipſam glorificantem, beſtiæq; coccinæ plenę nominibus blaſphemiæ inſidentem, nuncupat, Apoc. 13. 17. 18.

August. Gentes uenerunt in Eccleſiam, non credendo, ſed perſequẽdo. In his templum polluerunt, quos ad negandũ Chriſtum coegerunt.

Antiochus Ieroſolyma & Templo expugnatis, omnia uaſtauit, polluit atq; deprædatus eſt: Contra Antichriſtum Pſal. 79. huiuſmodi inſtituitur conqueſtio: O Deus, uenerunt Gentes in hęreditatẽ tuam, polluerunt ſanctitatis tuæ Templum, & Ieruſalem redegerunt in rudera. Et Pſal. 74. Vt quid Deus nos in perpetuum repuliſti? Recordare congregationis tuæ, quam poſſediſti ab antiquo (recordare) montis iſtius Sionis, in quo habitaſti, rugierunt tui hoſtes in medio tuarum Eccleſiarum, poſueruntq; ſua ſigna, ſigna, inquam, iniecerunt in ignem tua ſanctuaria, in terrã (deturbantes) polluerunt nomi-

nominis tui tabernaculũ: Dixerunt in corde suo, depopulabimur eos pariter, signa nostra non uidemus, nõ est ultrà Propheta, nec est nobiscum qui sciat usquequo?

De Antiocho typico Daniel typicè dixit, prosperè ei successurum, eumq; non solum contra populum sanctorum, sed & contra Principũ Principem sęuiturum: De spirituali Antiocho Apostolus pronunciat, eum se aduersus omne quod dicatur Deus, exaltaturum, cuius aduentus sit secundum operationẽ Sathanæ, cum omni potentia, & signis ac prodigijs mendacibus, 2. Thes. 2. Et Ioãnes sub Bestiæ titulo ait, illi datam à Dracone potestatẽ, & os eloquens magna & blasphemias, ipsumq; os suum aperuisse in blasphemiam aduersus Deum, ut eius nomen, eiusq; tabernaculũ, & illos qui in cœlo habitant, cõtumelijs afficeret: sed & datum ei esse bellum cum sanctis gerere, eosq; uincere: datam ei quoq; potestatem in omnem tribum, & linguam, & gentẽ, Apo. 13. De quo etiam Augustinus in 9. Psalmũ ita scribit: Antichristus usq; adeò beatus uidebitur hominibus, ut etiã Deus beatissimus putetur: Reges omnes superabit, & solus regnum obtinebit, iustos maximè persecuturus est, & ex innocente faciet nocentem, cuius persecutio fraudulenta. Idẽ alibi: Antichristus est qui sub nomine Christi, quod est nomen Dei, hoc est, Christianum se uideri uolens, superextollitur contra CHRISTVM, & simulat se negotium CHRISTI agere.

August. de Ciuit. Dei: Satanas per Antichristum in omni sua uirtute mirabiliter quidẽ sed mẽdaciter operabitur, mortalesq; per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere uideatur.

Antiochus in Templo abominationẽ & Iouis Idola posuit, sublato iugi sacrificio, &c. Antichristus in uero Dei Templo, tanquã Deus, sedebit: ostentans seipsum esse Deum & CHRISTVM, 2. Thess. 2 Marci 13. Luc. 21. Quem Iohannes uidit sub persona mulieris, habentis aureum poculum in sua manu, abominationibus, &

Athanas. Non in Ierosolymorum Tẽplo, sed in omnibus passim Ecclesijs & Dei Tẽplis confessurus est Antichristus.

August. de Ciuit. Dei: Nonnulli putant rectius Latine dici, sicut in Græco est, quod Antichristus in Templũ Dei sedebit, tanquã ipse cum sua multitudine sit Templũ Dei, quod est Ecclesia.

immunditia ſcortationis ſuæ plenum, Apoc.17. Item, quòd eum ſub Beſtiæ nomine adorent omnes terrę incolæ, quorũ nomina non ſint ſcripta in uitę libro Agni, ab origine mundi mactati, Cap.13.

γὐδελεγισμός.
Iuge ſacrificiũ.

Tertull. aduerſus Marcionẽ, lib. 3. Sacrificium mundum eſt glorię relatio, & benedictio, & laus, & hymni.
Auguſt. de Ciuit. dei: Christus quotidianũ eſſe uoluit Eccleſiæ ſacrificium, quæ cũ ipſius capitis corpus ſit, ſeipſam per ipſum diſcit offerre

Iuge ſacrificiũ, quod Antichriſtus tollet, Malach.1. ſacrificium mundum uocatur, & eſt, ut quidam perhibent, certus ille Chriſtianorũ in nouo Teſtamento ſacerdotum Dei cultus, in ſpiritu & ueritate conſiſtens, Ioan.4. Vbi fideles ſua corpora, CHRISTI ſanguine aſperſa, in ſanctam hoſtiam Deo immolant, Rom.13. Pſalmo 51. Aſsiduéque ſacrificium precationis atque laudis, hoc eſt, fructum labiorum diuino nomini confitentiũ, per CHRISTVM offerunt, Heb.13. Pſal.50.119. Nec ulla unquam die beneficentiæ & communicationis, qualibus uictimis propitiatur Deus, obliuiſcuntur, Hebr.13. Philip.4.

Abominatio.

Hieron. in Matt. Abominatio deſolationis intelligi poteſt omne dogma peruerſũ.

Verùm abominationem & Idola ab Antichriſto erigenda, ferunt eſſe conculcationem ſanctæ Dei Vrbis, Apoc.11. Inuectionem Dæmoniacarum doctrinarum, 1. Timot.4. pollutionem ſpiritualis Dei cultus, ſublationem certę cognitionis CHRISTI, neglectum legitimę pœnitentiæ, & uerorum fidei operum obliterationem: Quòd inquam externum ſaltem & fucatum à ſe inſtitutum Dei cultum urgebit, CHRISTVM ſoluet, 1. Ioan. 4. & hic atq; illic, in factis rebus, eſſe profitebitur, Matthæi 24. res creatas pro Creatore uenerari iubebit, Roman.1. literam pro ſpiritu uenditabit, figuras cum ueritate confundet, inter ſacrum & prophanum non diſcernet, Ezech.22. regenerationem ſupernè orientem, cum ſeria pœnitentiæ prędicatione, poſt tergum reijciet, demum omnia uera, bona, ſalutaria in Eccleſia, ex CHRISTI ipſiuſque Apoſtolorum præſcripto inſtituta, abolebit, tollet, & mutabit.

Auguſt. de Libero arbit. lib. 3. Nõ enim ad Creaturam iubemur tendere, ut efficiamur beati, Sed ad ipſum Creatorẽ, de quo ſi aliud q̃ oportet, ac ſeſe res habent, nobis perſuadetur, pernitioſiſsimo errore decipimur.
Hieron. ad Marcell. Aduerſarius Chriſti eſt Antichriſtus, cui præcepta Chriſti diſplicent.

Antiochus in constructa sua Ierosolymis arce, Macedonicos milites, præsidij loco, imposuit: qui ciues miserè semper affligerent, Templũ aũt fœdarent, & sacra quæq; loca innoxio polluerẽt sanguine: Habebit & spiritualis Antiochus certos milites, qui potestate in ore & caudis præditi, Apo. 9. cùm uanis suis calũnijs, tùm brachio carneo, homines ad accipiendũ Bestiæ characterẽ in manu ac frontibus cogent, ipsis uerò immorigeros, Christiq; testimoniũ constanter tenẽtes, partim uenditione & emptione prohibebũt, Apoc. 13. partim trucidabunt, Apoc. 11. & tandem ex Dei Templo latronũ speluncam efficient, Ioan. 2.

August. de Ciuit. Dei: Erit in fine seculi tribulatio, tẽpore Antichristi, qualis nunquã antea fuit: quàm multa erunt tunc ædificia; siue aurea siue fœnia, super optimũ fundamentum, quod est Christus Iesus, ut ignis ille probet utraq;, & de alijs gaudium, de alijs inferat dãnum?

Ad Antiochũ plurimi à Iudaismo deficiẽtes, fratres suos deinde unà cũ Macedonicis afflixerunt, De Apostatis sub Antichristo futuris CHRISTVS ita prędicit: Tunc multi offendiculũ patientur, & alius aliũ tradet, aliusq; aliũ oderit, Et multi Pseudoprophetę exurgẽt, qui multos seducẽt: Et quia abũdabit iniquitas, refrigescet multorũ charitas, Matt. 24. Et Paulus Actor. 20. Ephesianos sic cõmonet: Hoc enim ego noui, quòd post discessum meũ lupi graues uos inuadent, qui gregi nõ parcant: Et ex uobis ipsis exorientur uiri peruersa loquẽtes, ut discipulos ad se sequendos abducant. Item Ioãnes de ijsdem hunc in modũ scribit: Filioli, nouissimũ tempus est, & sicut audistis, quòd Antichristus uenturus sit, etiã nunc multi Antichristi cœperũt esse. E nobis egressi sunt (per defectionẽ) sed nõ erant ex nobis, nã si ex nobis fuissent, utiq; nobiscũ permãsissent, sed ut manifesti fierẽt, quòd ex nobis non sint, &c. Hic est Antichristus, qui Patrẽ negat & Filium, 1. Ioan. 2. Et 4. cap. Omnis spiritus qui IESVM soluit, hic est spirit⁹ ille Antichristi, de quo audistis quòd uenturus sit, & iam nunc in mundo est. D. Petrus quoq; testatur: Erunt in uobis, inquiens, falsi doctores, q relicta recta uia perniciosas sectas introducẽt, audaces,

Apostatæ.

Tertull. Instruit Dominus multos esse uenturos sub pellibus ouiũ rapaces lupos. Quę nam istæ sunt pelles ouiũ? nisi nominis Christiani extrinsecus superficies. Quid lupi rapaces? nisi sensus et spiritus subdoli ad infestandum gregẽ Christi intrinsecus delitescentes. Quid Pseudoprophetæ? nisi adulteri euangelisatores. Quid Antichristi? nisi Christi rebelles.

Sic legit uetus interpres, & Socrates, Hist. Iudaica.

insolentes, dominatum (ij) contemnent, in his quę non intelligent, blasphemabunt (&) in suis erroribus uobis insultabunt, 2. Pet. 2.

HISTORIA.

Iudas Maccabæus Vrbē & Templũ Antiochenis profligatis uindicat.

IVdas, cognomine Maccabæus, factis suis Leoni aut in prædã frementi Leonis catulo similis existens, 1. Maccab. 3. cum suis fratribus, DOMINI ductu, Antiochenos ex Iudæa exercitus rursum profligauit, Vrbemque uindicauit, lustrato etiam ab illata abominatione Templo, & ueterib. instauratis legibus: néue prędidiarij, Acropolin tenentes, ipsum impedirent, fortęs constituit uiros, qui eos reprimere interim, si quid molirentur, possent. Quo audito, Antiochus nouam conatus est suscipere expeditionem, minitans se Ierosolymam facturum cõmune Iudæorum sepulchrum: At Deus eum in hoc apparatu, insanabili occultaque percussit plaga, ut acerbo interaneorum cruciatu constrictus, paulò post miserrimo mortis genere uitam finierit, 1. Maccab. 4. 6. 2. Macca. 8. 9. 10. Ioseph. Antiquit. lib. 12. cap. 11. 13. De Bello lib. 1. cap. 1.

Sic impletũ est, quod Danielis 8. de Antiochi morte prædicitur, eum sine fortitudine (non carnali brachio, sed ultione diuina) interimendum esse. Ibidem & de Templi lustratione per Iudam figuratè perficienda, uaticinium extat his uerbis: *S*anctuarium mundabitur.

INTERPRETATIO.

Iudæ Maccabæi mysteriũ.

Ieron. in Ierem. Quicquid in priori populo fiebat carnaliter, in Ecclesia spiritualiter completur.

IVdas uerò ille typũ gessit CHRISTI IESV, qui Leo de Iudæ tribu, & radix Dauidis dictus, Apoc. 5. cœlestem suam Ierosolymã, ministrantibus ei ad hoc ipsius fratribus, à spiritualibus prophanationibus lustrabit,

cun-

cunctaque in ea de integro instaurabit, repressis interea insidiatoribus forti manu, suo autẽ Aduersario oris sui Spiritu, sine gladio externo, interfecto: ueluti scriptum est, Esaiæ 11. 2. Thess. 2. Et Ierem. 30. cap. DOMINVS sub umbra instaurandæ terrenæ Ierosolymæ de cœlesti illa per CHRISTVM reparanda ita fatur: Vniuersi hostes tui (Ierosolyma) in captiuitatem ducentur, tuique depopulatores obijcientur depopulationi, & cunctos direptores tuos ego exponam direptioni: Tibi autem sanitatẽ pariam, & te à tuis uulneribus sanabo, dicit DOMINVS, quia eiectam te uocauerunt. Hæc est (inquientes) Sion illa, quã nemo requirit. Sic dicit DOMINVS: Ego reduco captiuitatem tabernaculorum Iacobi, ædificabiturque Ciuitas super collem suum, & Templum secundum ius suum instauratũ consistet. Eius filij erunt sicut prius, & eius Ecclesia in conspectu meo firmabitur, uisitaboque omnes qui eam affligunt. Et erit inclytus eius Dux (CHRISTVS scilicet, Dux atque Pastor ille sui populi, Mich. 5. Matth. 2.) ex ipsa, & eius dominator ex ipsius medio egredietur, appropinquare eum faciam, & penetrabit ad me, &c. Hæc (autem) uos in dierum nouissimo intelligetis. Item Esaiæ 37. Quod seruatum fuerit ex domo Iuda, & reliquum manserit, id rursus acta deorsum radice, sursum edet fructum: Nam ex Ierusalem egredientur reliquiæ, & Saluatio de monte Sionis, zelus DOMINI Sebaoth hoc faciet. Et 30. Erit Lunæ lux ut lux Solis, & Solis lux septuplex, ut septem dierum lux, in die illa, cum obligauerit DOMINVS sui populi contritionẽ, & eius fracturam plagæ sanauerit. Similia Dominus Zach. 8. promittit: Cõuersus sum, inquiens, ad Sionẽ (ei reconciliatus) & habitabo in medio Ierusalem, uocabiturq; Ierusalem Ciuitas ueritatis, & mons Domini Sebaoth, mons sanctitatis. Adhuc habitabunt senes uiri, & anus in plateis ipsius Ierusalẽ, & plateę

Reformatio Ecclesiæ.

Hieron. in Iohel. Ecclesia est Sion; quæ interpretatur specula seu sublimitas.

August. in Apo. Quoties nomen Hierusalem audieritis, quæ uisio pacis dicitur (spiritualiter) homines sanctos ad Deũ pertinentes intelligito.

Vrbis replebuntur pueris, & puellis ludentibus in pla- teis. Si id difficile uidebitur in oculis reliquiarum huius populi illis diebus, etiámne in oculis meis erit difficile? dicit DOMINVS Sebaoth: Ego ſaluo populum meũ, & eos adducam, habitabuntq́ue in medio Ieruſalem, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in ueri- tate & iuſtitia.

Quomodo CHRISTVS cum ſpiritualibus ſuis fra tribus aduerſarios ſuæ Eccleſiæ profligatos interficiet, ipſamq́ue denuò conſtruet atque luſtrabit, id quoq; fi- guris quibuſdã in Apocalypſi adumbratur, ut cum Ioan nes uidit Michaelem & eius Angelos magnũ prælium in cœlo contra Draconem & ipſius Angelos commit- tere, hosq́; pugnantes deiectos ad terram, Cap.12. Item Agnum, Dominorum illum DOMINVM, & Regum Regem, necnon uocatos cum eo, electosq́; ac fideles ui- ciſſe Reges Beſtiæ magnæ, Cap.17. Præterea beſtiam terræ, falſumq́; Prophetam, ac eorum exercitus congre gatos ad bellum gerendum, cum eo, qui albo equo inſi- debat, & cum eiuſdem exercitu: uerum comprehenſos eſſe, & coniectos in ſtagnum ignis, cæteros autem (illo- rum gregales) necatos gladio, prodeunte ex ore ſeden- tis in equo, Cap.19. Ac tum apparuiſſe mulierem in So- le, quæ in deſerto aleretur, Cap.12. Templumq́; Dei in cœlo apertum, menſuraq́ue directum, ac repurgatum, Cap.11. Et nouam Ciuitatem, Ieroſolymam illam ſan- ctam, deſcendiſſe de cœlo à Deo paratam, Cap.21.

August. Michaelem Christũ intellige, & Angelos eius sanctos homines. Cœlũ hic Ecclesia est, Draco Diabolus, Eius Angeli qui uoluntati eius obtemperant, hi sunt de sanctorũ cordib. expulsi in terrã, id est, in homines qui terrena sapiunt. & totã spem suam in terra cõstituunt.

Aug. in Apoc. & in Psal. 142. Mulier hęc est Ecclesia cooperta sole iustitię, quẽ impij non cognoscunt.

HISTORIA.

Simon Maccabæus Acropolin expugnatã diruit.

SImon, Iudæ Maccabæi frater, & optimus Iudaici po- puli Ethnarcha denominatus, expugnauit arcem il- lam Antiochenam, ex eaq́ue præſidiarijs eiectis, primò Iudæis

Iudæis uiris eam communiuit, tandem autem ne posthac iterum hostibus receptaculum fieri, aut inde Vrbi aliquod inferri amplius incommodum posset, solo adæquauit. Quo facto, proposuit populo operæprecium quoque fore, si & Acræ altitudo, in qua Arx fuerat sita, nonnihil cæsa complanaretur: ut Templum supra eam emineret, nec externus aliquis Princeps eò aliud imponeret propugnaculũ. Populus igitur adeò eius est permotus exhortatione, ut non intermisso per triennium, neque die neque noctu, opere, tandem ad planiciẽ eum locum indefesso labore, per uices sibi succedentes, redegerint: atque ita uallem, quæ Moriam inter & Acram erat, aggeribus repleuerint, nulla iam re relicta, quæ obstaret, quò minus Templum omnibus in Vrbe inferiori locis esset longè celsius, 1. Maccab. 14. Iosephus Antiquit. lib. 13. cap. 41. De Bello lib. 6. cap. 6.

INTERPRETATIO.

SImon ille Ethnarcha cum suo nomine, Hebręorum lingua obedientem seu dicto audientem significante, illustris quoque Filij Dei, DOMINI atque Ethnarchæ, credentis populi, longè excellentissimi, imago extitit: Hic in editum Ierosolymorum tractum è cœlesti missus Sione, Patri suo in assumpta serui forma per omnia, & quidem ad crucis usque mortem obediens est factus, deindeque à mortuis rursum excitatus, supraque omnem principatum euectus, & sui corporis, Ecclesiæ inquam, caput constitutus est: ad hoc nempè, ut sua suique Patris uirtute spiritualis Antiochi expugnatam Arcem complanare, eiusq; præsidia exterminare, nec non uniuersa, quæ uel contra se uel sanctũ suum Templum insurgunt, prosternere, & altis depressis, humilia exaltare commodè posset. Eam rem cum alia Scripturæ lo-

Simonis Maccabæi nominis etymologia et mysterium.

ca, summã CHRISTI obedientiam indicantia, planam faciunt, ut uidere est Ioan. 6. Ephes. 1. Phil. 2. Heb. 1. 8. 10. 12. tum sequentia, de eiusdem præclaris gestis, aduersariæ uerò potestatis suppresione uaticinantia, nominatim denunciant his uerbis: Cur dissecamini montes editi? Deus caput suorum hostium confringet, Psal. 68. DOMINVS subleuat humiles, & impios ad terram prosternit, Psal. 147. DOMINI dies Sebaoth (talis) est in omnes altos montes, in omnes elatos colles, in omnes excelsas Arces, in omnes munitos muros (ut deprimantur) Et omnis hominum sublimitas incuruabitur, cunctaq; uirorum altitudo humiliabitur, & solus DOMINVS in (HV) illa die extolletur, Esa. 2. Et 40. Omnis uallis exaltabitur, & omnis mons atque collis (Gibeath) humiliabitur, prauaque in directa & aspera in planas uias redigentur: Et reuelabitur gloria DOMINI, omnisque caro pariter uidebit, quod os DOMINI loquutum est. Similiter Baruch. 5. sub Iudaici populi ex Babylone reditus exemplo: Constituit DOMINVS omnem montem excelsum, perennesque scopulos deijcere, ac ualles in æquabilem planitiem complere, ut Israel tutum iter in Dei gloriam habeat. Ac 2. Thess. 2. de Antichristi interitu: DOMINVS scelerosum istum oris sui Spiritu interficiet, aduentusque sui claritate abolebit.

August. in hunc Psalmi uersũ: Dominus non solum eorum inimicorum suorum capita cõquassauit, qui crucifixo illudentes, dicebant: Si filius Dei est, descendat de cruce, sed etiam omnium extollentiũ se aduersus doctrinam eius capita conquassabit.

Hieron. in Prophetas scribit: Per montes, colles, & arces sublimes spirituali intelligentia, sæpe Diabolũ, itẽ Antichristũ, necnõ hęresiarchas, adhęc Philosophorũ ampullas, ac alios quosuis homines cõtra Christum, eiusq; membra sese efferentes, accipi.

August. de fide ad Petrũ 1 Hunc spiritum ipse unicus Dei filius spiritũ oris sui significans esse post resurrectionẽ insufflans in Discipulos, ait: Accipite spiritum sanctum.

CAP.

CAP. III.

בית המידרש·

γυμνάσιον.

Collegium Sectarum.

Sumptibus haud paruis quondã me ſtruxit Iaſon,
Hæretici multum me coluere Sophi.

HISTORIA.



NTIOCHVS rerum Ieroſolymis potitus, miſit eò Athenienſem quendam ſenem, qui Iudæos iura patria deſerere compelleret, & leges Dei relinquere, ne illis regerentur: ſed cæterarum Gentium ritus ſuſciperent. Regio quoque edicto tum Legis libri, ſi qui inueniebantur, diſcerpti igni cremabantur, apud quemcunque etiam fœderis codex deprehẽdebatur, aut ſi quis Legi fauebat, is morte mulctabatur: fiebatq; ſingulis mẽſibus hac de re oppidatim inquiſitio. Hîc multi ex populo uel ſponte uel ſupplicij metu à ſancto fœdere, ut Rex edicebat, deſciuerunt, & Gentium utentes inſtitutis, ad malum patrandum ſe emancipauerunt, 1. Maccab. 1. 2. Maccab. 6. Ioſephus Antiquit. 12. cap. 7.

De defectione Iudæorum à lege diuinitus p Moſen præſcripta, ad ritus atque ſtudia Gentilium.

Inquiſitio.

Quinetiã ipſe Pontifex IESVS, qui ſe Iaſonem uocari malebat, in Regis gratiam ſub Acropoli Gymnaſium & Ephebiam extruxit, ubi iuuentus in Græcorum Philoſophorum ſtudijs, ludiſq; ſcænicis & paleſtra exerceretur: Atque hoc eius nefario minimeque ueri Pontificis inſtituto factum eſt, ut exterorũ rituum ardor increbeſceret, & ipſi Sacerdotes, contempto Templo, ſacrificijſque & Moſis lege neglectis, ad diſcenda Philoſophiæ ſtudia, nefariaque paleſtræ ſpectacula fruenda

Gymnaſiũ Ieroſolymitanũ.

Scilicet in uulgus manãt exempla Priorũ.

properarẽt:ac patrios honores pro nihilo habẽtes,Græcas gloriolas pulcherrimas ducerent,1.Mac.1.2.Mac.4.

Hieron. in hunc locũ: Quanta Iudæi ab Antiocho paſsi ſunt, Machabęorum libri referunt, quòd nempe pro cuſtodia Legis Dei flammas, & gladios, & ſeruitutem, & rapinas, & pœnas ultimas ſuſtinuerunt, Quæ futura nemo dubitet ſub Antichriſto, multis reſiſtẽtibus potẽtię eius, & in diuerſa fugientibus.

Tunc accidit, ꝙ ore Danielis ſanctus Spiritus Antiochi tempore in typo, ſecundũ hiſtoricam ueritatẽ, præceſſurũ eſſe dixerat his uerbis: Qui impiè agẽt in fœdus, hos(Rex)blandis ſermonibus peccare faciet. Et ſtatim: Doctiores in populo plurimos docebũt, & corruent in gladiũ, in flammã, in captiuitatẽ atq; direptionẽ multis diebus. Et ex erudientibus(alios)nonnulli ſuccũbent (à Deo & eius lege ad Gentiles mores deficient)ut cõflentur, & mundentur atq; dealbentur(Iſraelitę ſcorijs, hoc eſt, falſis gentiliũ inſtitutis)uſq; ad tẽpus præfinitũ, nam adhuc ſupererit tẽpus, Cap.11. Ac cap.8. Cornu illud paruum(Rex Antiochus) uſq; ad cœli exercitũ(ad cœtum Iudaicũ cęleſtis Dei obſeruantẽ)creuit, & deiecit de exercitu(è populo)& de ſtellis(Prępoſitis, Doctorib. atq; Sacerdotibus)nonnullos in terrã(à ſapientia Dei ad terrenã Philoſophorũ ſapientiam)& eas cõculcauit: ac ueritatẽ in terram proijciet (mutato uerbo Dei in uerbũ hominũ.)De Iudæorũ à lege diuina ad Gẽtiles & Philoſophorũ ſtudia defectione etiã Pſal. 106. ita legimus: Cõmiſcuerunt ſe (uiri Iudaici) cum cæteris Gentibus, earumq; opera didicerũt, & in ſtudijs earũ fornicati ſunt.

INTERPRETATIO.

Antichriſtus.

SVb huius aũt hiſtoriæ præcedente typo ſubſequuturus ille ſpiritualis Antiochus, hoc eſt, Antichriſtus, unà cum currẽtibus ſuis Prophetis, conſiderandus quoq; nobis ante oculos ponitur: Qui ſuppreſſa ueritate, abolita lege diuiniq; ſpiritus doctrina, ſublatis etiã apertis diuini uerbi teſtimonijs, & uera Dei atq; Chriſti cognitione Cymmerijs offuſa tenebris, cuncta humanarũ inuẽtionũ philoſophicorũq; ſophiſmatũ fermẽto ac falſa impiaq; doctrina ꝑmiſcebit, polluet, obſcurabit: doctores

Ierem. 23.

Matth. 16.
Coloſſ. 2.

ſimul

ſimul & populum à luce ad tenebras, de ueritate ad figuras, de cœleſtibus atque internis ad terrena & externa huius mundi elementa, perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ uerbis, ſeducet, fidei hominum dominari, Christianam libertatem è medio tollere, ſeruilem aũt quandam coactionem & intollerabilẽ conſcientiarum oppreſsionem introducere conabitur: At ſibi aduerſantes, ſuiſque immorigeros placitis, hoc eſt eos, qui teſtimonijs uerbiſque CHRISTI unicè addicti, imaginem ipſius nec uenerari, neque characterem in frontem & manus ſuas accipere uolent, quoquo modo perſequetur, depopulabitur atque occidet. Galat. 4. 1. Cor. 2. 2. Cor. 1. Galat. 2. 1. Pet. 2.

† *Hieronymus in hunc locum: Mittit Dominus famem in terram ſuper eos qui terrena ſapiunt, & famem non panis, ſed audiendi uerbum Domini, quando propter peccata populi doctrinà deficit in Eccleſia. Idem ibidem: Interrogabimus Iudæos, quam illam diem ſignificari putent, in qua ſuſtineant famem audiendi uerbum Dei: præſertim cum legant ſcripturas, & humilitatem ſequantur literæ? Quibus ingerimus famem eſſe prædictam intelligentiæ ſpiritualis, in qua Chriſtus cernitur, paßio Domini & reſurrectio reperitur: circumeunt orbem, & quærunt uerbum Domini, & non inueniunt, quia uerbum Domini negauerunt, quod factum eſt in manibus omnium Prophetarum, quod in principio apud Patrem erat, quod caro factum eſt, & habitauit in nobis. De hoc (inquam) pane (Dominus hic) dicit, qui de cœlo deſcendit, quem qui comederit, nec eſurire poterit, nec ſitire.*

Vbi tum miſerabilis & deploranda Eccleſiæ erit conditio, adeò ut ea tandem magnam in partem, quoad exteriorem ſuam faciem atq; congregationem obſcuretur, diſsipetur, & rari omnino eius incolæ deprehendantur, De quo DOMINVS apud Amoſum uerba facit: Venturos dies, cum ipſe immittet † famem in terram, non famem panis (corporalis) ſed audiendi DOMINI uerba (ut ſcilicet homines cognoſcere poſsint ſanam & purã putã CHRISTI atq; ſpiritus ipſius doctrinam) tumque multos ab altero mari ad alterum pererraturos, & à Septentrionibus ad Orientem peragraturos, quærendo uerbum DOMINI (ſpiritus & uitæ uerbum) nec tamen inuenturos (propterea quòd error, mendacium, & falſa doctrina dominabuntur) Cap. 8. Eccleſiæ ſtatus ſub Antichriſto.

Et Esa. 22. dicitur, Solem (illum iustitiæ cum sua cognitione) in meridie occasurũ, terramq; in die luminis tenebris obducendam. Oseas quoq; Antichristi tempora respexit cum scriberet, Nec ueritatẽ, nec pietatem, neq; Dei (& Christi) cognitionẽ ueram in terra esse, sed maledicere (omnes) mẽtiri, occidere, furari, adulterari, sanguineq; contingi sanguinẽ. Item Ioãnes in Apoc. Aperto, inquiens, sexto sigillo (ultima mundi clade manifestata) factũ Solem tam nigrũ, quàm est saccus cilicinus (uerã scilicet Christi cognitionẽ Antichristi traditionibus prorsus obscuratã) & Lunam (Ecclesiam) totam factam sanguineam (carneo humanæ sapientiæ fermẽto consperſam) Ac stellas cœli (Ecclesię Doctores, Episcopos, Sacerdotes, qui stellę & luminaria populi, doctrina bonaq; sua cõuersatione, esse debebant) cecidisse ad terram (deficiẽdo à rebus cœlestibus, terrena atq; humana amplexos, & sic infatuatũ sal factos esse) Cap. 6. Similia ferè idẽ Euangelista 12. cap. testatur his uerbis: Draconis rufi (id est, Sathanæ & Antichristi) cauda (potestas, uis, & dominatio) tertiam stellarũ cœli partẽ (Doctores nimirũ & pręsides Ecclesiasticos) detraxit (à cõtemplatione legis spiritus uitæ, à uerbo Dei & Christo abalienauit) inq; terrã deiecit (blandis locustarũ istarum, uultus hominũ, capillosq; mulierũ similes habentiũ, uerbis seduxit, & splendidis diuitijs, mundana gloria, fortunis ac carnis uoluptatibus ad se allexit: ut terrenis inhiantes, Christi ac ueri ipsius cultus obliuiscãtur, imò pleriq; ex ijs Dominũ, qui eos magno uindicauit, abnegent: plus hominũ quàm Dei honori addicti) Huc & illud Hieronymi alludit, cum is in Ieremiam cõmentatur: Ecclesię populũ extremis temporib. ex legis Dei ignorantia Antichristũ pro Christo susceptũrũ, ac tum dictũ Prophetæ de fletu super mõtes, & eiulatu super deserti speciosa implendũ, quando scilicet Ecclesiæ principes peccauerint

Augu[st]. Sol Christum sæpe significat.

Hieron. in Esa. & Amos Luna mystice Ecclesia est.

Hiero. in 12. Dan. Qui alios erudierunt, stellarũ fulgori cõparabuntur.

Matth. 5.
Doctores sunt infatuatũ sal, cum sapientiæ Christi sale carẽtes, nullos fructus edunt, nec docendo promouent.
Aug. Caudã præpositos dixit, Cœlum Ecclesiam.

Apoc. 9.

2. Pet. 2.

rint,& nihil in ea inuenietur substantię Dei (spiritus diuini uiuæq́, Dei legis) nec audietur uox Domini, Ecclesiam per sanctos & Apostolicos uiros posſidentis, cum Apostolici uiri & Doctores quiq; defecerint (à Christo, à pietate & sacrosancta ueritate) tunc redigendã Ierosolymã, id est, Ecclesiam, in lapidũ aceruos, ut hæreticorũ in ea sermo pręualeat, ipsaq; Draconũ efficiatur cubile, nec sit in ea amplius diuini sermonis habitatio, aut ille qui dicit, inhabitabo & inambulabo in eis, & ero ipsorũ Deus. Sic ille in 9. cap. Ierem.

Dist. 93 c. Diaconi sunt: Ex quo in Ecclesijs sicut in Romano imperio creuit auaritia, perijt lex de sacerdote, & uisio de Propheta.

Leuit. 26.

2. Corint. 6.

De persecutione uerò Christianorũ sub Antichristo Apo. 12. ita scriptũ est: Et Draco iratus mulieri (Ecclesię) abijt ad faciendũ præliũ cum reliquis ex ipsius semine, qui Dei præcepta obseruant, & Iesu Christi testimoniũ habent. Ac cap. 13. Altera illa Bestia habens duo cornua, seducit habitãtes in terra, & efficiet ut quicunq; nõ adorauerint (septicipitis) Bestiæ imaginẽ, occidantur: ac faciet omnes pusillos (iuxtà) ac magnos, diuites ac pauperes, liberos ac seruos, accipere characterem in manu sua dextera aut frõtibus, néue quis emere aut uendere posſit, nisi habeat characterem aut nomen Bestiæ.

Aug. de Symb. Draconẽ diabolũ esse nullus uestrum ignorat.

Aug. Bestia cum duobus cornib. facit, ut homines simulachrum Bestiæ, id est, diaboli adinuentiones adorent.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

SEd ut eò, unde digresſi paulùm sumus, reuertamur: Subi Antiochi tyrãnide diuinę legis studiũ ita intercipi, & philosophicũ in Vrbe, Pontificis opera, Gymnasiũ aperiri cœpit, quẽadmodũ nuper cõmeminimus: hinc deinceps uarias istas per Iudęam hęresiũ & sectarũ familias, Pharisęos, inquã, Sadducęos, Scribas, Essenos, Hemerobaptistas, Ossenos, Herodianos, Iudaitas, &c. Chaldęorũ, Itẽ Pythagorę, Zenonis, Epicuri, Platonis & Aristotelis instituta ut plurimũ persequẽtes, si nõ primũ ortũ, tamẽ incremẽta & suas progresſiones habuisse, eruditi

De uarijs Iudæorũ sectis.

quidam perhibent: Quorum ſententia cum ueteribus probari queat Hiſtoricis, eo exemplo reipſa cõperimus, quàm uerum Hieronymi dictum ſit, quo is Tertullianum, teſte Eraſmo, ciere uolens, Libro aduerſus Pelagium ita teſtatur: † Pulchrè quidam noſtrorum ait, Philoſophi patriarchæ hæreticorum, Eccleſiæ (diuini populi cœtus) puritatem peruerſa maculauere doctrina, Quodq; appellatus iam Tertullianus non iniuria contra Hermogenem Philoſophorum ingenijs omnes hæreſes animari, ac de Præſcript. Hæret. ipſas hęreſes à Philoſophia ſubornari aſſerat.

Vnde ſectæ & oriantur & ſubornentur.

† *Eraſmus in Scholijs ſuper illud Hieronymi: Pulchrè quidã, &c. Dictum eſt alicuius Chriſtiani, fortaſſe Cypriani aut Tertulliani (rectè hic enim contra Marcionem Philoſophos Patriarchas hæreticorum nominat) Noſtrorum enim addit, ne putares Ethnicum. Significat (autem citato dicto) omnes hæreſes è Philoſophorum literis eſſe natas: & puritatem Chriſtianæ ſapientiæ doctrina illorum non adiuuari, ſed conſpurcari. At cur non in ius uocant Hieronymum iſti quidam Theologi, qui nihil putant intelligi in diuinis Literis, niſi bonam uitæ partem in Ariſtotele contriueris: impudentiſsimum eſſe concionari apud populum de Chriſto, niſi Ariſtotelis Phiſicam & Metaphyſicam ad amuſsim calleas. Indocta putant omnia, niſi centies inculcaris Philoſophum. Actum putant de Chriſtiana religione, ſi quis Ariſtotelis decreta reiecerit: Et unde Hieronymus omnes hæreſes exortas putat, ſine his non exiſtimant hæreticos poſſe refelli. Neq; enim ſic poterunt elabi, ut dicant, Hoc ab alio dictum, non ab Hieronymo. Certè cum probat alienam ſententiam, ſuam facit. Neq; uerò hæc dixerim, quòd Ariſtotelicæ philoſophiæ ſtudium improbem, aut ullum omnino ſtudium, modo bonarum literarum: ſed quòd nolim in prophana Ethnicorum doctrina, ſacræ Chriſti doctrinæ præſidium conſtitui. Hæc ille.*

Conſenſio Iudaicorũ ſectariorum.

Chriſtus Emmanuel, id eſt, Nobiſcũ Deus dicitur, Mat. 1. cuius regnum ex hoc mundo non eſt, Ioã. 18

Marci 11.

Lucæ 19. 24.

Iohan. 11.

Hier. in 22. Matt. Phariſæi & Sadducæi inter ſe cõtrarij ſunt, ſed in tentãdo Chriſto conſentiunt.

Actor. 7.

Lucæ 21.

Adducti autem modo Iudęorum Sectarij in eo bellè conſenſerunt omnes, quòd falſas multas de Meſsia, CHRISTO inquam, opiniones habebant, qui purus ſaltem homo exiſtens, politico regnaturus foret more, & eo iam præſente, non ſolum tota eius obuerſatione atque doctrina offendebantur, eum pro illo, qui uerè erat, agnoſcere nolentes: ſed & cõtrauenerunt ei, ut cum maximè, & tandem in mortis eum condemnationem tradiderunt: ſicut quoque omnes CHRISTI Prophetas, Apoſtolos & aſſeclas infeſtabant, perſequebantur, Regnumq; Dei, ut uiolenti illi, de quibus CHRISTVS Matth. 11. dicit, ui rapere, ſeu è medio remouere atque ſup-

ſupprimere ſemper conabantur. Cōuenerunt & in eo, quòd externa ſeu legali iuſticia Deo ſatisfieri, ſalusque comparari poſſet, arbitrabantur: licet ſinguli peculiarem ſuam & propriam iuſticiam maximis laudibus cumularent. Hoc quoque illis ferè omnibus commune erat, ut ſuis opinionibus ueritatem diuinam confunderent, atq; adeò proprias ratiocinationes uerbo Dei præponerent: & ſic uani in uanis ſuis cogitationibus facti ſunt, obtenebratóq; deſipienti ipſorum corde, cum ſapientes ſe profiterentur, magnos ſtultos præſtiterunt: uelut Paulus de omnibus omnium ſœculorum Philophaſtris, Rom. 1. & 1. Cor. 1. non obſcurè uerba facit. Et Moſes Iudaico ſuo populo hoc pacto prædicit: Quòd ſi uoci DOMINI Dei tui nō obedieris, ut omnia eius pręcepta & ſtatuta, quæ ego hodie tibi præcipio, cuſtodias atque facias: ſed in Gentium ſtatutis ambulabis, ijsque te pollues: percutiet te DOMINVS amentia, & cæcitate, & ſtupore cordis, palpabisque in meridie, quemadmodum cæcus in caligine palpat, Deut. 28. Leuit. 18. 20.

Matt. 5. Niſi abūdauerit iuſtitia ueſtra plus q̃ Scribarum & Pharifæorū, non intrabitis in regnū cœlorum, Rom. 3 Ex legis operib. nulla caro corā Deo iuſtificabitur.

Lactant. Veritatē cogitando aut diſputādo nemo aſſequi poteſt. Idem: Diuinis Literis eſt nobis traditum, cogitationes omniū Philoſophorū ſtultas eſſe.

Hæc de iſtorum Sectariorum conſenſione generatim commemorata ſufficiant: nunc quod alijs ab alijs ſingulare atque diuerſum dogma fuerit, ſpeciatim enarrabimus.

Diſſenſio Iudaicorum ſectariorum.

PHARISAEI

DIcti ſunt, quòd ſe ſepararint, & ab alijs profanis hominibus diſcrepantes uoluerint uideri. Pareſch enim Hebraica lingua ſe ſeparans, & à uulgo diuidens, appellatur.

Hier. aduer. Lucifer. Phariſæi à Iudæis diuiſi, propter quaſdā obſeruationes ſuperfluas, nomē quoque à diſsidio ſuſceperunt.

Multas ij humanas conſtitutiones inuenerunt, quibus & ſeipſos macerabant, & cęterorū hominū cōſcientias onerabant, prǽteritis interim & ſolutis Dei præ-

Idē in Eſa. uocat Phariſæorū traditiones lacus aquā non continentes, quæ à Deo homines longius faciāt diſcedere.

ceptis, Matth.13.23. Marci 7. Lucæ 11. Actor.15. Iosephus Antiquit.13.cap.18.

August. Ser. 67. de Temp. Vestimẽta religiosa sine bonis operib. non solũ remediũ habere non poterunt, sed etiam iustum Dei iudiciũ sustinebunt.

Rituum superstitiosa obseruatione, ac uestium priuato cultu, singularem sanctimoniæ speciem uenditabant, Lucæ 11. Matt.15.

Ambros. lib.3. in Lucam: Christus Sabbathi corporalis superstitionem tulit.

Sabbatho ne ægrotum quidem sanandum, neque spicas esurientibus euellendas putabant, Matt.12. Mar.3. Lucæ 6.14. Ioan.5.7.9.

Hieron. Manus, id est, opera non corporis, sed animæ (præcipue) lauandæ, ut fiat in illis Verbum Dei.

Cum publicanis ac peccatoribus non esse capiendum cibum, & lauandum semper, quoties cibus sumendus esset, & à foro discederetur, urceos quoque, item lectos atq; alia multa identidem lauanda, Matt.9.15. Marci 2.7. Lucæ 11.15.

Matth. 19. Quisquis Vxorẽ suam repudiauerit, nisi ob stuprũ, & aliã duxerit, adulterat

Vxori quauis ex causa scripto diuortij instrumento nuncium remitti licere, Matth.19. Marci 10.

Vide Hier. in 15. cap. Matt.

Melius esse de facultatibus aliquid in Templũ conferre, quàm egenos parentes alere, Matt.15. Mar.7.

Ambros. Virginitas non imperatur, sed optatur.

Virginitatis & continentiæ uotis ad certos annos se astringebant, Epiphanius 1. contra Hæreses.

1. Tim.4. Corporalis exercitatio ad pauca est utilis, at pietas ad omnia utilis est, promissionẽ habens & præsentis & futuræ uitæ.

Quidam ex ijs asseri dodrantis tantum latitudine, alij lapillis, alij spinis dormituri incubabant, Epiphan.

Matt. 23. Væ uobis Scribę & Pharisæi, quòd decimatis menthã & anethũ, & cuminũ, & reliquistis quæ sunt in lege grauiora, iudiciũ scilicet, & misericordiam, ac fidẽ.

Ex præscripto proprio bis in hebdomade ieiunabant, & bona sua omnia decimabant, etiam mentham, & anethum, & cuminum, Matt.23. Lucæ 11.18. Epiphan.

Quicquid ratio illis dictabat, pertinaciter sequebantur, Ioseph. Antiquit. lib.18. cap.2.

Fatali necessitati, quæcunque geruntur, magnam partem

partem tribuebant, ſic tamen ut liberam naturalis hominis uoluntatem inde non excluderent; dicentes uiſum eſſe Deo ita rem temperare, ut & fato ſit locus, & tamen homo poſsit, ſi uelit, uirtutem ſequi uel uitia, Ioſeph. Antiq. 13. cap. 19. 18. cap. 2. Epiphan.

Augu. Niſi fatuus eſſes, fatũ non crederes.

Aſtronomia apud eos uel in primis in uſu erat, Epiphanius.

Auguſt. Aſtronomia parũ aut nihil ſacræ commodat ſcripturæ.

Animas quidem omnes incorruptas eſſe, ſolas tamen bonorum in alia migrare corpora: improborum uerò interminato ſupplicio cruciari, Ioſephus de Bello lib. 2. cap. 7.

Vide Auguſt. cõtra errorẽ de migratione animarũ in alia corpora. De Geneſ. ad lit. lib. 7.

Fidem ſuam iureiurando neque Regi neque Cæſari obligare uolebant, nec per Templi aurum, aut per donum quod in Ara eſſet iurandum, docebant: iurari autem poſſe, non ſolum per Dei nomen, quod ipſe Deus conceſſerat, ſed & per cœlum, per terram, per Ieroſolymam, per Templũ, per Altare, & caput proprium, Matthæi 5. 23. Ioſeph. Antiq. 17. cap. 3.

Chriſtus hanc opinionem refutat in Matthæo.

Scilicet ut Ethnici, teſte Poeta, dicebant: Per ſidera iuro, Per caput hoc iuro.

Claues regni cœlorum ſibi unis aſſumebant, Matt. 23. Luc. 11.

Imaginarias & rubigine obductas habebant claues ſibijpſis & alijs inutiles.

Futurorum præſcientiam ex Dei colloquijs iactitabant, Ioſeph. Antiq. 17. cap. 3.

SADDVCAEI

QVi ſibijpſis hoc nomẽ à iuſticia impoſuerunt (Saddikim enim iuſti, ſeu iuſticiarij dicũtur) ſolos quinque Moſis libros recipiebant, abiectis omnium Prophetarum ſcriptis, Ioſephus Antiquit. 18. cap. 2. Hieron. lib. 3. in Matthæum.

Hier. in 22. Matt. Ambroſ. in Luc. Sadducæi deteſtabilis portio Iudæorum.

Negabant mortuorum reſurrectionẽ, nec anima-

Hier. aduerſ. Luciferianos.

Chriſtus hanc opinionẽ refutat, Matt.22.

rum uel ſupplicia uel honores fore credebant, ſed eas ſimul cum corporibus interire, Mat.22. Actor.23. Ioſeph. de Bello, 2. cap.7. Epiphanius.

Auguſt. de Verbis Domini.

Dicebant neque Angelos, neq; Spiritum ſanctum eſſe, Actor.23. Epiphanius.

Aſſeuerebant omnia in noſtra ipſorum poteſtate conſiſtere, & nos tàm fœlicitatis nobis ipſis auctores eſſe, quàm infortunij, ſi deteriora conſilia ſequamur: fataliter autem nihil hominibus euenire, Ioſephus Antiq. 13. cap.9. De Bello lib.2. cap.7.

Feris inter ſe moribus diſcrepabant, Ioſeph. de Bello lib.2. cap.7.

Contra magiſtros eius, quam ſequebantur ſapientiæ, diſputare, uirtuti tribuebãt, Ioſeph. Antiq. 18. cap.2.

SCRIBAS

Lodo. Viues in 18. lib. Auguſt. de Ciuit. Dei: Scribę erant qui ſacrorũ librorũ literã tantũ docebant, nec ab ea recedebãt uel latum culmũ. Qui uerò maius quiddam profitebantur, Phariſæi nominati ſunt, à Phareſch, quod eſt diuiſio .q. ſe uelut meliores à multis diuidẽtes, ſeparantesq;, & utriq; tam Scribę quàm Phariſæi in cathedra Moſis ſedebant, populo Legẽ enarrantes: Scribæ ad cognitionem literę, ſenſusq; hiſtorici, ac uelut introductionem rerum aliorum ac ſecretarũ, quas Phariſęi explicabant.

EOſdem fuiſſe, qui aliàs νομοδιδάσκαλοι, & νομικοὶ, hoc eſt, Legis doctores, ſeu periti Legis dicuntur, nonnulli ex Luc.5. & Matt.22. alijsque pluribus Euangeliſtarum capitibus colligunt: Hi Legis expoſitores atque doctores præ cæteris exiſtimari uolebant, Legẽ uelut Grammaticam ſcientiam exponentes, & ſuperuacaneam ſophiſticam quandam eius interpretationẽ introducentes, ſicut de illis Epiphanius loquitur. Et Origenes eos propterea quòd nudæ ſcriptæ atq; mortuæ literæ, contempto Spiritu uiuificante, mordicùs inhærerent, Scribas ſeu Literarios nuncupatos, In Matth. Tract. 24. In Ioan. Tom.17. teſtatur: Tractatu uerò 25. in Matt. ſic ait: Arbitror omnes Scribas dici, qui amplius nihil putant in Scripturis poſitum, quâm ſimplex Scripturæ ſermo demon-

demonstrat, & præterea eos quoque contemnunt, qui Dei altitudinē aut spiritualem intelligentiā scrutantur.

ESSENI

SEu Essæi, id est, operarij, nec uxores nec seruos habebant, quòd hoc iniquum, illud iurgiosum arbitrarentur.

Facultates in commune posidebant.

Probro ducebāt munditijs corpus abstergere, squalorem decorem putantes.

Veste saltem candida utebantur, eaque, ut quoque calceis, non mutata, donec omnino contrita foret.

De mysterijs suos consectaneos quidem nihil celabant, prophanis tamen eorum nihil publicabāt, etiamsi intentata morte compellerentur.

Sabbathum adeò strictè seruabant, ut eo die neque ignem accenderent, neque uas aliquod transponerent, quinetiam nec aluum purgarent.

Ad Templum donaria mittentes, sacra ibi non faciebant, sed seorsim sacrificabant, & priuatis utebantur Ceremonijs.

Omnia in fati potestate esse, neque quicquam hominibus, præter fati decretum, accidere affirmabant. Hæc & plura Iosephus Antiquit. 13. cap. 9. lib. 18. cap. 2. De Bello lib. 2. cap. 7. Philastrius de Hæresibus. Epiphanius lib. 1. contra Hæreses.

Hiero. in Quæst. super Para. Quos Iosephus Essenos uocat, eos Hebræi Eunuchos nominant, Hi ab omnibus actibus seculi alieni, orationi tantū & lectioni uacabant, & uxores (si quādo ducebāt eas) non causa libidinis, sed suscipiendæ prolis gratia habebant.
Idem lib. 2. cōtra Iouinia. Iosepho & Philone testatur, Essenos ab uxoribus, & uino & carnibus abstinuisse, & ieiuniū uertisse in naturā.

Vide August. cōtra fati doctrinā in Quæstionibus ex utroq; mixtis. Item Epiph. contra Hæres. Et Hieron. in Esa. 38. ca.

HEMEROBAPTISTAE

Epipha. Nec Oceanus, neq; omnia fluenta ac maria, fluuijq; perpetui, ac fontes, uniuersaq; imprisera natura in unum congesta, peccata delere potest.

APpellati ſunt, quòd ſingulis diebus identidem corpus baptizantes, ſola externa aqua internas cõſcientias à peccatis purgari, ſeque totos coram Deo ſanctificari bellè poſſe confidebant. Epiphanius.

OSSENI

Vide 1. Cor. 7.

ADuerſabantur uirginitati, odio habentes continentiam, & ad nuptias cogentes.

Rom. 10. Corde creditur ad iuſticiam, ore fit confeſsio ad ſalutẽ.

Fidei confeſsionẽ, quam Paulus ore ad ſalutem fieri debere aſſerit, perſecutionis tempore, periculi deprecandi gratia, ſeponebant.

Hoc pacto qui unus erat ſeipſum diuidebat, & alterã ſui partẽ Deo, alterã ſimulachris addicabat: cum tamen effœminati iſti homunciones nequaquã dicturi fuiſſent, mulierẽ ſe uiro ſatis probare, ſi cum alteri corpus ſuum proſtitueret, ſe tamẽ uirum ſuũ in animo ferre teſtaretur.

Licet ſimulachra ipſos adorare contingeret, magiſtratu aut alijs urgentibus, ſi ſolum in conſcientia non adorarent, & ſi quid etiam labijs profiterẽtur, à quo eorum cor longè abeſſet, peccatum id eſſe negabant. Epiphanius.

HERODIANI

HErodem maiorem CHRISTVM illum DOMINVM, in omnibus Scripturis, Legeque ac Prophetis promiſſum, eſſe exiſtimabant. Epiphanius. Hieronymus in Matth. & aduerſus Luciferianos.

IVDAITAE

A Iuda Gaulanitæ ſuo Anteſignano denominati, ſolum Deum DOMINVM ac Principem habendũ, nec quenquam mortalium Dominum appellandum, perſuaſi erant.

Iidem

Iidem nullum Ethnicis Romanorum præſidibus tributum pendere uolebant, Ioſephus Antiquit. 18. cap. 1. & 2. De Bello lib. 2. cap. 7. Fit quoque eorum mentio Actorum 5.

Cõtra Rom. 13

Hæc de Iudæorum ſectis ex Philoſophica, Ieroſolymis inſtituta, ſchola ſi non natis, at certè plurimum adauctis, commoda oblata occaſione, prætereunda non putaui: quas quidem Sectas DOMINVS IESVS ſuos uitare debere ſedulò hortatus eſt: Videte ac cauete, inquiens, à Phariſæorum, Sadducęorum & Herodis fermento, hoc eſt, ut ij poſtea, ſuggerente Spiritu, intellexerunt, ab eorum doctrina atq; hypocriſi, Matt. 16. Mar. 8. Luc. 12. Et Matt. 15. Sinite eos, duces ſunt cæci cæcorum. Ac rurſus ex Propheta: Fruſtra me colunt, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum. Eodem quoque modo Paulus Coloſſ. admonet, ut uideant ne quis eos deprędetur per Philoſophiam & inanem deceptionẽ, (docens) ſecundum traditionem hominũ, ſecundum Elementa mundi, & non ſecundum CHRISTVM, Cap. 2. Quod Apoſtoli dictum Cyprianus allegans ita exponit: Vt, cũ Apoſtolus dicat, Videte ne quis uos deprędetur per Philoſophiã, uitanda eſſe quæ non de Dei clementia ueniunt, ſed de Philoſophię duriori pręſumptione deſcendunt: Plurimum enim diſtare inter Chriſtianos & Philoſophos, Epiſt. 2. lib. 4. Et Tertull. de pręſcript. Hæret. ait: Paulum ad Coloſſenſes nominatim ſcripſiſſe, Philoſophiam & inanem ſeductionem cauendam: Fuerat Athenis, ait porrò Tertullianus de Paulo, & iſtam ſapientiam, humanam effectatricem, & interpollatricem ueritatis, de congreſsibus nouerat, ipſam quoque in ſuas Hęreſes multipartitam, uarietate ſectarum inuicem repugnantium: Quid ergo Athenis & Ieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? quid Hæreti-

Hiero. Dominus per Phariſęorum & Saducęorũ panem traditiones peruerſas & Hæretica ſignificat dogmata.

Cyrill. in Leuit. Fermentũ humana doctrina eſt, uerbi cauſa Grãmatica ars, uel Rhetorica, uel etiam Dialectica: ex qua doctrina ad ſacrificiũ quidẽ, hoc eſt, in ijs quæ de Deo ſentienda ſunt, nihil ſuſcipiendũ eſt.

Philoſophia.

Auguſt. de Ord. Diuinæ Scripturæ Philoſophos huius mundi euitandos atq; irridendos eſſe pręcipiunt.

Hieron. aduersus Pelag. Philosophorum spineta Ecclesiastica simplicitas nō amat. Ambro. in Epist. ad Colosſ. Apostolus cauendam monet traditionem Philosophicam, quia mundi cultrix est, non Dei, qui unus est, nec ad Christum, sed à Christo abstrahit, in quo perfectio diuinitatis est.

cis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat, DOMINVM in simplicitate cordis esse quærendum, uiderint qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum Christianis prætulerunt: Nobis curiositate opus non est post CHRISTVM IESVM, nec inquisitione post Euangelium.

Hæc ille.

CAP. IIII.

בית שר הפרושים·

οἶκος τοῦ ἄρχοντος τῶν φαρισαίων.

Domus Principis Pharisæorum.



Cui quondā tumuit nimis hausta uenter ab unda,
Redditur hic sanus munere CHRISTE tuo.

HISTO-

HISTORIA.

ERISIMILE est Pharisæorum istius primarij domum circa hoc, iam descriptum, Gymnasium constitisse, in qua CHRISTVS hydropicum manu appreheſum sanauit, ut Lucas 14. cap. scribit: Et accidit, inquiens, ut (DOMINVS) introiret in domũ cuiusdam Pharisæorum principis Sabbatho, ad capiendum cibum, & illi eum obseruabant: Et ecce homo quidam Hydropicus ante eum erat. (Tum) IESVS ad Legisperitos & Pharisæos dixit: Num licet Sabbatho sanare? At illi tacuerunt. Ipse uerò illum apprehensum, sanauit ac dimisit.

INTERPRETATIO.

Cur Iesus conuiuia frequentarit.

QVòd CHRISTVS à diuersis, imò ab ipsis etiã peccatoribus inuitatus, ad eorũ conuiuia itabat, id non sua eum causa, uel ut corpus curaret, fecisse arbitrabimur: sed potius ut hoc quoque modo, quemadmodum D. Hieronymus in Matthæum commentatur, & humilitatem suam sceleratos, qui modò cõuerterentur, non abhorrentem demonstraret, & diuini prædicandi regni occasionẽ aucuparetur, & tum suos hospites, tum simul accumbentes, cœlestis Verbi doctrina spiritualiter pasceret: Eius siquidem cibus, potus, obuersatio uel quæcunq; alia in carnis dispensatione gerebat, alijs quoq; seruiebant, & hominum salutem procurabant, teste eodem ad Damasum Hieronymo. Cui & Ambrosius libro Sermon. his uerbis astipulatur: Esurijt CHRISTVS non (saltem) cibum hominũ, sed salutem (præcipuè) nec escarum sœcularium epulas concupiuit, sed animarum desiderauit cœlestium sanctitatem: Cibus enim CHRISTI est redemptio populorũ, cibus CHRI-

Cyrill. in Iohan. Fuit Saluatori nostro is quasi proprius mos, uel minima oblata causa plurima utiliter audientib. dicere

STI eſt paternæ uoluntatis effectus, ſicut ipſe ait: Meus autem cibus eſt, ut faciam uoluntatẽ Patris qui me miſit, Vnde & nos eſuriamus cibum non qui terrenis epulis apparatur, ſed qui (æterni Verbi auditione) colligitur: Ille enim corpus ad tempus nutrit, hic autem animam reficit in æternum.

Quid Chriſtus per externi Sabbathi uiolationem denotarit.

Quòd autem externum ille Sabbathum identidem uiolabat, Sabbatho ac in Templo multos curans infirmos: Eo ueram legis impletionem, peccatiq; abolitionẽ & ferias à peruerſis carnis operibus agitandas demonſtrare uoluit: Adhæc renouationem ueteris hominis & Chriſtiani atque æterni Sabbathi inſtitutionẽ: Nec non legem ſpiritualẽ eſſe, cui meris externis actionibus nullo modo ſatis queat fieri.

De uero uſu et fructu miraculorum Chriſti.

Augu. in Ioan. Interrogemus ipſa miracula Chriſti, quid nobis loquantur de Chriſto, habent enim ſi intelligantur, linguã ſuam: nam quia ipſe Chriſtus uerbum Dei eſt, etiam factum uerbi uerbũ nobis eſt.

Idem Homil. 104 de tempore: Dominus ac ſaluator noſter, duplici genere uirtutes ſuas (ac miracula) operatus eſt, & corporaliter & ſpiritualiter, uiſibiliter & inuiſibiliter, ut per uiſibile opus inuiſibilem oſtẽderet uirtutem.

Verùm in pręſenti & ſimiliter alijs CHRISTI miraculis non ſaltem nudam hiſtoriam, uel præterita iam pridem & elapſa ipſius opera conſiderabimus, quod etiam Auguſtinus monuit: ſed magis eorundem ſignificatio ac quidnam Chriſtianis ea mentibus repręſentarint, etiam atque etiam attendemus: Etenim ſiue diſſeruerit, ſiue aliud aliquid externi in carne CHRISTVS operatus ſit, ſemper quoque interni quiddã concurrebat, quod fidem requireret, credentesq; doceret & exerceret: Perinde ut aliàs ex uiſibilibus noſtrisq; expoſitis oculis rebus inuiſibilium & internarum, quę ſub ijs ipſis aut fiunt aut occultantur, delineatam quoquo modo uigili mente ſolemus colligere notitiã: Sic etiam ex corporatis CHRISTI operibus atque miraculis incorporata ipſius potentia, gratia & operatio per fidem eſt contemplanda. Quod externum in eius operibus erat, diffugit & elapſum eſt, at ſpirituale & intimum inde, per fidei urnulam hauſtum, in cordis penetralia recondi-

conditur,ſtabile ſemper & æternum permanet. Externum, inquam, tranſiens fuit, Internum certa ueritas, in qua tutò acquieſcas. CHRISTI dico uiſibilia illa opera deſierunt, ſed æternus eorum Opifex & perpetua eiuſdem eſt potentia, uſque adeò, ut idem ille CHRISTVS ceu Verbum incarnatum, & nunc in carne per Dei gloriam illuſtratũ, eadem adhuc ſpirituali modo per ſuum ſuique Patris Spiritum in omnibus fidelibus animabus operetur, quæ olim corporatè in medicanda ægrotantium carne operatus eſt, hoc eſt, ſanat eos, illuminat, iuſtosque & ſanctos atque ſaluos reddit.

Hydropicus igitur iſte, de quo hoc loci mentio fit, myſticè hominem carnalium uoluptatum illecebris auaritiæque fluxu exuperante aggrauatum deſignat, teſtibus Auguſtino & Beda: Nam ut ille, quanto magis inordinato abundat humore, tanto amplius ſitit:

Creſcit indulgens, ait Poeta, *Horat 2. Car. Ode. 2.*
Sibi dirus Hydrops,
Nec ſitim pellit:

Ita & hic ſuis uicijs ſatiari nunquam poteſt, Quomodo alius Poeta ſcribit:

Creſcit amor nummi, quantũ ipſa pecunia creſcit. *Iuuenalis.*

CHRISTVS Hydropicum corporatè ſanabat, ut ſe animarum & cœleſtem eſſe † Medicum oſtenderet, qui etiamnum hodie per ſuum Spiritũ ſpiritualiter omnes eos intrinſecus in corde atq; cõſcientia ſanat, curat, ualidos ac ſanctos ante Dei conſpectum efficit, qui Patris tractu diuinæq; prꝫuenientis gratiꝫ uocatione exci-

† *Ambroſius lib. Serm. Medicus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ait: Ego occidam, & uiuificabo: percutiam, & ſanabo. Occidit enim quodammodo antequam uiuificet Dominus: Occidit enim primùm in nobis homicidia, adulteria, ſcelera, furta, & ſic nos tanquam nouos homines æternitatis immortalitate uiuificat.*

tati ad ipſum uentitant, quomodo is ipſe dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & (difficili peccatorũ iugo) onerati eſtis, & ego uos reficiam, Matt. 11. Ac alibi (Pater) me ad euangelizandum pauperibus miſit, ut corde contritis medicer, ut captiuis prædicem remiſsionem, & cæcis uiſum, confractosq́ue in remiſsionem emittam, Eſa. 60. Luc. 4.

Ad ſummam, Primus Adamus uitæ eſcam faſtidiens, ex interdicto ſibi cibo ueternum quendam & intercutem carnalium uoluptatum aquam cõtraxit, quę per omnes eius uenas diffuſa, cuncta humani corporis membra ad ea, quæ bona ſalutariaq́ue exiſtunt, diſſoluta atque ſomnolenta, ad mala uerò & noxia, ſitibunda & alacria præſtitit, quemadmodum Iob. 15. cap. de carnali homine legimus, eum abominandum, inutilem & ſpurcum omnino exiſtere, qui iniquitatem effuſe, ſicut aquam, imbibat. Solus alter Adamus, DOMINVS noſter IESVS CHRISTVS, exhibito ſui corporis & ſanguinis ſpirituali cibo atque potu, hunc morbum aufert, & omnes eius ſuperuacaneos humores intrinſecûs exiccat.

CAP.

CAP. V.

בית הפרושים·

Οἰκία τοῦ φαρισαίου.

Domus Simonis Pharisæi.



Hic olim fuerant Pharisæi tecta Simonis,
Siccat ubi CHRISTI fœmina mœsta pedes.

HISTORIA.

LVCAE septimo cap. de alio quodã Pharisæo, Simone nomine, mentio fit: in cuius ædibus DOMINVS accumbens, † mulieri cuidam in Vrbe, eique peccatrici, quæ ad eum retro accedebat, flensque eius pedes lachrymis rigabat, & capitis sui capillis extergebat, deosculabaturque & unguento ungebat, hunc in modum dixit: Remittuntur ti-

Mulieri in Vrbe peccatrici Christus peccata remittit.

Vide August. in Psal. 140. de hac muliere.

bi tua peccata, Fides tua te ſaluam fecit, Vade in (bona) pace.

† *Cyprianus: Mactata intrinſecus anima peccatricis mulieris, proprium ea in ſancta ſanguinem intulit, ſingula ſuum præbuere miniſterium: cor contritum erupit in lachrimas, fides lauit, charitas unxit. Huius inquam mulieris deuotio uſa eſt capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptiſmo: tetigit, lauit, & unxit unguento, nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe tibi (ô Chriſte) deuouit, Et tu affectum potius quàm factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lauantem, tergebas intrinſecus pœnitentem.*

INTERPRETATIO.

QVibus uerbis Dominus primò oſtendit, ſe iã pręſtare, quod olim Aggęi 2. promiſerat: In iſto, inquiens, loco (Ieroſolymis uidelicet à pace denominatis) ego dabo pacem: Deinde cũ prima mulier ſeducta transgreſſionis rea primùm facta ſit, 1. Tim. 2. eaq; ratione peccatũ in totum mundum intrauerit, Rom. 5. Vnde iam homines ad unum omnes à proprijs matribus in peccatis cõcipiantur atque naſcantur, Pſal. 51. concluſi ſub infidelitatem, & Dei gloria egentes, Rom. 3. 11. ſe uerum DOMINVM, Emmanuelẽ nempe illum, exiſtere: ex pura muliere purè & nouo modo natum, Matt 1. Gal. 4. qui cunctorum impurorum peccata ſolus per ſeipſum delere queat, Eſa. 7. 43. in quem neceſſe habeant omnes credere qui ſalui fieri, & Deo recõciliati, pacificatis conſcientijs in cœleſtem Ieroſolymam aſpirare, æternorumque bonorum æternis participes fieri ſeculis deſiderent, Ioan. 3. 4. 6. 14. Hebr. 9.

Tert. Nouè naſci debuit nouæ natiuitatis dedicator.
Auguſt. Mirabilis mirabiliter natus eſt.

CAP.

CAP. VI.

לשבת הגזית·

Συνέδριον.

Curia atque concilium Seniorum.



Rege ſub Antiocho fabricatur Curia, priſci
Qua dare ſunt ſoliti iura tremenda Senes.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

IVDAEI, regnante Antiocho, & ad ſuarũ legũ obſeruantiã cunctos urgente, in inferiori Vrbe curiã, pro more gentili, ædificarunt: indito illi גזית Gaſith nomine, Conciliũ uerò inibi coactum, de Greco συνέδριον Sanhedrim uernacula lingua appellarunt: utq; huic facto aliquẽ ex lege colorẽ obducere poſſent, electi ſunt LXXI uiri, dicti זקנים, quos Grȩci πρεσβύτερος, Latini Seniores populi, & aliàs Senatores uocare ſolẽt: hi cõtrouerſias ex ſcripto gẽtili Iure, Moſaicis

Gaſith.
Synedrium.

Exod. 18.
Hieron. Fabiolæ. Iethro Moſi dat conſilium (eligendorũ) LXX. Seniorũ, & ſic in typum Eccleſiæ de Gentibus cõgregatæ, legis immutatio Euangelio ſuggerente completur.

Seniores populi.

posthabitis legibus, disceptabant: Reos ad quatuor mortis genera damnantes, ut scilicet uel lapidarentur, uel suffocarentur, aut gladio plecterētur, aut cremarentur.

Commemoratæ modò istius Gasith DOMINVS, ut uidetur, in Amoso recordatur, Seniores illos populi sic alloquens: Idcircò quoniam pauperem opprimitis, & ab eo electum accipitis cibum: domus Gasith ædificatis, & in eis non habitabitis.

Hieronymus pro domibus Gasith domos quadro lapide & dolatis lapidibus uertit.

In inferiori autem Ciuitate domum Gasith seu Curiam constitisse, ex illis, quæ de ea Iosephus Bellor. 6. lib. cap. 6. & 7. lib. cap. 13. adducit, colligere licet.

Iudicia in Seniorum Curia.

Porrò quemadmodum hęc domus, & item Seniorum in ea conciliū sine Dei mandato, imitatione Gentiliū rituū, instituta fuere, ita iniusta sæpenumero ibidē iudicia Gentili modo exercebantur: ut innocentes atq; pij ferè condemnarentur, nocentes uerò & impij absoluerentur: cum tamen DOMINVS expreſsis aliquoties uerbis cauisset, ne insons ac iustus occidatur, Exod. 23. Daniel. 13. Salomon etiam Prouer. 24. cap. scribat, dicenti impio: Iustus es, populi maledicent, & hunc detestabuntur nationes: Ac Leuit. 18. & 20. Iudæis interdictum sit Gentium statuta æmulari: Ibidem quoque ac Deut. 17. mandatum extet: Sacerdotes & Iudæorum Principes ex Mosaicæ legis præscripto iudicia ferre debere: & aliàs paſsim iubeantur, nulla personarum habita ratione, iustum facere iudicium, Deut. 1. Leuit. 9.

Maccabæani in Curia damnantur.

In Seniorū illo Synodrio multi ex religiosis Iudæis iuxta Antiochi edictum morte damnati sunt: qui uel Mosis legem adhuc obseruabant, uel eam legebant, 1. Maccab. 1. Ex quorum casu, ut Antoninus monet, nobis discendum, quanta aduersa pro legis Euangelicę defensione

ſione ſubeunda, quãdo tot & tanta pro obſeruantia Moſaicæ legis, quæ huius figura erat, tolerata legantur.

Lucas etiam 22. 23. & 24. Euangelicæ ſuæ hiſtoriæ capitibus cõmemorat, CHRISTVM à Senioribus plebis, & Principibus ac Scribis, orto iam die, in ipſorum συνέδριον adductum, ac poſtquam interrogatus non negaſſet ſe CHRISTVM Filium illum Dei exiſtere, ab eis in mortis condemnationem traditum, & inde ad Pilatum uinctum abductũ eſſe: ubi tum implebebatur, teſtibus Tertulliano & Cypriano, quod Eſa. 3. in hæc uerba habetur: Ipſe DOMINVS in iudicium ueniet cum Senioribus & populi Principibus.

Christus.

Tertull. 4. contra Marcionẽ. Hieron. contra Pharisæos & δευτερωτὰς præsens locus accipitur.

Citatus iam Euangeliſta Actor. 5. ſcribit: Pontificẽ, ac qui cum eo erant, συνέδριον uniuerſumq; filiorũ Iſraelis Senatum conuocaſſe, & adductos Apoſtolos in ſuo ſtatuiſſe συνεδρίῳ, ibidemq; ijs cæſis denunciaſſe, ne in nomine Ieſu loquerẽtur. Quibus D. Petrus tum reſponderit: Obedire Deo magis oportere quàm hominibus. Gamaliel aũt legis Doctor ſurgens in συνεδρίῳ, remotis foràs Apoſtolis, ſuis collegis ſuaſerit, abſtinerent ab hominib. illis, eoſq; ſinerent, quoniã ſi ex hominibus ſit hoc conſilium aut opus (quo ij uterentur) diſſoluendum facilè: ſin ex Deo ſit, ipſos non modò diſſoluere illud non poſſe, ut & ſi tentent, cum Deo pugnare comperiantur.

Apostoli.

Matth. 10. Tradent uos εἰς συνέδρια, in cõcilia inq; ſuis Synagogis uos flagris cædent.

Conſilium quod ex Deo eſt, aboleri non poteſt: quod uerò cõtra Deum eſt conſilium, licet ſpeciẽ boni præ ſe ferat, diu non poteſt conſiſtere, quoniam nõ eſt neq; conſilium neq; ſapientia aduerſus Deum.

Et Actor. 6. quoſdã è Libertinorũ Synagoga cõmouiſſe Seniores ac Scribas, & Stephanũ correptum in eorum Synedriũ duxiſſe, utq; omnes qui in συνεδρίῳ ſedebant, intentis in eum eſſent oculis, illos eius faciẽ uidiſſe, qualis eſt Angeli facies, hilarem ſcilicet, intrepidã & glorioſam, ut ueri Dei Angeli, hoc eſt, legati & miniſtri.

Stephanus.

Quem Angelica præditum facie conſpiciebant, ceu Hæreticum damnarunt.

Item cap. 22. Claudium Lyſiam Sacerdotum principes unà cum toto eorum συνεδρίου conuenire iuſsiſſe, ac Paulum deductum coram eis ſtatuiſſe.

Paulus.

L

Genes.49.

Seniorũ aucto ritatis diminutio.

Herodes autem, ſceptro Iudæ ad ſe translato, præſente iam promiſſo Siloah, Sanhedros, qui tum eſſent, omnes interfecit, ac quamuis alios poſtea conſtitui permiſerit, tantam tamen ij poteſtatem nunquam recuperarunt, ut ipſis, abſque Regis aut Pręſidum Romanorũ auctoritate, in criminalibus maioribus cauſis ſententiã ferre liceret: Id quod populi Seniores, CHRISTVM è ſuo Synedrio ad Pilatum ducentes, fatebantur his uerbis: Nobis non licet quenquam interficere (ſcilicet ſine tuo conſenſu) Ioan.18. Pilatus autem ſe omnem uel crucifigendi uel abſoluendi poteſtatem habere gloriabatur, Ioan.19.

Chryſ. Ideo Iudęi Christum non interfecerũt, quòd multum de poteſtate eorum abſciſſum erat, ijs legibus Romanis ſubiacentibus.

Libro Sanhedrinorum Ieroſolymitano, hęc & alia plura habentur: Magiſtri legunt, Iudices ante Templi deſtructionem è Conſiſtorio Gaſith expulſos, Hamith inhabitaſſe. Rabi autem Sichimum ſic de Gaſith & Hamith dicere, ea certa quædam in Vrbe loca atque ædificia fuiſſe. Et ex eo tẽpore, quo Iudices ita expulſi ſint, eos nullam deinceps capitalem litem diremiſſe, propterea quòd huiuſmodi iudicia ab eis non liceret, niſi in Gaſith fieri. Legitur etiam R. Rahamonum dixiſſe, quòd cum Sanhedrini è Conſiſtorio Gaſith migraſſent, & ab eis capitalia fuiſſent ablata iudicia, eos centonibus indutis ſibijpſis capillos euelliſſe, plorantes hoc modo: Væ nobis, ſceptrum quidem à Iuda receſsit, nec tamen promiſſus ille Dauidis filius Meſsias aduentat.

Curiæ euerſio.

Hieron. in Eſaiã, Apud Iudæos nõ ſunt Iudices, bellatores, Senes, Prophetæ, nec quicquam ualidum aut uerum poſt Chriſti occiſionem.

Cur uerò Deus non ſaltem Iudęorum Gaſith tolli, ſed & totã Vrbem radicitus euerti, ipſosq; Iudæos uniuerſo in orbe profugos eſſe uoluerit, eius rei Didimus, cum ſacris Literis bellè conſentiens, eiuſmodi cauſam affert: Iudæi in uniuerſo orbe cunctis regionibus ſoli patriæ exules in aliena uagantur terra, non Vrbem antiquam, non proprias Sedes poſsidentes, & id quod Pro-

Cauſa euerſionis & Curiæ & totius Vrbis.

Prophetis & ſuo Saluatori fecerunt, in ipſorũ caput recidit: Quia enim ſanguinarij & ueſano ſemper furore capti, non ſolum Prophetas occiderunt, lapidaueruntq; eos qui ad ſe miſsi fuerant: ſed ad impietatis culmen egreſsi, DOMINVM Saluatorem, qui pro cunctorum ſalute deſcendere dignatus fuerat ad terras, prodiderunt, & cruci adiudicarunt: propterea Vrbe illa expulſi ſunt, quam Prophetarum ac CHRISTI ſanguine maculauerunt. Hæc ille, lib. 3. de Spiritu ſancto.

Auguſt. de Conſenſu Euang. Deus Hebræos, ne à Romanis ſubiugarentur, ideo non adiuuit, quia impio furore Chriſtum occiderunt, in quo peccato aliorum peccatorum occultorum meritis occæcati ſunt.

CAP. VII.

חצר שר הכהנים·

οἶκος καὶ αὐλὴ τοῦ ἀρχιερέως·

Aula principis Sacerdotum.



Ecce Sacerdotis quondam domus ampla ſupremi,
Qua Chriſtus natum ſe probat eſſe Dei:
Hîc etiã trepido DOMINVM Petrus abnegat ore,
In ſcelus hoc teneræ carnis amore ruens.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



AVLAM ſummi Pontificis Ioſephus lib. 2. Bell. cap. 7. in Acra conſtituit, quò & illud reſpicere uidetur, quòd Nehemias 3. cap. ſecundæ menſuræ, alterius uidelicet Ciuitatis partis, id eſt, Ciuitatis inferioris, in Acra ſitæ, mentionē faciens, Pontificiam nominet domum.

Lactant. Inſtit. 4. ca. 18. Iudęi coierunt, ut Deū ſuū condēnarent. Et cap. 16. Iudęi Deum ſuū non agnoſcentes, inierunt conſiliū deteſtandum, ut priuarent eum uita, qui ut eos uiuificaret, aduenerat. Hieron. in Mar. Sacerdos interrogat Filiū Dei, Ieſus autem reſpondit Filium hominis: ut hic intelligamus, Dei Filiū eundē eſſe & Filiū hominis, & ne quaternitatem faciamus in Trinitate, ſed homo in Deo, & Deus in homine neceſſe ſit.

Hæc domus ſine dubio & Aula illa Pontificis Caiphæ fuit, in quam Matthæus Sacerdotum Principes, & Scribas atq; Seniores populi coactos fuiſſe aſſerit, dum conſultare uellent de Ieſu per dolum capiendo atq; trucidando. Vtq; Ieſus comprehenſus iam erat, idem Matthæus ac ſimiliter alij Euangeliſtæ recenſent, eum noctu in domum Caiphæ Pontificis ductum, ubi Scribæ & Seniores cōuenerint, ibidemq; interrogatum, diſertè reſpondiſſe: *Se* CHRISTVM illum Dei Filium eſſe, qui ſeſſurus ſit à dextra poteſtatis, & uenturus in cœli nubibus. Quo audito, Pontificem pronunciaſſe, eum blaſphemare, & alios omnes, eum mortis reū eſſe: tumque quoſdam eum conſputare cœpiſſe, & obtegere eius faciem, atque colaphos ei impingere, miniſtros autem alapis eum ferire, Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Iohan. 18.

Cōueniunt rebus nomina ſæpè ſuis.

Caiphæ nominis notatio & myſterium.

Καιάφας exponitur euomens ore, meritò ſic dictus, quippè qui blaſphemo ſuo ore blaſphema in uerum & æternum Pontificem uerba euomuerit, ut reipſa indicaret, ſe de eorum numero unum eſſe, de quibus Eſaiæ 57. ſic dicitur: In quem os ueſtrum diduxiſtis, linguamque exeruiſtis? Nónne præuaricatores filij, & ſemen mendax eſtis?

Quòd

Quòd uerò DOMINO, modò relata, à Pontifice & eius Symmistis in ipsorum Consilio obuentura essent, & Reges & Prophetæ in spiritu iampridem antè præuiderāt, Sic enim Salomon eos facit loquentes: Circumueniamus iustum, quoniam nobis est incōmodus, & nobis peccata, in legem commissa, exprobrat: Filium Dei seipsum nominat, eius etiam aspectus nobis est grauis, Deum iactitat suum Patrem, uideamus an ea, quæ dicit, uera sint. Si uerus est Dei filius, ille eum suscipiet, contumelia & cruciatu eum examinemus: ut eius probemus patientiam, infami morte eum condemnemus. Hæc isti cogitarūt, & errarunt: nam sua malitia sunt excæcati, neq; Dei mysteria cognouerunt, Sap. 2. Nónne Salomon his uerbis (ait Lactantius, hunc ipsum citans locum) ita descripsit nefarium illud consilium ab impijs initum contra Deum, ut planè interfuisse uideatur? Atqui à Salomone, qui hæc cecinit, usq; ad id tempus, quo gesta res, mille ac decem anni fuerunt. Ieremias quoque Thren. 3. de CHRISTO ita uaticinatur: Dabit se percutienti maxillā, satiabitur opprobrijs. Et CHRISTVS ipse ad suos dixerat: Consummabuntur omnia quę de Filio hominis per Prophetas scripta sunt: Tradetur enim Senioribus, & principibus Sacerdotū, & Scribis, multaque ab illis patietur, & reprobabitur, ac morte eum condemnabunt, Matt. 16. Mar. 8. Luc. 9. 18.

Augus. adducēs hoc dictū lib. 17. de Ciuit. Dei, inquit: In his Salomonis uerbis passio Christi apertissime prophetatur.

Lactant. Instit. lib. 4.

In aulam Pontificiam Petrus DOMINVM secutus, ibi eum ter abnegauit, semel ad ianuam corā ostiaria, iterum coram altera quadam ancilla in uestibulo, ac rursus coram Pontificijs ministris in media aula ad prunam: sed DOMINO eum tum intuente, & gallo canente, DOMINI sermonis recordatus, qui ei fore dixerat, priusquam gallus cantarit, me ter abnegabis, foràs egressus, amarè fleuit, Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Ambros. Petrus non in monte, nō in templo, non in sua domo Christum negat, sed in domo principis Sacerdotum. Ibi negat, ubi ueritas nō est: ibi negat, ubi Christus captus, ubi Christus ligatus est.

Tobiæ 13.
Psal. 15. 50.
Rom. 3.
Esaiæ 54.
Lucæ 1.

Aug. Latro Christũ ignotũ agnouit, Petrus cognitum negauit: Timeat ergo bonus ne pereat per superbiam, & malus ne desperet per multam malitiam.

Sic Petrum sibijpsi derelictum cribrari oportuit, ut omnem hominem natura mendacem & fragilem, DOMINVM uerò solũ ueracẽ & misericordẽ esse disceret, unde aliquãdo cõuersus, imbecilles uicissim fratres confirmare posset, Luc. 22. & suo lapsu exemplum prǽferre lapsis ueniam non desperandam, si maturè conuersi ad bonam redeant frugem.

Narrat Iosephus, Pontificiam aulam tandem à seditiosis ante ultimam Vrbis obsidionem inflammatam esse, Lib. 2. Bellor. cap. 17.

CAP. VIII.

בסלקי·

Πραιτώριον, Αὐλή.

Prætorium.



Aspicis hic nitidam Romani Præsulis aulam,
Corpore qua Christus dira flagella tulit:
Hîc tenera rigidam gestans in fronte coronam,
A duro grauiter milite pulsus erat.

HISTO-

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.


RAETORES Romani in inferiori Ciuitate Regiam habuere, quam Euangelistæ Græcè αὐλὴν, & Latino uocabulo Prætorium uocant.

Ad hanc Regiam Iudaici populi Principes CHRISTVM, postquam eum in Palatio Caiphæ, & deinceps in suo Synedrio antè dignum morte iudicassent, Pilato ceu politico tum magistratui & suæ executori sententiæ, trucidandum adduxerunt, Matt.27. Mar.15. Luc.23. Iohan.18. Perficientes omnino, quod DOMINVS ipse prius fore dixerat, Filium hominis à Senioribus, & Sacerdotibus atq; Scribis Gentibus tradendum, ad hoc, quò eum occidant, Matt.20. Mar. 10. Luc.18.

Christus ad Pilatum ductus.

Hieron. Habebãt hunc morem, ut quẽ adiudicassent morti, ligatũ Iudici traderent.

Quia uerò Pascha sumpturi illi erant, noluerunt in Prętorium introire, ne polluerentur, ait Ioannes cap.18. Dealbata scilicet sepulchra Prætorij lapidibus & tecto, Pilati etiam attactu se contaminari crediderunt: innocenti uerò sanguine pollui nihil curarunt. De typico Paschate typici Sacerdotes soliciti erant, quemadmodum id impolluti pollucerent, & interim uerum Pascha immolandum tradebant, quod seipsum (tanquam uerus Sacerdos, & ipsa Hostia) Deo Patri paulò post per æternum Spiritum offerens, ad eum in eius gloriam transiuit, & æternam nobis adeptum est liberationem, Ioan. 6.13. Luc.24. Heb.9.

Iudæorum superstitio.

Verba Augustini ferè & Cyrilli in Ioan.

August. Vmbra ueritatis à Iudęis errantib. tenebatur, & mirabili dispensatione diuinæ sapientiæ per homines fallaces eiusdẽ umbræ ueritas implebatur: quia ut uerũ Pascha fieret, Christus uelut ouis immolabatur.

Pilatus ergo ad Iudæos forâs egressus, interrogauit, quam accusationem adferrent contra hominem illum? Ioan.18. Hic illi post alia IESVM accusare instIterunt, dicentes: Hunc cõperimus nostram gentẽ peruertere, ac Cæsari tributa solui uetare, dicentem se CHRISTVM esse Regem, Luc.23.

Iudæorum in Christum calumniæ.

Christus tacet.

Aug. de Catech. Rudib. Christus obmutuit, & obsurduit coram cõuitiantibus: per quem mutus locutus est, & surdus audiuit.

Hier. in Mar. Taciturnitas Christi apologiam Adæ absoluit.

At Iesus cum multum ab illis accusaretur, non respondit ad ullum uerbum, quod Præses ualdè mirabatur, Matt. 27. Mar. 15. De hac uerò eius taciturnitate D. Petrus prioris suæ Epistolæ 2. cap. ita scribit: Cum conuitijs afficeretur, non uicissim conuiciabatur: malis affectus, non minabatur, sed ei uindictam commisit, qui iustè iudicat. Et Dauid, Psal. 39. in CHRISTI persona: Custodiam os meum quasi capistro (infrenatum) quando impius contra me constiterit, silentio obmutui, bonum etiam tacui, & meus dolor turbatus est. Esaię quoque 42. ipse CHISTVS ita fatur: Multo tempore tacui, silui, & me cõtinui (at nunc) quasi parturiens exclamabo, uastabo, & pariter omnia deglutiam. CHRISTVS scilicet in primo humili illo suo aduentu iudicandus tacuit, sed iudex appariturus in altero gloriæ aduẽtu non tacebit, quomodo alibi scriptura habet: Deus manifestè ueniet, Deus (inquam) nõster, & non silebit, Psal. 50.

Lact. lib. 4. Instit. Duo sunt aduentus Christi. Primus in hũanitate carnis obscurus. Secundus in fortitudine maiestatis manifestus.

Pilati cũ Christo colloquiũ.

Tunc Pilatus rursus in Pretoriũ introiens, IESVM ad se intrò uocauit, & quia audierat eum de Regno accusatum, timens potestati & paci suæ per uim obtentę, neglectis alijs criminationibus, ei ita dixit: Túne es Rex ille Iudæorum? Ioan. 18. Commune nimirum hoc pluribus alijs est, qui cum Pilato iniustè dominationem occupant, ut ad quamuis alterius Regis nuncupationem titubent, & in innocentes sæpè animaduertant.

Tuicen. Non diripit mortalia, qui regna dat cœlestia.

Augustin. Quod est regnum Christi nisi credentes in eum? quibus dicit: De mũdo nõ estis, sicut & ego non sum de mundo, quamuis eos esse uellet in mundo.

IESVS uerò, ut Pilato omnem suspicionem eximeret, & interim quis Rex foret, qualeque regnum habeat suo more doceret, testatam fecit bonam confessionem (quomodo Paulus de eo 1. Tim. 6. loquitur) hæc & alia respondens: Regnũ meum ex hoc mundo non est (non est mundanæ cõditionis aut in terrenis rebus, ut tu forsan suspicaris) Dixit igitur ei Pilatus: Ergo tu Rex es?

(ali-

(alicubi quia de regno dicis) Respondit Iesus: Tu dicis, Rex(enim) sum ego(sed quia carnalis es, regnũ meum non nisi carnaliter intelligis) Ego ad hoc natus sum, & ad hoc in(hunc)ueni mundum (caro factus, non ut latè mundano more regnem, sed) ut testimoniũ dem ueritati (hoc est, Dei ueritatem, quæ egomet ipse sum, in fidelium cordibus asseram, & ibi meo spiritu regnem) omnis qui ex ueritate est (è ueraci Patre per me ueritatem in regeneratione natus) uocẽ meam audit (meum testimonium suscipit, & ad regnũ meum pertinet) Hic Pilatus dixit: Quid est ueritas? Sed quia sic curiose magis quæsiuit, quàm ut ueritatem disceret, non expectata responsione, iterum prodijt ad Iudæos, eisque dixit: Ego nullum in eo crimen inuenio(Hæc est CHRISTI gloria, quòd ab ipso iudice omni liberatur crimine) Est autem uobis (ea) consuetudo, inquit porrò Pilatus, ut unum uobis uinctum dimittam in Pascha (cuius hodie feriæ sunt) uultisne ergo(ut) uobis Regem istum Iudęorum dimittam? Iohan.18. Quasi dicat, Si religio festi apud uos consueti aliàs tantum efficit, ut nocenti parcatis, multò magis ea innocenti huic homini patrocinari debebit.

Augusti. Quid est ex ueritate esse aliud, quàm donante Christo credere in Christum?

Ambr. Hic Pilatus Christum absoluit iudicio (postea) crucifigit ministerio.


Ad quod illi omnes clamarunt, Barrabam sibi potius(qui latro insignis erat, & homicida) dimitteret, IESVM uerò sublatum crucifigeret, Ioan.18. Matt.27. Lucæ 23. Iniqua prorsus & dissimilima hęc fuit commutatio, quòd homicidam, scelestumq; & morte dignũ hominem sibi gratificari, uitę uerò auctorem, & sanctum illum atq; iustum, nulliusq; mali cõscium, trucidari petierint, quod & Petrus illis Acto.3. disertis uerbis exprobrasse legitur. Sed hæc mundi immundi natura, ut saltẽ quod suum est, diligat, Ioan.15. suosq; mortuos sepeliat, Matth.8. Christum uerò quòd non solũ ex ipso non sit,

Hier. Barrabas in Euangelio quod scribitur iuxta Hebræos, filius magistri eorum interpretatur.

Cyrill. Iudæi eum qui ab æqualitate Patris ad paupertatem nostrã descendit, ut nos à uero homicida, id est, Diabolo, liberaret, reiecerunt, & infamem pro eo latronem postularunt.

ſed quoque eiuſdem opera mala eſſe teſtetur, Ioan.7.8. 17.contemnat, & è medio eum ſublatum uelit.

Pilatus autem ſciens,quòd per inuidiam ſibi CHRISTVM tradidiſſent,Matt.23.iterum dixit: Ego nullam in hoc homine inuenio noxam, ſed ne Herodes quidẽ, (qui eum ad ſe miſſum remiſit) caſtigatum ergo dimittam,Luc.23.Tot teſtimonijs CHRISTI innocẽtia,qua nos nocentes liberandi eramus,declarari debuit.



Chriſti paßio in Prætorio.

Cyrill. Ieſus iniuria flagellatus fuit, ut nos à uulneribus. quæ iure peccatis noſtris perpeſsi ſumus, liberaret. Alapis cæſus & illiſus eſt, ut illuſori Sathanæ nos illudere poſsimus, & præuaricationis peccatũ fugiamus.

Tunc ergo Pilatus acceptum IESVM flagellauit, & milites ipſius eum abducentes in Prætorium, ibi alapis ferierunt, plexamq́ue coronam ex ſpinis, impoſuerunt eius capiti,pallio quoque purpureo eum circunderunt, & arundinem in eius dextram dantes (atq; ita) ante eum congeniculantes, illuſerunt his uerbis: Salue Rex Iudæorum: quumq́; in eum expuiſſent, ſumpta arundine ei caput cõtuderunt, Ioan.19. Matt.27. Mar.15. Ita uaticinia confiebant,quæ ſic habent: Vulneratus eſt propter præuaricationes noſtras, attritus eſt propter iniqui.

iniquitates noſtras,pacis noſtrę caſtigatio ſuper eum, & eius liuore nos ſanati ſumus,Eſa.53.Et 50.cap. idem Propheta in CHRISTI perſona inquit:Non fui rebellis,retrorſus non ſum conuerſus:percutientibus dedi corpus meum, & genas meas uellicantibus, faciem meam ab ignominijs & ſputo non abſcondi. CHRISTVS quoque ſuis diſcipulis prædixerat,ſe tradendum Gentibus, quæ ei illudent,eumq́; flagellabunt & conſpuent,Marci 10.Luc.18.

Tali igitur modo affecto IESV,Pilatus ſperabat ſęuientes Iudæos iam placari poſſe, & in eum, ex Prætorio foràs adductum,intendens,ait:Ecce homo,id eſt(ut Auguſtini utar interpretatione) ſi Regi inuidetis, iam parcite deiecto, illuſo, percuſſo, uidetis ignominiã ferre: ueſtra ergo frigeſcat inuidia. Sed non frigeſcebat, inardeſcebat potius & increbeſcebat:Cũ enim illi eum ſpineam coronam &purpureum ferentem pallium uidiſſent, ac,uelut in Propheta habetur, plenum opprobrio,& ſine omni ſpecie atq; decore. Eſa.53.reliqua quidem probantes, hoc unũ adhuc reſtare clamoribus iterarunt atque tertiarunt,ut crucifigeretur,Filium enim Dei eum ſe feciſſe.

Augu. Egreditur Ieſus non clarus imperio, ſed plenus opprobrio.

Cum ergo hunc ſermonem audiſſet Pilatus,magis timuit, & rurſus ingreſſus in Prætoriũ, dixit ad Ieſum: Vnde tu es?Ioan.19.exiſtimans nimirum eum ſemideũ, uel Ethnici alicuius Dei filium eſſe, quòd Iudæi noua accuſatione illata,iam ſint teſtati,eum ſe Dei Filium feciſſe. IESVS autem ei reſponſum nõ dedit,Ioan.19. ſed ut agnus ante ſuum tonſorem obmutuit,Eſa.53.& iam antè hanc quæſtionem ſoluerat,cum diceret:Regnum ſuum hinc non eſſe. Item,ſe in mundum ueniſſe, Ioan. 18. Hinc facilè coniectari potuiſſet, unde ipſe eſſet: At Præſes eius ſe taciturnitate arbitratus contemni, ita

Beda:Non timuit quia legem audiuit, ſed ne Filium Dei occideret.

Cyrillus.

Ambroſ. Dominus bene tacet, quia defenſione non indiget. Ambigãt defendi qui timent uinci.

porrò inſtitit: Mihi non loqueris(in capitis conſtitutus periculo)neſcis quòd poteſtatem habeam (ue!)crucifigendi te,& poteſtatẽ habeam te abſoluendi? Hunc Pręſidis faſtum, quo ſuam omnium Largitori poteſtatem non aſcribebat, IESVS ita retudit: Non haberes ullam aduerſus me poteſtatem(nec Cęſariana auctoritate me poſſes occidere, ut tibi aſſumis)niſi(id)tibi ſupernè datum eſſet(& is qui unico ſuo Filio non uult parcere, ſed eum in mortem tradere, hanc tibi poteſtatem conceſſiſſet)Propterea qui me tibi tradidit(Iudæorum populus)maius peccatũ habet (quòd ſcilicet me tibi ex mera inuidia tradidit, & te ad peccata, quæ in me admittis, propellat:licet & tu hic pecces,quòd poteſtate tibi data abutens,Iudęis ex metu cedas,& quem innocentem fateris, teq; dimittere poſſe glориaris, tamen condemnabis)Ioan.19. Ex qua reſponſione nos quoque docemur, Magiſtratus quidẽ poteſtatem à Deo eſſe,eius uero abuſum, quem CHRISTVS hic corripit,deteſtabilem, & nõ à Deo,ſed ab illo,qui omnis mali auctor eſt,manare.

August.Vbi Christus non reſpondebat, ſicut ouis ſilebat:ubi reſpõdebat, ſicut paſtor docebat.

Egeſipp.lib.2. cap.12.

Aug. Non tantũ dixit, magnũ peccatũ habet,ſed etiam maius, ut oſtendat ipſum etiam Pilatũ habere peccatum.

Pilatus igitur ex data iam CHRISTI reſponſione apertius eius intelligens innocentiam,Iudæorum uerò inſignem malitiam,quærebat eum abſoluere: Id Iudæi odorati,ad affectati regni calumniã refugêrunt, eumq; metu ad ferendam ſententiam inuitârunt, ſic clamantes:Si hunc abſolueris,non es amicus Cæſaris(quòd ſeditioſo & Cęſaris hoſti faueas)quicunque ſe(Iudæorũ) Regem facit(ut iſte)contradicit Cæſari.Tum demum Præſes uictus, & quòd Iudæorum implacabile odium uideret, Cæſarem uerò timeret, eorum ceſsit libidini, Ioan.19.Matt.27.Mar.13.

Atqui oderant ipſi capitaliter Cæſarem, ſed magis Chriſtũ

Hic pij in memoriam reuocent, quemadmodũ totus mundus omniſq; ſuperior poteſtas CHRISTO ſe in paſsione eius oppoſuerit:Falſus enim diſcipulus eum pro-

prodere, Pontifices, Presbyteri, atque plebis Doctores, Senatusq; uniuersus, consilio coacto, morte dignũ iudicare, illorum ministri eum cõprehendere & ferire, populus clamoribus impijs inficiari, Rex Herodes cũ suis illudere, Pilatus, Cæsaris Pręfectus, occidendum tradere, Milites consputare, ac latam de eo sententiã exequi. Et hac interim ille ratione, tanquã uera auroræ cerua, cuius Psalmi 22. inscriptio cõmeminit, agitatus, omnibus iusticiam esurientibus corpore suo in salutari cibo esse cœpit: eaq́; simul omnia, quęcunq; Deus secundum omnium Prophetarum oracula sua manu consilioq́ue futura destinârat, peracta atq; impleta sunt, Psalm. 2. 22. Actor. 3. 4.

Isidorus: Licet oportuerit Christũ pati, tamẽ qui crucifixerũt, rei sunt pœnæ: Non enim satagebant perficere quod Deus disponebat, unde & eorũ executio fuit impia, Dei uerò dispẽsatio prudentissima.

CAP. IX.

גבתא·

Λιθόστρωτος.

Gabbatha, Tribunal.



Romanus quondam, Pilatus nomine, Præses
Hic falso CHRISTVM tradidit ore neci.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



AD Prætorium eminens lapideum ſtratum fuit, ubi Romanus Præſes è tribunali ferre ſententiam ſolebat. Dictũ ab eminentia Hebręis, Chaldæo idiomate, Gabbatha, & Græcis eò quòd lapidibus eſſet ſtructũ, λιθόστρωτος, quaſi dicas, Lapidipauium. De quo loco D. Ioannes ad hunc ſcribit modum: Pilatus cum audiſſet (ſe Cæſaris amicum non fore, ſi IESVM abſolueret) forás eum adduxit, proq́; Tribunali ſedit, in loco qui λιθόστρωτος dicitur, Hebraicè autẽ Gabbatha, Cap. 19. Præſes more ſcilicet Iudicis tribunal conſcendit, in eum, quem antea innocentẽ & agnouerat & ipſe aliquoties profeſſus erat, ſententiam laturus: Atque hoc modo iuſtus DOMINVS ab iniuſto Iudice, in edito illo loco Gabbatha, iniuſtam accipere ſententiam dignatus eſt, ut nos ipſius iuſticia innocentes redditi, quum ipſe, ut ſummus Iudex, hoſtes ſuos iuſtè damnaturus, è cœlo ſublimi extrema die aduenict, de omni crimine abſoluamur, quemadmodum de eo Prophetarum oracula teſtantur: DOMINVS Sebaoth, inquit Eſaias 5. cap. in iudicio exaltatus, & ſanctus ille Deus in iuſticia ſanctificatus eſt: uæ ijs qui iuſtis iuſtitiam ſuam eripiunt. Idem Propheta 31. cap. Quemadmodũ Leo Leonisq́ue catulus ſuper prędа ſua rugit, cum ei multitudo paſtorum occurrit, neque eorum humiliatur tumultu, (ſuis confiſus uiribus) ſic deſcendet DOMINVS Sebaoth, ut ad montem Sionem & in Gabbatha prælietur: Sicut aues (uelociter) uolant (ut celerrimè ſuis ferant opem fœtibus) ita proteget DOMINVS Sebaoth (in) Ieruſalem, atque adeò proteget, ut liberet, paſchaq́; faciat & ſaluet. Similiter Ieremias 25. cap. ait: Tumultus uſque ad terræ extremitatẽ peruenit, DOMINO enim in Gen-

Gabbatha qd.

Ex Hym. Inde uenturus homo iudicatus denuò iudex.

Auguſt. ſuper Epiſt. Iohan Chriſti primus aduentus erat ut iudicaretur, ſecundus ut iudicaret.

Hiero. Pro tranſeat in Hebræo eſt פסוח Ex quo manifeſtum eſt, phaſe Domini nõ paſsionem ſignificare, ſed tranſitum.

in Gentibus contradicitur, & (Hu) ipſe pro omni iudicatur carne, ac impios in gladium tradit. Et Dauid Pſal. 51. DOMINE tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, ut in tuis ſermonibus iuſtificeris, & uincas (ſiue purus ſis) cum iudicaberis. Quę Pſalmi uerba Hieronymus ſic explanat: Ego Dauid peccaui, & tu ſolus ſine peccato es, ſicut Eſaias dicit: Qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius: propter nos tranſgreſſores & peccatores ille cõdemnatus & damnatus fuit, unde dictum eſt: Iuſtus ab iniquis iudicatus eſt, ſed ille in futuro iudicio eſt alios iudicaturus & condemnaturus. Iuſtificatus es DOMINE IESV in ſermonibus tuis, cum ductus pro populi peccatis ad mortem, non eſt inuentus dolus in ore tuo, uiciſti iudicatus, cum nihil tenebrarũ princeps in te morte dignum inuenit. Conſuetudo eſt Prophetæ, ut acta pro agendis loquatur. Hactenus ille.

בשפט חוא

Augu. Propheta uidet Deum hominem futurũ iudicem, iudicandũ à peccatorib. iuſtum, & in eo uincentẽ, quia quod in illo iudicaretur non erat.

Ambro. Ser. 49. Chriſtus cũ condemnatur ſuperat: cũ iudicatur uincit.

Pilato autem pro tribunali ſedente, miſit ad eum eius uxor, dicens: Nihil tibi rei ſit cum iuſto illo, multa enim hodie ſecundum ſomniũ paſſa ſum propter eum, Matth. 27. Hæc quoq; mulier CHRISTI innocentiam facere teſtatam, & ſui officij iudicẽ admonere debuit. Ignatius uerò & Remigius aſſerunt, Diabolum, ubi ſentire cœpiſſet, ſe ſua ſpolia mortisq; imperiũ per CHRISTI crucem ac mortem amiſſurũ, huic mulieri timorem incuſsiſſe, ad conturbanda compeſcendaq́ue crucis trophæa, ſi fortè per mulierem liberationem atque emancipationem noſtram impedire poſſet, ſicut per mulierem primò perditio & ſeruitus in mundum inuecta eſt.

Pilati uxor.

Ignatius ad Philadelph.

Tunc Pilatus (de CHRISTO ad ſuum ſtante tribunal) ita Iudæos alloquutus eſt: Ecce Rex ueſter, quid ei faciam? Illi autem clamauerunt: Tolle tolle, crucifige eum. Dixit Pilatus eis: Regem (ego) ueſtrum cruci-

Augustinus.

figam? Reſponderunt Sacerdotum Principes: Non habemus Regem niſi Cæſarem, Matth. 27. Ioan. 19. O cæcam malitiam, ô liuorem ſibijpſi noxium, Cæſaris imperio Iudæis aliàs nihil grauius accidere poterat, cui ſe nunc ultrò ſubdunt, ne obediant Euangelio, aut leue DOMINI iugum ferant: Iuſtum ergo DEI iudicium, quo, ne unquam Cæſari contrauenire poſsint, diſsipati ſunt. Eos uerò DOMINVM pro Rege non agnituros, ipſemet Lucæ 19. per ſimilitudinem prædixerat his uerbis: Eius ciues eum oderant, miſeruntque poſt eum legationem, dicentes: Nolumus hunc in nos regnare. At de pœna quam ideo daturi erant, idem DOMINVS eodem in loco paulò poſt ita dicit: Inimicos illos meos, qui me in ſe regnare noluerunt, adducite huc, & coram me mactate. De illorum quoque contrà ſuum DOMINVM clamoribus, & ſubſequuturo ſupplicio in Eſaia huiuſmodi uaticinium extat: Ruit Ieruſalem, & Iudah concidit, quia eorum lingua & opera (ſunt) contra DOMINVM, eiuſque maieſtatis oculos prouocârunt, Cap. 3. Et cap. 5. Domus Iſrahel & uir Iudah eſt uinea DOMINI Sebaoth, Expectauit iudicium & iuſtitiam, & ecce clamor: ideo domus multæ in ſolitudinem redigentur, populuſque in captiuitatem abibit.

Eraſ. Iudæi oderunt præſentem, quem tot ſeculis expectarant clamantes: Veni Domine, & libera nos.

Hiero. Propheta cauſas reddit impietatis Iudæorũ, quia contra Dominum dixerunt, Tolle tolle, crucifige eum, non habemus Regẽ niſi Cæſarem, & clementiſsimum Dominum furore linguæ ſuæ ad amaritudinem prouocarunt.

Videns ergo Pilatus, ſe (tentatis omnibus) nihil (ad liberandum CHRISTVM) proficere, ſed magis tumultum fieri, accepta aqua, manus coram turba abluit, dicens: Ego innoxius ſum ab huius iuſti ſanguine, uos uideritis. Et uniuerſus populus reſpondens, dixit: Eius ſanguis ſuper nos & ſuper noſtros filios. Tum Pilatus uolens turbæ ſatisfacere, iudicauit ut fieret quod ipſi petebant, & Ieſum tradidit ut crucifigeretur, Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Hiero. Iudex qui cogitur contra Chriſtum ſententiã ferre, nõ damnat oblatum, ſed arguit afferentes, iuſtum eſſe pronuncians qui crucifigendus eſt.

Iſtius

Iſtius imprecationis temeritatem deinceps Iudæi cum ſuis poſteris debito ſupplicio luebant, cum Florus de nobilibus Iudæis plurimos, ad hoc ipſum Tribunal ſæuis acceptos uerberibus, cruci ſuffigeret, aliâsque per Vrbem multas cædes faceret, nulli parcens, nec mulieribus nec lactentibus. De quo legere eſt apud Ioſephum libro Bellorum 2. capitibus 14. 15. Et eodem libro cap. 8. idem Hiſtoricus narrat: Quòd cum Pilatus aliquando pro nuncupato iam aliquoties tribunali ſedens, Iudæos iuberet ſacrum theſaurum, quem Corban uocabant, ad aquarum inductionem (quas aquas ipſe petito fontis capite ducentiſsimo ab Vrbe ſtadio inducere tentabat) expendere, & illi ei contradicerent, eum ex tribunali militibus ſuis, ut in eos inuaderent, dediſſe ſignum, quorum fuſtibus complures Iudæi tum ceciderint, plerique uerò in fuga ſe inuicem conculcantes, miſera oppreſsione perierint.

De Iudæorum ob Chriſtũ reiectum pœna.

Sed nec ipſe Pilatus impunè tandem abijt, neq; exterior illa aqua interiorem ei noxam, quam in CHRISTVM iniuſtè damnatum admiſit, abluere poterat, teſtantibus Euſebio & Nicephoro, eum poſt ſuã in CHRISTVM illatam ſententiam, cum ſub Tyberio maximis affectum contumelijs, tum Caij temporibus ad eas neceſsitatis anguſtias uarijs aduerſisq; caſibus redactum fuiſſe, ut manus ipſe ſibi attulerit, & ſui ipſius uindex factus ſit, ei non diu (ut par erat) diuina ultione parcente. Id quod & de Anna & de Caipha, alijsque item Scribis atq; Phariſæis legatur, qui & ipſi meritas perſoluerint pœnas eius, quam CHRISTO intulerint, iniquæ & iniuſtæ necis.

Pilati pœna.

Euſeb. Eccleſ. Hiſt. lib. 2. ca. 7.

Niceph. lib. 2. cap. 10.

De Iudæorum ob CHRISTVM reiectum & crucifixum uindicta, Auguſtinus quoque ſcribit: Iudæi, inquiens, temporalia amittere formidarunt, & propter

In Pſal. 40. & 68. Itẽ Tract. 49. in Ioan. Itẽ de Ciuita. Dei lib. 4. cap. 34. lib. 16. cap. 46.

hoc contra ſpiritualia egerunt, unde & Deum,& temporalia & ſpiritualia perdiderunt, & Ciuitatem,& omnem dignitatem regiam & Sacerdotalem,& uitam æternam.Et rurſus : Poſt crucifixum DOMINVM uindicatum eſt in illa Ieruſalem flagello magno,&eradicata ab eo loco,ubi impia libertate furioſi aduerſus medicum inſanierunt,ne locum perderēt,DOMINVM occiderunt,& ideo perdiderunt,quia occiderunt, Ciuitas quidem illa terrena,Ciuitatis æternę in cœlis umbram gerebat. At ubi cœpit illa, quæ ſignificabatur, euidentius prædicari, umbra deiecta eſt: propterea ubi Templum modò non eſt, quod fabricatum fuerat in imaginem futuri corporis DOMINI, teneamus lucem, umbra tranſiuit. Hæc ille.

CAP. X.


רחוב העיר·

Αγορά·

Forum,Platea Ciuitatis.

Hic uendebatur quàmplurima copia mercis,
Feruebatq; truci cæde platea uirûm.

HISTORIA.



FORVM rerum uenalium in ſuperiori inferioris Ciuitatis parte fuit: auctore Ioſeph. de Bello lib.2. cap.14.15. Antiq.lib.11. cap.2.

Altaria in foro — Maccabeani aras in foro ab alienigenis extructas,& præterea delubra,demoliti ſunt,2.Maccab.10.

Prælium in foro — In foro Herodes Maior cum Parthis, Antigonum in regnū reducere conantibus, magnū prælium cōmiſit, eosq; uicit,Ioſeph. Antiq.14.cap.24. De Bell.lib.1.cap.11.

Ioſip-

Iosippus hunc eundem locum intelligere uidetur, de foro & platea Ciuitatis mentionem faciens, ubi appellatus modò Herodes coniugē suam Mariamnē, item filium Antipatrum & Sanhedros decollarit.

Mariamne. Antipater. Sanhedri.

Agrippa etiã, huius Herodis nepos, quem & sacræ Literæ Herodem uocant, in Vrbis foro Iacobum Maiorem, Ioannis Euangelistæ fratrem, ferro sustulit: Quę historia Actor.12. cap. & apud Euseb. Hist. Eccles. lib.2. cap.12. describitur. De eodē Iacobo Clemens 7. Hypotyposion memória quiddam dignum, ex maiorũ commemoratione acceptum, refert, Quòd scilicet Spiculator ille qui eum ad martyrium ducebat, cum eum generose admodũ & magna cum constantia ad supplicium ire uideret, se quoq; Christianũ esse professus sit, Vterq; igitur, ait Clemens, simul abducti sunt, atque inter eundum noxam sibi ille à Iacobo remitti rogauit, Iacobum porrò paululum deliberasse, moxq; ad illum, pax tibi, dixisse, osculumq; ad uocē eam addidisse, & sic utrunq; capite truncatum esse.

Iacobus Maior

Spiculator.

Tenente Floro Vrbem, ipsius milites forum rerum uenalium depeculati sunt, & in contiguas quasque domos insilientes, cunctos in ijs habitatores interfecerũt, Ioseph. de Bello lib.2. cap.14.15. Scilicet quia ueritas tum in Ierosolymę plateis impegerat, & æquitas non potuit ingredi, quemadmodũ Esa.59. dicitur, idcircò duo hæc ei acciderunt, ut idem Propheta cap.51. inquit, uastitas nempè & gladius, ac quòd eius filij deficientes passim iacuerint in omnium platearum capite, uelut Vri in reti, DOMINI Dei furore & increpatione pleni.

Direptio fori.

Hier. Iudæi deserentes ueritatem, quæ Christus est, mendaciũ sequuti sunt, & qui à malo recedebant, prædæ eorum patuerunt.

CAP. XI.

Αρχάιου.

Chartophilacium.

Creditor huic Arci rationes credidit olim,
Huc Solymæ ciues Acta tulêre ſua.

HISTORIA.

Archiuus.

OSEPHVS Archiuum ſeu domũ, in qua Vrbis & Ciuium Acta, item chartæ publicæ ac Creditorum rationes reponebantur, in foro conſtitiſſe perhibet.

Seditioſi ante ultimam Vrbis obſidionem huic domui, fugientibus inde tum cuſtodibus, ignẽ iniecerunt, uolentes ea ratione omnes Vrbis neruos & cuncta Creditorum documenta diſperdere, ne eſſet unde ratio creditæ pecuniæ pateret, utq; ita omnem ſibi debitorum adiungerent multitudinem, & aduerſum locupletes egentibus liberam inſurgendi præberẽt facultatem, Ioſeph. de Bello lib.2.cap.17. Egeſip.lib.2.cap.10.

Vltima Titi expugnatione ea domus rurſus ſuccenſa, & funditus euerſa eſt, Ioſeph. de Bello lib.7.cap.13.

CAP.

CAP. XII.

Regia Helenæ.

Hoc, Helenæ (lector) precioſa palatia quondam
Reginæ fuerant ædificata, loco.

HISTORIA.

EGIA Helenæ, Adiabenorum gentis Reginę, in media Acra erat, Ioſeph. de Bello lib. 7. cap. 13. lib. 6. cap. 7.

Hæc Helena primùm à Gentiliſmo ad Iudæorum religionem declinans, Ieroſolymam, ut ibi Deum adoraret, uotiuasq; in Templo uictimas litaret, habitatum cõmigrauerat: poſtea Chriſtiana facta, cum ingens illa fames, de qua ſcriptum eſt Actor. 11. ſub Claudio in toto terrarum orbe, præſertim uerò in Iudæa & Ieroſolymis uigeret, quam famem & Agabus prophetiæ dono clarus per Spiritum futuram ſignificauerat, ea Regina ex adminiſtris ſuis alios cum ingenti ſumptu miſit Alexandriam, comparaturos magnã uim tritici, alios in Cyprum qui copiam ficuum paſſarum inde adueherent, quibus omnib. breui reuerſis, cibos egentibus tum Iudæis tum Chriſtianis diſtribuit, atque hoc beneficio celebrem ſibi apud utranq; gentem memoriam peperit. Vide Ioſephum Antiq. lib. 20. cap. 2. & 3. Euſeb. Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 2. cap. 12. Nicephorum lib. 2. cap. 11. Oroſium lib. 7. cap. 6. Helenæ religio.

CAP. XIII.

בית חסירים·

Βασιλειον τῶν Ἀσσαμοναίων.

Regia in inferiori Ciuitate.

Hæc fuit alta domus Machabeæ gentis, at ipſe
Poſt ueteres muros auxit Agrippa ferox.

HISTORIA.

Regiæ Arces.



ASSAMONAEI Matthathia prognati, & Iudæis aduerſus Antiochenos præfecti, duas ſibi in Vrbe Arces ædificârunt, alteram Templo contiguam, de qua poſtea, alteram in Acra ad Xiſtum contra ſuperiorem Ciuitatis partem, in præcelſo loco. Quæ Arces primò domus Aſſamæorum ab Aſſamonæis incolis denominabantur. Deinde Herode Maiore & rerum & illarum potito, factæ atque dictæ ſunt Regiæ ſedes: quas qui occupabat, totam gentem ſibi deuinctam tenebat, quòd nec ſine his quotidiana poſſent ſacrificia peragi, neque Iudæi ſine ſacrificijs degere, quibus uita citius contemneretur quàm ſua religio, Ioſephus Antiq. lib.14. cap 8. lib.15. cap.11. lib.20. cap. 7. De Bello lib.2. cap.16. lib.6. cap.6.

Aſſamonæi.

Agrippa.

Herodis Maioris pronepos, Agrippa poſterior (qui Paulum Cæſareæ religionis cauſam accuratè eleganterque coram Feſto pręſide perorantem audiens, ei reſponderat, *S*e propemodum adduci, ut Chriſtianus fieret, Præſidi autem, eum amitti poſſe, dixerat, Acto. 26.) Hic, inquam, Agrippa, cum huius Regiæ hæreditas ad ipſum deueniſſet, quia edito loco ſita erat, unde pulcherrimus patebat proſpectus, contemplari Vrbem uolentibus,

tibus,in ea domum inſigni amplitudine extruxit, unde è ſuo cubiculo non ſolum omnia in Vrbe, ſed & quicquid circa Templum fieret conſpicere poterat, Id Ierosolymitani indignè ferentes, quòd ipſorũ Leges non concederent ſpectari quid in Templo ageretur, præſertim ſacrificia,altum parietem excitauerunt ſupra Exedram,quæ in interiore Templo erat,uerſa ad ſolem occiduum,& eo Regij triclinij proſpectum impediebant. Hunc parietem licet Feſtus in Agrippæ gratiam mox iuſſerit diſturbari, ciues tamen ad Neronem Cæſarem miſsis legatis,qui negarent ipſos uiuere poſſe,ſi quid de Templi ædificijs demoliretur,Poppeæ Cæſaris uxoris deprecatione obtinuerunt,ut liceret eum inſtauratum ita permanere,Ioſeph. Antiq.lib.20.cap.7. Poppea.

Regia uerò iſta domus in ſeditione ſub Floro direpta & igne inflammata eſt, exterminato etiam ex Vrbe Agrippa,quòd ciuibus auctor eſſe conaretur,ut Floro morigeri, nullam concitarent ſeditionem,Ioſephus de Bello lib.2.cap.16.17. Eius rei & Ioſippus mentionem facit. Ac Egeſippus lib.2.cap.10.

CAP. XIIII.

היכל ברוכקי·

Βασιλείου τῆς Βερνίκης·

Regia Bernices.

Atria Reginæ, Lector, Berenicis amœna
In cineres rapidus tranſtulit ignis atros.

HISTORIA.



A Regio illo Agrippæ palatio propius aberat domus ſororis eius Bernicæ, mulieris ſua ætate celeberrimæ, quæ cum fratre D. Paulum Cæſariæ coram Feſto audiuit, Actor. 25. 26.

De hac Bernice plura ſcripta ſunt apud Ioſeph. Antiq. 19. cap. 4. 7. lib. 20. cap. 5. De Bello lib. 2. cap. 10. Dionē in uita Veſpaſ.

Hæc cum Ieroſolymis anniuerſaria Deo uota diſſoluens, Florum & eius milites crudeliter in ciuiū poſſeſsiones graſſari, multasque perpetrare cædes uideret, ſumma idcircò commota miſeratione, frequentes ſuorum equitum præfectos corporisq; cuſtodes ad eum, pro populo deprecatū, miſit: tandem etiam ipſa ad eius Tribunal nudipes accedēs, ut à nefaria illa deſiſteret ſęuitia, obnixè orabat, ſed exaudita non fuit: & præter quòd Florus ad ſua ſaltem lucra, quæ de cædibus atque rapinis cogerētur, attentus, ei nihil honoris habuit, Milites etiam ſub eius oculis obuios quoſq; mulctabant, & ipſam niſi cōmodùm in ſuam profugiſſet aulam, interfeciſſent. Ioſephus de Bello lib. 2. cap. 15. Egeſip. lib. 2. cap. 8. & 10.

Domus illa Bernicæ in ſeditione cum fratris palatio ſuccenſa eſt, Ioſephus de Bello lib. 2. cap. 17. Cuius & Ioſippus recordatur.

CAP. XV.

אולם·

Ξυσός·

Porticus in foro.

Porticus ad ſpacioſa fori loca conſtitit, hinc pons
Ductus erat, Templo qui reſerabat iter.

HISTORIA.

IN foro ab Agrippæ palatio uſque ad Curiam erat ampla latitudine porticus, hypethris, hoc eſt, ſubdialibus inambulationibus ornata, quã Ioſephus Xiſton uocat: ubi Agrippa perelegantem ad populum orationem habuit, uolens ſeditioſos ab omni aduerſus Romanos rebellione abducere, cui tum Bernice ſoror in ſuggeſto aſtabat, Ioſeph. de Bello lib.2 cap.16. lib.6. cap.6. Egeſip. lib.2. cap.8. *Porticus.*

A Xiſto autem ſuprà uallem Cedronem pons fuit, partem illam Vrbis in Acra ſitam Templo iungens, Ioſeph. de Bello lib.2. cap.16. lib.7. cap.13. *Pons.*

Hunc pontem Ariſtobuli gregales intromiſſo ab Hircani factione in Vrbem Pompeio, eiq; Regiæ deditione facta, interrupêre, ac Templũ occupantes, ea parte Pompeio ad ultimum uſque reſiſtere conabantur: at Sabbathi die, qua illis hoſti aggeres cumulanti reſiſtere religio erat, uicti, & Tẽplo expugnato, omnes ad ipſam aram iugulati ſunt, Ioſeph. Antiq.14. cap.8. De Bello lib.1. cap.5. Egeſip. de Bell. Iud. lib.1. cap.16.

Ioſeph. Patrios mos nobis prohibere uim inferentes corpori noſtro permittit, ſed opus facientẽ hoſtẽ impedire nos non ſinit.

N

CAP. XVI.

Theatrum Herodianum.

Herodes ſancta conſtruxit in Vrbe Theatrum,
Proponens ludos ciuibus Auſonios:
At qui diuinæ ſpectabant ſeria legis,
Aethereis rebus poſthabuere iocos.

HISTORIA.

Herodis tyrannis & impietas.



ERODES Maior, cũ iam omnes, qui de gente Maccabeaca uel aliqua dignitate excellentes, ei ne arbitratu ſuo uiuere poſſet, ullam in partem reſiſtere ualebant, è medio ſuſtuliſſet, magis ac magis à patriis diſceſsit ritibus, & peregrinis ſtudijs ueterum inſtituta corrupit inuiolabilia. Hinc eo tempore permagna rurſus bonorum morum in deterius facta inclinatio eſt, labante diſciplina, qua antehac populus ſub Maccabeanis in officio ſolebat contineri. Præter cætera autem Rex Ieroſolymis, ſecundũ ſuum palatium, in Acra Theatrũ, ex raris albis lapidibus ſumptuoſiſsimo opere, ædificauit, depictis per circuitum titulis Cæſaris & trophæis deuictarum ab illo Gentium, auro argentoq; puro collucentibus. Hic quinto quoque anno exhibebat ludos ſcenicos, gladiatorum lanienas, Comœdias atque Tragedias. Ipſeq; hanc celebritatem nobiliſsimam eſſe uolebat, denunciatam circumuicinis atque etiam longinquis Gentibus, propoſitisq; præmijs magna impenſa euocabat ex cunctis finibus exercitatiſsimos quoſque & celeberrimos omnis generis ludiones, muſicos præſtantes, & cæteros eiuſmodi uoluptatis artifices, neque quicquam deſiderari paſſus eſt, quod uſquam in hoc genere ſpectabile eſſe poſſet, quomodo

Spectacula in urbe celebrata

modo etiam in his ſpectaculis, quod ad ipſum apparatum attinet, non ueſtes pretioſiſsimæ, non gemmæ raritate inſignes deerant. Quæ omnia ut aliena Iudaicis moribus erant, apud quos nullus talium rerũ uſus fuerat ab initio, nulla ſpectaculorum oſtentatio, ita cordatis & domeſticorum inſtitutorum cupidis plurimũ diſplicebant: ſed nihil tam moleſtum fuit quàm tropheȩa, quæ cum putarent armis contectas hominum imagines, quarum quidem imaginum uſus interdictus eſſet ipſorũ legibus indigniſsimè eas ferebant, ideoq; decem ex ipſis ciues cõmunicatis conſilijs conſtituerunt, contempto omni periculo, Regem in Theatrũ ingreſſum inuadere. At ille re ante per emiſſarium quendam præcognita, in Regia ſe continuit, & coniuratos illos deprehenſos (cum nihil negarét, ſed interrito uultu ſuum inſtitutum, atque adeò ſe rectè coniuraſſe, profiterentur: non equidem propter priuatos affectus aut ſui cõmodi gratia, ſed quòd putaſſent ſui officij eſſe labanti diſciplinæ publicæ, uel capitis periculo, ſuccurrere, nec pati ipſum quicquam contra receptos mores inducere) per ſtipatores ſuos abduci, & omni ſupplicio cruciatos necari iuſsit. Hoc tamen ſpectaculo reliqui nihil territi ſunt, ſed indicem quidem iſtorum membratim diſcerptum canibus obiecerunt, & aliàs parati erant quouis modo externos mores abrogare, ſuas autem leges ſartas tectas ab omni uiolatione tueri, quos Rex magna ſemper potentia in ordinem redigebat. Hæc ſic ad uerbum ferè apud Ioſephum Antiquitat. lib. 15. cap. 11. Et in Hiſtoria Iudaica lib. 5. cap. 22. deſcripta inuenies.

Spectaculorũ oſtentationem cõtra Iudaicos mores fuiſſe.

Imagines Iudæi abhorrebant.

INTERPRETATIO.

ADducti modò Historici citatis in locis asserunt, nullam ab initio spectaculorum ostentationem apud Iudęos in usu fuisse, ipsúmq; Herodē Theatricas istas lusiones cōtra priscos mores sanctæ Vrbi inuexisse. Quid uerò Orthodoxi Ecclesię Doctores de Ethnicis spectaculis, ad aucupandā tantū uulgi delectationē inuentis, sentiant: númne in Christianitate cōcelebrāda, an uerò de medio tollenda, omnibusq́; pijs omnino declinandæ sint, eos ipsos profitentes audiamus licet. August. Confess. 3. & de Ciuit. Dei lib. 2. inanem illam suam uoluptatem, qua iunior adhuc, & Christianitati nōdum initiatus spectandis Tragicis actionibus affici sit solitus, multis deplorat uerbis. Secundo de Manichæorū moribus libro, Manichæis præter cætera id quoq; uitio uertit, senes eorum Theatra frequentare, & iuuenes in scenis rixari. Libro de uera & falsa pœnitentia sic ait: Cohibeat se à ludis & à spectaculis seculi, qui perfectam uult consequi gratiam remissionis: Nam Dina si se cohibuisset, si inter suos remansisset, ab extraneo raptore corrupta non fuisset. Idem de Catechizandis rudibus publica spectacula meram insaniā uocat. Et lib. 1. de Ciut. Dei ca. 31. Scipionē Nasicam multis in cœlū effert laudibus, quòd deastrorum, quorum ipse Pontifex Maximus esset, instituto de scenicis exhibendis ludis contraueniens, Senatum Romanū caueam Theatri construere molientem, non solum ab hac dispositione & cupiditate cōpescens, grauissima oratione, ne Græcam luxuriam uirilibus patriæ moribus obrepere paterentur, nec peregrinæ nequitiæ ad labefactandam eneruandamq́ue Romanam uirtutem consentire uelint, persuaserit: sed & tantum auctoritate ualuerit, ut eius uerbis ꝑmota Senatus prouidētia etiā subsellia, quibus ad horā congestis in ludorū specta-

Sententiæ ueterum Doctorum de Theatricis spectaculis.

Liuius lib. 48. & Valer. de Institu. antiq. Val. Messala & Cassius Censores Theatrum faciendū locauerant, in quo populus Romanus sedens spectaret ludos. Nasica id ne fieret in Senatu obtinuit, tanquā publicis moribus nociturū, Ita S. C. totus ille Theatricus apparatus destructus est, cautúmq; eodem S. C. ne quis in Vrbe aut propius mille passus subsellia imponeret, sedensúe ludos spectaret.

ſpectaculo iam uti Ciuitas cœperat, deinceps prohiberet apponi. D. Ambroſius Officiorum 1. Theatricos iocos ab Eccleſia omninò remouendos eſſe ſuadet. Chryſoſtomus Homil. 8. de Pœnitentia, Theatra iniquitatis officinas, Homil. 6. in Matth. riſuum ac turpium uoluptatum incitamenta nuncupat: Ac Homil. 52. in Acta teſtatur: *S*pectacula Ciuitatibus liberis plurima mala adferre. Tertullianus Apologetico pro Chriſtianis aduerſus Gentes: Spectaculis ueſtris, inquit, in tantum renunciamus, in quantũ originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas, cum ipſis rebus, de quibus exiguntur, præterimus. Lactantius autem Firmianus de iiſdem ex profeſſo huiuſmodi fert ſententiam: Cum Philoſophi diſertè ad cõtemptum terreſtrium nos exhortati ſunt, & ad cœli ſpectaculum excitauerunt: tamen ſpectacula publica non contemnunt. Itaque his & delectantur & libenter interſunt. Quæ, quoniam maxima ſunt irritamenta uitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſsimè ualent, tollenda ſunt nobis: quia non modò ad beatam uitam nihil conferunt, ſed etiam nocent plurimũ: Nam qui hominem, quamuis ob merita damnatum, in conſpectu ſuo iugulari pro uoluptate computat, conſcientiam ſuam polluit, tàm ſcilicet quàm ſi homicidij, quod fit occultè, ſpectator & particeps fiat. Hos tamen ludos uocant, in quibus humanus ſanguis effunditur. Adeò longè ab hominibus receſsit humanitas, ut cum animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur, nocentiores ijs omnibus, quorũ ſanguinem uoluptati habent. Quæro nunc, an poſsint pij & iuſti homines eſſe? qui conſtitutos ſub ictu mortis ac miſericordiam deprecantes, nõ tantum patiuntur occidi, ſed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana ſuffragia, nec uulneribus ſatiati, nec cruore contenti, quinetiam percuſſos iacenteſque repeti iu-

Ambroſius. *Chryſoſtomus* *Tertullianus.* *Lactantius.* *Digladiatio.* *In eandem ſententiam Auguſtinus ſcribit, lib. de catechizandis rudib.*

bent,& cadauera ictibus disſipari, ne quis illos ſimulata morte illudat. Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter è duobus alter occiſus eſt, & tanquam humanũ ſanguinem ſitiant, oderunt moras. Alios illis compares dari poſcunt recentiores, ut quamprimùm oculos ſuos ſatient. Hac conſuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiã innocentibus, ſed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Huius igitur publici homicidij ſpectatores & participes eſſe non conuenit eos, qui iuſtitiæ uiam tenere nituntur, ne conſcientiam perfundat ullus cruor, ſiquidem populo ſanguis ille pręſtatur. In ſcenis quoque neſcio an ſit corruptela uitioſior: Nam & Comicæ fabulæ de ſtupris uirginum loquuntur, aut amoribus meretricum: & quo magis ſunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis ſententiarum elegantia perſuadẽt, & facilius inhærent audientium memoriæ uerſus numeroſi & ornati. Item Tragicæ hiſtoriæ ſubijciunt oculis parricidia, & inceſta Regum malorum, & cothurnata ſcelera demonſtrant. Hiſtrionum quoque impudiciſsimi motus, quid aliud niſi libidines docent & inſtigant? quorum eneruata corpora, & in muliebrem inceſſum habitumq́ue mollita, impudicas fœminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus diſciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad uera? Quid iuuenes aut uirgines faciant, cum & fieri ſine pudore & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique quid facere poſsint, & inflammantur libidine, quæ aſpectu maximè concitatur: ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus præfigurat: probantq́ue illa, dum rident, & adhærentibus uitijs corruptiores ad cubicula reuertuntur: nec pueri modò, quos præmaturis uitijs imbui non oportet, ſed etiam ſenes, quos peccare iam

Comediæ. *Tragediæ.* *Hiſtriones.* *Mimi.*

iam non decet, in talem uitiorum ſemitam dilabuntur. Circenſium quoque ludorum ratio quid aliud habet, nisi leuitatem, uanitatem, inſaniam? Tanto nanque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur: ut iam plus ſpectaculi exhibeāt, qui ſpectandi gratia ueniunt, cū exclamare, & efferri & exilire cœperint. Vitanda ergo ſpectacula omnia, non ſolum ne quid uitiorum pectoribus inſideat, quæ ſedata & pacifica eſſe debent, ſed ne cuius nos uoluptatis conſuetudo delineat, & à Deo atque à bonis operibus auertat: Nam ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt: ſiquidem ob natales eorum, uel Templorum nouorum dedicationes ſunt cōſtituti. Et primitùs quidem uenationes, quæ uocantur munera, Saturno attributæ ſunt, ludi autem ſcenici Libero, Circenſes Neptuno. Paulatim uerò & cæteris Dijs idem honos tribui cœpit, ſinguliq; ludi numinibus eorum conſecrati ſunt, ſicut *Siſinius Capito* in libris *Spectaculorū* docet: *Si* quis igitur ſpectaculis intereſt, ad quæ religionis gratia conuenitur, diſceſsit à Dei cultu, & ad Deos ſe contulit, quorum natales & feſta celebrauit. Hæc ille lib. de Cultu aduerſus Gentes cap. 20. Et Epitomes cap. 6. Circenſes ludi.

N 4

CAP. XVII.

ἱππόδρομος.

Circus.

Campus in Vrbe patēs Circo post Amphitheatron
Additur, hîc populus ludicra spectat iners.
Hîc ferus Herodes, nil curans seria iura,
Lusibus Hebræos detinet Ausonijs.

HISTORIA.

ECIT quoque Rex ad meridionalem Vrbis partem Hippodromũ seu Circum, altis mœnibus septum, ubi Curule certamen, quinto quoque anno, in Augusti honorem magnificentissimè & sumptuosissimè ædebat, aliosque similiter Circenses, de Ethnico ritu, ludos peragi curabat: propositis uictoribus magnis præmijs, & summa spe gloriæ. Hic tum copiosus undique, pro Mosaicarum legum studiosis, athletarum cęterorumque certatorum accursus factus est: confluentibus frequenti in sanctam Vrbem numero, non ijs tantum qui gymnicis certaminibus dant operam, sed musicis etiam quibusque exercitatissimis, & qui uocantur thymelici, nec nõ quadrigarij, ac trigarij, & qui singulis equis celitizontes cursum peragunt. Iosephus Antiq. lib. 15. cap. 10. Idem quoque Antiqui. 17. cap. 12. & Bellor. 2. cap. 2. in huius Circi mentionem incidit.

Erasmus: Circenses ludi Romæ in honorem magnæ matris Deûm instituti. à Circo dicti, in quo peragebãtur. In hæc spectacula uulgus insaniebat.

INTERPRETATIO.

IOsephus Circenses illos ludos unà cum reliquis Ethnicorum iocis ab Herode apparatis, cordatis domesticorum-

corumque institutorum cupidis non arrisisse, sed displicuisse ut cum maximè, dicit: quippè qui huiusmodi spectacula de Sanctis plurimum legibus derogare, & magnam castis moribus ad ineptias aperire fenestram prospicerent. Veteres quoque noui Testamenti Scriptores Circum & improbarunt & fugerũt, id quod ex eorum libris apparet: Sic enim Tertullianus Apologetico aduersus Gentes de seipso & reliquis Christianis testatur: Nihil est nobis dictu, uisu, auditu cum insania Circi, cum impudicitia Theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xisti uanitate. August. lib. Confess. 6. Deo pro populari & ciui suo Alipio ingentes agit gratias, qui illum à Circensi insania & sordibus (ita siquidem appellat) ne amplius eas uel celebraret uel frequentaret, conuerterit.

Doctorum Ecclesiæ de Circensibus ludis iudicium.

Tertullianus.

Augustinus.

D. Hieronymus de S. Hilarione, eius describens uitam, in hunc disserit modum: Hilarion credens in DOMINVM IESVM, non Circi furoribus, nõ arenæ sanguine, non Theatri luxuria delectabatur, sed tota illi uoluntas in Ecclesiæ erat cõgregatione. Idem ad Marcellam: Habeat sibi Roma suos tumultus, arena sæuiat, Circus insaniat, Theatra luxurient, nobis adhęrere DOMINO bonũ est, & ponere in DOMINO Deo spem nostram. Idem aduersus Iouinianum: Si Circensibus quispiam delectetur, si Athletarum certamine, si nobilitate Histrionum & cæteris huiuscemodi, per oculorum fenestras animę capta libertas est, & impletur illud: Mors intrauit per fenestras uestras. Ambrosius Valentinianum Imperatorẽ idcircò etiam summis cumulat laudibus, quòd cum se apud plerosque in uituperationem cadere uidisset, quia Circensibus delectaretur lusionibus, sic hunc næuũ absterserit, ut ne solennibus quidẽ Principũ natalibus, uel Imperialis honoris gratia eas putaret esse celebrandas. Demum ne pluribus afferendis longiores simus, Lactantius Epitomes suæ sexto cap. ait: Circus

Hieronymus.

Eras. in Schol. in hunc ipsum locũ: Annotandum ab Hieronymo notari quòd hodie Christiani pręclarum inprimis ac uerè regium putant, armatos hastis inter se concurrere, magno periculo, nullo fructu.

Idẽ rursus: In Circo agitabantur certamina uarij generis, magno sumptu: unde Hieronymus insaniã uocat: insanit enim qui modum non seruat.

Ambrosius.

Lactantius.

hiſtrionicis impudicis geſtibus nō innocentior æſtimatur, ſed maior hic furor eſt: ſiquidē mentes ſpectantiū tanta feruntur inſania, ut non modò in conuitia, ſed etiam in rixas, nec non & in prælia & contentiones ſæpè conſurgant.

CAP. XVIII.

גיא הרים.

Φάραγξ βαθεῖα κεδρώνου.

Vallis profunda.

Vallis erat Xiſtum ſubter Templumq; profunda,
Cedronis quondam nomine dicta ſuo.
Eripe Chriſte tuos ima de ualle malorum,
Transfer & ad regni mœnia celſa tui.

HISTORIA.

Deſcriptio profundæ uallis.

NTER inferiorem Ciuitatē & Templum lata atq; profunda uallis erat, à porta Beniamitica per mediam uſq; ad ſupremam montis Sionis portam pertingens, & Templum ferè obiens: in quam uallem inferior Vrbs, è regione Templi theatrali ſpecie poſita, toto Auſtrali tractu deſinebat, Ioſep. Antiq. lib. 14. cap. 8. lib. 15. cap. 14.

Machten.

Zophonias Propheta hanc uallem Machten appellat, ex cuius præterea uerbis colligere licet, mercatores & omnis generis negotiatores eam incoluiſſe: ſic enim ille cap. 1. Vlulate Machtes habitatores, inquit, quia omnis populus mercator exciſus eſt, exciſi ſunt omnes argentū ferentes. Vbi Chaldęus Paraphraſtes in hūc legit modū: Vlulate qui habitatis in ualle Cedron. Ioſephus quoq; de Bel. lib. 6. cap. 6. lib. 7. ca. 6. hanc ipſam uallē Cedronē appellat, ut binominē fuiſſe cōſtet, ac Machten à profun-

Cedron.

profunditate, & quia mortarij ſimilitudine erat diſpoſita, Cedronem uerò à tenebris nuncupatam.

Vſq; adeò dehiſcebat, ut ſi quis cõſcenſo tecto muri Templi, qui contra eam erectus erat, deſpicere conaretur, abſq; uertigine id facere non poſſet, obtutu oculorum deficiente, ob nimiam profunditatem, priuſquam ad imum pertingeret, Ioſeph. Ant. 15. cap. 14.

Simon Aſſamoneus Acrę altitudinẽ cæſam humiliorem faciens, ut Templo coniungeretur Ciuitas, Cedronem aggeribus nõnihil compleuit, Ioſeph. de Bello lib. 6. cap. 6.

Ananus Pontifex Iacobum Iuſtum, Ioſephi filium, fratrẽ DOMINI IESV CHRISTI ex alia matre, profitentem IESVM, Filium illũ hominis, ſedere â dextris magnæ potẽtiæ, ac uenturum in cœli nubibus, iuſsit de Templi muro in hanc uallem deturbari, cumq; præcipitatus ſupplici uoce inuocaret: DOMINE Deus Pater noli in eos hoc uindicare peccatum, non enim quid faciant intelligunt, Sacerdotes deſuper lapidibus eum appetierunt, tandem uerò unus de ijs, qui præſto erant, arrepto fullonis inſtrumẽto, eius caput cõmitigauit, ſicq; ille obdormiens eodem in loco ſepultus eſt, Ioſep. Ant. 20. cap. 8. Egeſip. 5. Cõment. Clemens 7. Diſpoſitionũ, Euſeb. 2. lib. Eccleſ. Hiſt. cap. 1. 23. Niceph. lib. 2. Ioſephus aſſerit occiſionem illam Iacobi omnibus in Vrbe bonis & legum ſtudioſis tam diſplicuiſſe quàm qui maximè: Quinetiam idem, afferente eum Euſebio, confirmare audet, Ieroſolymam diuina ultione uel ideò etiam optimo iure euerſam eſſe, quòd Iudæi Iacobum, fratrem Ieſu, cum iuſtiſsimus foret, occiderint. *Iacobi Iuſti martyrium.*

DE MONTE MORIA, TEMPLO, REGIIS BASIlicis alijsque celebribus tum ædificijs tum locis, eodem in monte ſitis.

LIBER QVARTVS.

GENES. XXII.

Vade in terram Moriam, & ibi filium tuum Iſaacum mihi offer in holocauſtum, ſuper uno de montibus quem ego tibi oſtendam.

II. PARAL. III.

Cœpit igitur Salomon DOMINI domum ædificare Ieroſolymis in monte Moria.

CAP. I.

מוריה·

Λόφος τρίτος Αμόρειν.

Moria Mons.



Hoc in monte ſuum natum generoſus Abraham
De iuſſu uoluit ſacrificare Dei:
Victima pro nobis at Chriſtus uera Redemptor,
Suſtinuit miſeræ fata dolenda necis.

HISTORIA.



ERTIVS in Vrbe mons, dictus Moria, petroſus & arduus quoque fuit, magnam in uertice planitiem habens, uerſus ortũ ſenſim decliuis, ab aliјs uerò tribus plagis omnino præceps, Ioſephus Antiq. 15. cap. 14. De Bello lib. 6. cap. 6. *Deſcriptio Moriæ.*

Ad latus Sionis ille cõſiſtebat contra Acram, & na-

tura primò humilior, ualleque, de qua dudum mentionem fecimus, ante diuisus: uerum ut Simon Assamonæus, ualle aliquantum expleta, Acræ altitudinem cæcidit, super eam is prominebat, Iosephus de Bello lib. sexto, cap. sexto.

INTERPRETATIO.

Moriæ montis notationes & mysteria.

Hieron. in Genesin Moriam Symmachus τὴν ὀπτασίαν, id est uisionẽ, transtulit.

Eucherius. Christus recte mons Moria uocatur, id est, uisionis, q̃a electos suos quos ad æternam suæ claritatis uisionẽ conseruat, in hac interim uita laborantes uidere & adiuuare dignatur.

Lact. 4. Insti. cap. 7. Christus non proprium nomẽ est, sed nuncupatio potestatis & regni.

MOria, si interpreteris, primò idẽ sonat, quòd ostensio, demonstratio & doctrina DOMINI: diuina scilicet præsensione sic denominatus mons, quòd CHRISTVS, DOMINVS ille omnium, in eo semetipsum sistens, palàm ostensurus & ibi populũ docturus esset: id uerò quemadmodum definito tempore perfectum sit, D. Ioannes indicat, 10. sui Euangelij cap. scribens: DOMINVM aliquando in templo (hoc eodẽ in colle extructo, ueluti 2. Par. 3. dicitur: Cœpit Salomon DOMINI domum ædificare Ierosolymis in monte Moria) Iudęis quærentibus, an ipse CHRISTVS ille esset, ita respondisse: Dixi uobis (eum ipsum me esse) neq; creditis. Opera quæ ego in mei Patris nomine facio, ea de me testantur. Ego & Pater unum sumus. Et cap. 18. idem testatur, IESVM de doctrina sua à Pontifice interrogatum, sic pronunciasse: Ego semper in Synagoga docui & in templo, quo Iudæi omnes conueniunt, & in occulto nihil locutus sum. Reliqui etiã Euangelistæ literis produnt, CHRISTVM ijs, qui ipsum in horto comprehensum inuadebant, dixisse: Se quotidiè apud eos in templo fuisse & docuisse, Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Cyril. His uerbis Dominus Iudæis in memoriã reducere studet, quod Esaias cap. 45. ex ipsius p̃sona prædixit: Non in occulto locutus sũ, nec in loco terrę tenebroso.

Deinde Moria significat myrrhã DOMINI, quòd ibi primitùs myrrha, cinnamomum & alöe creuerint, teste Munstero, & CHRISTVS, cuius uestimenta Psalmo 45. myrrha, & stacte, & casia: Canticor. autem 5. labra

labra eius fluentẽ distillare myrrham dicuntur, ibidem diuinorum suorum operum stacten, redolentemq́; donorum sancti Spiritus succum in omnem electam carnem effusurus esset, quod cum in humilitatis ipsius dispensatione, tum uel maximè gloriæ statu, ad diem Pentecostes, manifesto rei euentu demonstratum est.

Amb. in Psal. 118. Per myrrhã passionis Domini unguentum & resurrectionis gratia declaratur, quæ rediuiuũ uitæ odorem suscitatis mortuorũ uisceribus infundit.

Præterea Moria cultum & timorẽ DOMINI notat: in eo siquidem colle ueteres Patres & antè legem & sub lege umbratilem Dei cultum, qui certi illius diuini cultus, in spiritu & ueritate perficiendi, Ioan. 4. figura erat, transegerunt.

Veteres interpretes dicunt ipsum etiã Adamum, Abelem, Setham, Noan in hoc monte Deo sacrificasse.

Aquila Moriam τὴν καταφανῆ, id est, illuminantẽ uel lucentem exposuit, auctore Hieronymo, qui & huius notationis rationem afferens, idcircò sic dictum montem contendit, quòd ibi Dabir, hoc est Dei oraculum foret. Item Lex, & Spiritus sanctus, homines ueritatem docens & prophetias inspirans.

In quæst. Heb.

Demũ Moria perinde est ac si dicas: Iudicans DOMINVS: Hic quippè CHRISTVS tum uerbis tum factis, se uniuersorum Iudicem fore, palam fecit.

Moria mons & alias in sacris Monumentis habet appellationes, Nam Deut. 3. Item 3. Reg. 4. 2. Par. 8. Habac. 2. Libanus, Ierem. 26. Mich. 3. mons domus, Soph. 3. mons sanctitatis, Ezech. autem 20. & 1. Maccab. 11. mons DOMINI sanctus atque excelsus denominatur: Et id quidem iuxta literæ sensum ea de causa fieri putamus, quòd domus DOMINI, id est, Templum, ex lignis & lapidibus à Libano monte auectis, pro sancti & omnis sanctitatis excelsissimi DOMINI obseruantia, in eo extructum fuerit: Mysticôs autem, quia CHRISTI IESV, qui Esaiæ 2. Daniel. 2. & Mich. 4. sanctus DOMINI

Variæ montis Moriæ appellationes.

Hieron. Fabiolę: Christus mons pulcherrimus, qui iuxta Danielē creuit in montem magnum. Ad istum populi in Esaia & Michæa confluunt, dicentes: Venite ascendamus in montē Domini.

mons, Cantic. autem 5. aspectu suo cum Libano atque cedris confertur, non obscurum imbutis & exercitatos in diuinis rebus sensus habentibus, typum præferret.

HISTORIA.

Alch. Abraham indubitanti animo mactare filiū uolebat, laudandus in constantia offerendi & in fide suscitandi.

IN montē Moriam Abrahamus diuino mandato iussus est unigenitum suum filium Isaacum subducere, & illic eum DOMINO in sacrificium immolare, cunque iam nihil propius esset factum, quàm ut præcepta exequeretur, DOMINVS sub Angeli persona apparens, eum nomine inclamauit: Ne puero manum afferret, neque quicquam in eum committeret, iam enim se satis exploratam eius habere pietatem, qui sua causa ne filio quidem, eiq; unico, parcere uoluerit. Tum ille flexis post tergum oculis, uidit arietem, cornibus in uepribus hærentem, quem comprehensum, uice filij obtulit, illiusq; loci nomen יְהוָה יִרְאֶה DOMINVS hic apparebit, uocauit: Vbi deinceps ei promissio de uenturo semine, iureiurando interposito, confirmata est, suumq; is filium uiuum atque ualentem domū reduxit, Genes. 22. Iosephus Antiquit. lib. 1. cap. 13. lib. 7. cap. 10. Hieronymus Quæstionibus Hebraicis, & 5. lib. Comment. in Ieremiam.

Aug. de Ciui. lib. 16. cap. 32. Quis ariete illo figurabatur nisi Iesus? antequam immolaretur spinis coronatus.

Prosper: Ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio Dei filio reseruata est.

INTERPRETATIO.

SVb quo facto Abrahamus fide cognouit, DOMINVM ipsum & unigenitum Dei Filium, factum ex eius semine carnem, quemadmodum ei promissum sit tempore plenitudinis † in monte hoc compariturū, nec longè ab eo, in colle uidelicet Caluariæ, in carne assumpta passurum, hostiamque Deo Patri pro mundi peccatis factum, breui rursus à morte in benedictionē omnium-

niumque fidelium Gentium iustificationem reuicturum esse, Hebr. 11. Genes. 12. & 18. Ephes. 1. Galat. 4. 1 Petri 4. Hebr. 10. Actor. 3. Rom. 4. Ideoque * post tergum ille respexit, in subsecuturam nempè CHRISTI manifestationem intendens, & de eius in hoc monte apparitione cognomen monti indidit: DOMINVS hoc in loco apparebit.

† *Tertullianus: Hæc fuerunt Sacramenta, quæ tẽporibus Christi perficienda seruabantur, & Isaac reseruatus est, ariete oblato in uepre cornibus hærente, & Christus suis temporibus lignum suis humeris portauit, inhærens cornibus crucis, spinea corona in capite eius circundata: hunc enim oportebat pro omnibus Gentibus fieri sacrificium.*

* *Abrahamus post tergum respiciens arietem in dumo, eum acceptum obtulit, id est, credidit in Christum, qui definito suo tempore uenturus & offerendus erat.*

Hanc interpretationem ipsemet DOMINVS, apparens iam coram in Templo, hoc eodem in monte collocato, confirmauit, huiusmodi ad Iudæos uerba faciens: Abrahamus pater uester exultauit ut uideret diem istam meam, & uidit, ac (uidisse) gauisus est, Iohannis 8. Vbi per CHRISTI diem uniuersa eius in carne dispensatio accipienda est, quæ appellatur Dies, quòd breui in terris tempore immoratus sit, ut uix dies dici posit. Eam diem Abrahamus fidei cognitione, qua est iustificatus, uidit, & gauisus est, dato ei de promissi constantia solatio, in ipsius nimirum semine, qui est CHRISTVS, Galat. 3. omnes omnino credentes fœlicitandas fore Gentes. Apostolus quoque 11. ad Hebræos capite testatur, Abrahamum reliquosque fideles Patriarchas secundum fidem mortuos esse, quum non fuissent adepti promissa (externè) sed eminus ea (internè) uidissent, credidissentque & salutassent (eis ipsis sibi per fidem applicatis) Ac paulò post: Abrahamũ per fidem obtulisse filium suum Isaacum, unigenitum illum, in quo uocandum ei fuerat semen, & quum secum perpendisset Deũ uel ex mortuis excitare posse, eum in parabola (id est, ut

Cyrill. in Iohan. Dominus diẽ suũ dicit diẽ crucis, quem Abraham oblatione arietis & Isaac præfigurauit.

4. Esd. 1. Non uidentes me oculis carnalib. sed spiritu credẽtes quę dixi.

Patres salutauerũt uenturũ Christum, & fidei oculis omnẽ eius oiconomiam uiderunt, per quod et saluati sunt.

Prosper: Deo iubenti ea intentione paruit Abraham, qua sciebat Deum nec immemorem promissionũ suarum, & mysticum quoddam futuræ passionis Dominicę geri sacramentũ.

Eraſmus explicat, in typo CHRISTI immolandi & à mortuis reſuſcitandi) ſuum filium recepiſſe.

HISTORIA.

Iebuſæus dicitur conculcator, Arauna maledictio, Ornanus exultans, denotat Diabolum.

DAuid conſpicatus aliquando DOMINI Angelũ in hoc ipſo monte apud aream Iebuſęorũ Reguli, qui Arauna & Ornanus dicebatur, ſtantem, porrectumq; in Vrbem gladium manu tenentem, & populum peſte uaſtantem, hortatu Gadi Prophetæ montem conſcendit, emptiſque ab Arauna tum area tum bubus, argenti ſiclis quinquaginta, & Altari illic extructo, holocautomata in eo ac pacificas hoſtias obtulit, Dominumq; inuocauit: qui ipſum in igne de cœlo exaudiens, iuſsit Angelo, ut gladium ſuum in uaginam referret, & ſic plaga à populo cohibita eſt, 2. Reg. 24. 1. Par. 21. Ioſephus Anti. lib. 7. cap. 3. & 10.

INTERPRETATIO.

Cyril lib. 4. in Iohan. Scriptura ſolet humanitatem Christi quę à ſemine Dauid ſumpta fuit, Dauid appellare.

Aug. Confeſſ. 10. Chriſtus uictor & uictima, ſacerdos & ſacrificiũ.

Hieron. in Matt. Chriſtus ſolus orat & patitur pro omnibus.

PEr hanc quoque figurã futura Filij Dei in carne pręſentia repręſentabatur, qui propè Moriam, ceu uerus ille Dauid magno nos precio à ſpirituali Arauna, hoc eſt, legis maledictione, uindicaturus, 1. Cor. 6. 1. Petri 1. Apoc. 14. proprijq; corporis oblatione Deo Patri reconciliaturus, Col. 1. 2. & à percutientis Angeli plaga, id eſt, à peccato & æterna morte, per efficaciſsimas ſuas preces, liberaturus eſſet, Eſa. 53. Heb. 2. 5. 10.


CAP.

CAP. II.

היכל במות·

Τὸ ἅγιον ἱερόν.

Templum Salomonis.



Effigies ueteris datur hîc amplißima Templi,
Quod Salomon mira ſtruxerat arte ſacer:
Hoc opus abſtruſum myſteria plurima pandit,
Summatim corpus nobile, Chriſte, tuum.

HISTORIA.

DAVID cum animaduertiſſet ſe in monte Moria ad Araunæ aream exauditũ, & ſacrificium ſuum, in extructo ibidem altari peractum, reſpectu futuræ CHRISTI oblationis, Deo gratum fuiſſe, huiuſmodi uocẽ miſit: Hoc eſt Templũ illud DOMINI, & hoc altare pro Iſraelitarũ holocauſto: ſtatuens nimirũ cũ animo ſuo illic domũ nomini Dei ſui *Dauid conſtituit Templum ædificare.*

2.Paral. 2. Tobiæ 1. 1.Maccab.7.

erigere, ubi ſacrificia de Moſaica fierent Lege, ubi DOMINI nomen inuocaretur, & uotiua donaria conſecrarentur. Iuſsis ergo inquilinis congregari, conſtituit lapicidas, qui quadratos lapides cederent: tum magnã ferri copiam ad clauos, ad ianuas portarum, & ad commiſſuras congeſsit, ærisque uim immenſam, & cedrinam materiam innumerabilem, præterea auri centum millia talentorum, argenti uerò decies centena millia, nec non omnis generis rarorum lapidum gemmarumque infinitam multitudinem, ac plurima alia, ad diuini Fani conſtructionem neceſſaria, ante mortem, in uarijs ſuis afflictionibus atque tribulationibus, apparauit.

Apparatus Dauidis ad Tẽpli constructionẽ.

Dauidis intentionem in construendo Templo Dominus repudiat.

At cum DOMINVS ei diceret: *S*anguinis multũ effudiſti, & ingentia bella geſsiſti, quare non tu nomini meo ædificabis Templum, ſed filius tuus, qui Vir erit quietus, cuiq; ego ab omnibus undique hoſtibus quietem præſtabo, & ideò Salomon uocabitur: Hic meo nomini domum conſtruet, huic ego pro Patre, ipſe mihi pro Filio erit, eiusque in Iſraelitas regni thronum ego firmabo in ſempiternũ, ſi modò aſsiduam ille operam dederit, ut mea præcepta iuraque ritè exequatur. Tum Dauid à conſtituta animi ſui intentione deſiſtens, Salomonem filium, ad perficienda Dei decreta, magnopere hortatus eſt, & ut is Templum ædificaret, quemadmodum DOMINVS de eo locutus ſit, pro paterna auctoritate, præcepit: quemque ipſe ad extructionem apparatum fecerat, ſimul ei omnem obtulit, propoſito etiam totius ſtructuræ exemplari, quod ſe in ſpiritu uidiſſe, & ipſo Dei digito deſcriptum, ſupernè accepiſſe teſtificatus eſt.

Exemplar constructionis.

Salomõ ex Domini iuſſu incipit Templum ædificare.

Salomon igitur confirmatus iam in Iſraelitico regno, & DOMINVM Deum ſuũ propitiũ habens, poſt obitũ ſui patris produxit omnẽ ad domus Domini ędificatio

cationem apparatum, latomosque ad poliendos lapides, & fabros ad cædenda in monte Libano ligna, destinauit: his quoque complures baiulos saxorumque conuectores addidit, & singulis ordinibus certos duces, qui cæterorum opus urgerent, præfecit. Tyriorum autem Rex ei, præter cæteros, artifices elaborandi auri, argenti, æris, ferri, purpuræ, cocci & hyacinthi peritos, necnon qui sculpere ac quoduis ingeniosum opus solerti tractare industria scirent, dedita opera misit.

Vbi & quãdo cœperit Salomon Templum fundare.

Et anno quarto sui regni mense Ziff, qui secundus est, Aprili nostro plerunque respondens, exorsus est Salomon Templi fabricam Ierosolymis in monte Moria, eo ipso in loco, qui eius patri Dauidi mõstratus, & huic rei ab eo in area Ornanis Iebusæi præparatus fuerat.

Fundamenta.

Fundamenta ædificij iaciebat in altissimam terræ profunditatem, è saxis ualidissimis & quadragenûm, plerunq; cubitorum magnis, quæ tum contra omnem temporum iniuriam resistere, tum quancunque superpositam molem sustinere facilè possent.

Superstructio.

Omnem reliquam structuram formabat ex politissimis albis marmoreis lapidibus, ita ad unguem inter se quadrantibus, & cõmissuris oculos fallentibus, ut intuentibus nullũ usquam mallei aut cuiuslibet alterius fabrilis instrumenti uestigium appareret, sed natura sic iuncta potius omnia, quàm arte congesta uiderentur.

Richar. de S. Victore: Malleus & securis nõ audiebantur, quia tam lapides quàm trabes dolauerãt antequã adducerentur: in aptatione tamen illorum parũper audiri potuerunt, nisi hoc uelis tribuere miraculo, ut textus uidetur uelle.

Nec etiam in tota exædificatione ulli mallei, aut secures, aut quæuis alia ferramenta unquam audita sunt: quippe Rege procurante ut structura ex saxis atque lignis, in Libani lapicidinis & syluis prius quadratis dolatisque, quemadmodum auecta ea erant, sic erigeretur.

Parietes. Parietes atque lacunaria intus tabulis cedrinis omni ex parte conueſtiebat, ne uſquam lapis appareret, tabulas uerò partim prominenti Cheruborum atque palmarum, partim patula florum atq; ſylueſtrium cucurbitarum ſculptura exornabat, ipſos porrò Cherubos, palmasque, & flores atque cucurbitas obrizo auro incruſtans, eidemq; auro raras paſsim gemmas includẽs, ita ut omnia auro reniderent, & intrantiũ oculos, gemmeus uſquequaque occurrens fulgor, perſtringeret.

Exterior fani ſpecies. Exteriorem autẽ faciem, ubi non inaurabat, è candidiſsimo pellucere ſplendore ſinebat, quò ipſum fanũ, ex aduerſo habitantibus aut aduentantibus à multis ſtadijs conſpicuum, niueo monti ſimile uideretur.

Pauimentum. Pauimentum ſeu ſolum abiegenis conſtratum tabulis, aureis laminis inducebat.

Feneſtræ. Feneſtras ita formabat, ut extrinſecus anguſtè, intrinſecus autem laxiores forent.

Tectum. Tectum ex abiegena materie fabrefactum, puriſsimo auro illiniebat, uſque adeò igneo ultra primos ortus lucente ſplendore, ut qui defixis oculis intueretur, quaſi ſolis offuſus radijs, aſpectum aliquãdiu amitteret.

Faſtigiũ tecti. Faſtigium tecti acutiſsimis aureis uerubus impoſitis adeò horridum faciebat, ne aues inſidere, & tantum nitorem uentris proluuie cõſpurcare turpiter poſſent.

Diſpoſitio & menſura Templi. Atq; huius totius ædificij frontem Orienti obuertebat, eius longitudine ſexaginta cubitos, latitudine uiginti, altitudine triginta patente.

Interior fani diuiſio. Diuiſo deinde in duas partes fano, in interiorem uidelicet & exteriorem domum: interiorem ad occidentalem

talem plagam quadrangula figura poſitam, uicenosq; in longitudinem & in latitudinem & in altitudinẽ cubitos directam, uocabat דביר Domum oraculi ſeu oraculare, Item ſanctius Sanctuarium, penetrale & aditũ. *Oraculare.*

In medio penetrali collocabat duos Cherubos, eadem menſura & modo, in altitudinem denûm cubitorum, factos ex oleaginis lignis, ſolidoq; auro inductos: uterque duas habebat alas, ad quinq; cubitos ita exporrectas, ut alter hinc, alter illinc altera ala parietem attingeret, alteris autem alis ſeſe mutuò cõtingerent, uultus autem ſuos ad exteriorem domum uertebãt. Ioſephus quidem ait neminem uel cõijcere uel eloqui poſſe, quánam effigie hi Cherubi fuerint: at (quod tanti uiri pace dixerim) 2. Par. 3. eos opere impuberûm puerorum ſimili fuiſſe, expreſſe dicitur. *Duo Cherubi.*

Exædificato templo Sacerdotes de Regis iuſſu Arcam DOMINI fœderis ex Sione in Oraculare ſubter Cheruborum alas, in medio Oraculari mutuò ſeſe contingentes, deferebant: ut illic, tanquam ſub umbella aut tholo poſita, ſupernè protegeretur. *Arca.*

Ad Oracularis ingreſſum aureum ducebat parietem, in eoque portam, aureis ſtridentem cardinibus, oleaginisq; foribus uſquequaq; cœlatis & inauratis conſpicuam, moliebatur: quæ 2. Reg. 15. ut apparet, altiſsima porta nominatur. *Oracularis porta.*

Nuncupatæ iam portæ Siparium oppandebat ex hyacintho, purpura, cocco, biſſoque factũ, & Cherubis uariegatum. *Sipariũ ſeu uelum oracularis*

Ad ipſum Oraculare nulli acceſſum dabat quàm ſummo Sacerdoti, Pontificio amicto ornatu, idq; in ſingulis annis ſemel, quo die ieiunium conſueuit inſtitui. *Oracularis acceſſus.*

Sanctuarium seu Cella. Exteriorem ſeu anteriorem Domum, id eſt, Sanctuarium ſeu Cellam, uerſam ad Orientem, quadraginta cubitorum longitudine, precationibus alijsq; purorũ Sacerdotum diuinis miniſterijs dicabat.

Suffitoria ara. *Candelabrum aureum.* *Menſa aurea.* Tria eò mirabilia cunctisq; hominibus nunquã ſatis prædicanda opera conſtituens, Suffitoriam nempè aureã aram in media parte, ad auſtrale uerò latus Candelabrum aureũ, & ad ſeptentrionale Menſam auream cum propoſitionis panibus.

Candelabra decem. *Menſæ decem.* Huc quoq; alia decem Candelabra foculis, lilijs & lucernis aureis exornata, utrinque diſponebat: nec non decem Menſas, excepturas lances ad offerendam in eis ſimilam maceratam ad altare, & crateras, in quibus ſimila oleo ſubigeretur, & acerras quibus odoramenta in Templum inferrentur, Ad hęc capedines, fuſcinas, thuribula, phialas & muſica in hymnodiarum uſum inſtrumenta.

Porta Sanctuarij. Fores portæ ad hanc domum uerſatiles faciebat ex abiegenis lignis, inſculptis eis Cherubis, palmisq; & patulis floribus, hisq; tum auro inductis, ac deſuper prætenſo uelo, illi uelo ſimili quod Oracularis ianuæ adhibuerat. Hæc porta Ierem. 26. & 36. noua appellatur.

Exhedræ. Extra Cellę portam Exhedras, id eſt, Cœnacula ſeu certas quaſdam manſiones pro Cantoribus, pro Sacerdotibus Domus DOMINI curam geſturis, & pro Leuitis qui Aræ procurationem obituri erant, hinc atque hinc faciebat.


Tabulata. Sed ipſius Oracularis exteriorisq; Domus parieti per circuitum ædiculas, tabulata dictas, aſtruebat, trina contignatione alteras alteris imponens, quarum ædicularum infimæ quinos cubitos in latitudinem productę erant, mediæ ſenos, tertiæ ſeptenos.

Oſtium

Oſtium habebant mediç ædiculæ à domus dextro latere, aſcendebaturque ad eas per cochleam, craſsitudini muri incluſam, & porrò ab intermedijs ad tertias. Hic conſecrata, item utenſilia uaſa & cæteræ quæque prætioſiſsimæ res, in opere muneris Templi adhibendæ, recondi debebant.

Oſtium Tabulatorum.

Tabulatorum uſus.



Deinde ante domum exteriorem ab Oriente faciebat ueſtibulum ſeu atrium quoddam ſub diô, intrinſecùs per parietes puro obductum auro, in pauimento autem uario ſerraque deſecto marmore teſſellatum: cuius longitudo patebat uiginti cubitos, latitudo decem, altitudo centum uiginti.

Veſtibulũ ſeu Atrium Sacerdotum.

Tẽpli atria Dion intelligit, Rom. hiſt. lib. 37. in hãc ſcribens ſententiam: Iudæi Deo ſuo Templũ ſummæ molis, pulcherrimũq; extruxerunt: hoc dempto quod apertũ & nullo culmine tectum fuit.

Hoc Veſtibulum 2. Reg. 7. & 2. Par. 24. interius domus DOMINI atrium, Ierem. autem 36. atrium Sacerdotum uocatur: ubi ut & in exteriori domo Sacerdotes, Leuitæ & Cantores uerſaturi erant, omni carentes uitio, biſſena quidem amicti ueſte, maximè autẽ à coniugibus meroq; ſeſe abſtinentes, ac ſobrij religionis metu, ne quid rem diuinam faciendo peccarent.

Ara uictimaria.

In eo ponebat quadratam æream Aram uiginti cubitos longam, totidem latam, decem cubitos altam: in qua holocautomata incenderentur.

Mare fusile.

Deinde Mare fusile undiq; rotundum, incumbens duodecim bubus, duoq; millia batorũ capiens: in quod aquam, è dextro domus lateræ efferuescentem, deriuabat, ut inde Sacerdotes, Templum ingredientes, manus ac pedes abluerent, ad altare ascensuri.

Lauacra decẽ.

Formatis postea decem æneis basibus, ijsque totidem æneis lauacris quadragenos singulis batos capientibus impositis, ex illis quinque bases cum suis lauacris ad sinistrum septentrionale latus, ac totidẽ ad dextrum australe collocabat: quo eorum aqua intestina ac pedes animantium, ad holocautomata destinatorum, purgarentur.

Mensæ uictimariæ.

Eodem quoque digerebat mensas, in quibus solidę & piaculares & noxales uictimæ mactarentur.

Duæ æreæ columnæ.

Ad antas, hoc est, uestibuli introitum, erigebat duas æreas columnas, alteram à dextris nominatam Iachin, alteram à sinistris dictam Boaz. Crassę eæ fuerunt quatuor digitos, altę decem & octo cubitos, quarũ utriusq; circuitus duodecim cubitos complectebatur: harum columnarum capitibus imponebat duo capitella fusilia liliata, proceritate quinque cubitorum, quibus circundabat retiacula ærea, quę operirent lilia, factis quoque ducentorum malogranatorum ordinibus, & utriusque columnæ capitellis applicatis.

Porta uestibuli.

Portam uestibuli ad Orientem uersam ducebat in altitudinem 70. cubitos, & 25. in latitudinẽ, sine ualuis, frontibus uerò eius totis inauratis: per quam Domus DOMINI conspici, & omnia quę in atrio Sacerdotum

fierent


fierent cerni perſpicuè poſſent, Huc populus hoſtias & ſacrificia ſua adducturus erat, inde à Sacerdotibus ſuſcipienda & ad Altare perferenda. Ioſephus hanc portam ſic aptatam fuiſſe dicit, ut ſol ęquinoctialis exoriens, directis ſuorum radiorum lineis, et per ipſam, & per Cellæ atque Oracularis patentes portas, ad Arcam uſque pertingeret.

Circa ſeptentrionalem eiuſdem portæ tractum fabricabat Cœnacula, ubi Sacerdotes, interius ingreſſuri Atriũ, lineas ſacras ueſtes, in quibus ſacra adminiſtrent, induant, & ſacris peractis egreſſuri, depoſitas illuc prophanas ſuas ueſtes reſumant. *Exhedræ ante ueſtibulum.*

A meridionali uerò plaga alias erigebat manſiones, ubi Sacerdotes ſacroſancta, & ferta, & piacularia & noxalia, in extrema earundem manſionũ parte ad Occidentem decocta, pollucerent.

Murum ueſtibuli conſtruebat ex tribus lapidũ marmoreorum ſerraque deſectorum ordinibus, & uno Cedrinarum trabium, ſcilicet interiore, lapides obducente. *Murus ueſtibuli.*

Qui murus profanam multititudinem ſecludere, & ſolos Sacerdotes admittere debebat: dictus indigena uoce Giſon, & duplici in Orientali latere, quàm longum illud erat, conſtans porticu. *Giſon.*



Exterius ue-stibulum.

Tum extra iam appellatum murum aliud ſub diô pulcherrimum & ampliſsimum faciebat Veſtibulum, quod 2.Par.4.& 6. Atrium magnum, Iohan. autem 10. Actor.3.& 5.Salomonis porticus nominatur.

Hoc Veſtibulum interiecto muro ita diſcernebat, ut in alteram eius partem maſculi Iudæorũ mundi exiſtentes atq; purificati intrarent, oraturi & ſacris interfuturi: in alteram mulieres ab omni pollutione mundę.

Portæ exterioris ueſtibuli.

Eius portas ſublimes omnino & ualidas molitus eſt, quarum ſingulæ ſingulos uentos ſpectabant, æreiſque foribus claudebantur.

Murus port. Salomonis.

Muro idem atriũ cingebatur, quali & interius: tribus lapidum ordinibus, & uno cedrinarum conſtante.

Exhedræ in muro por. Sal.

In angulis huius muri certas manſiones parabat pro populo, uictimas in ijs ſumpturo, quas uictimas Templi adminiſtri in culinis, infrà eaſdẽ illas manſiones poſitis, coquerent.

Eundem

Eundem murum deinde magnis ac latis circundabat porticibus, quas columnę quinos uicenosq; cubitos altæ, è natiuo saxo, sustentabāt, & laquearia cedro expolita tegebant: Earū uerò fores ex argēto erant fabricatę. *Porticus exterioris uestibuli.*

In singulis porticuū angulis sublimes erigebat turres, ubi unus de Sacerdotibus astans post meridiē, quando septimus quisq; dies incipiebat, id tuba significaret, rursusque uesperi quando desinebat nunc ferias populo nunc ut opus faciat, denunciaret. *Turres Buccinatorum.*

Et sic totū hoc DOMINI Fanum Rex anno sui regni undecimo, id est, intrà septem annos, plus centum quinquaginta milliûm hominum opere cunctis rebus omnibusque numeris absoluit, Mense Bul, qui est octauus, partim Octobri, partim Nouembri nostro respondens. Tumq; eo, pręsente uniuersa populi congregatione, dedicato, Arcaq; ex Sione & alijs Mosaici tabernaculi sacris, necnon quæ pater ipsius dicauerat, ac uasis ad sacrificiorū ministerium necessarijs, singulis in sua loca transportatis atq; digestis, & solenni ad Deū precatione habita, admonitus est deinde secundū quietem, Dominum eius Templum seruaturum esse, & eoúsq; nomen suum ibi collocaturū, uotaq; & sacrificia, quæ in eo fierent, approbaturū, quoad ipse, cum posteris subiectoq; populo, Dauidis sui patris exēplo, ex diuino præscripto uiuerent, omniaq; Mosaicæ legis statuta & iura conseruarent: quod si illi immutati, relictis sanctis decretis, ad aliorum Deorū seruitiū cultumq; sese cōtulerint, sic & ipsos extirpandos, & Templū, quod tum recens diuino nomini cōsecratū sit, repudiandū cū omni cultu, perq; hostes diripiendū, incendendū, ac tandem in prouerbiū uulgiq; fabulā apud omnes nationes conuertendū esse. Idq; posteris tēporib. ita accidit, ut quando propositā in lege Dei uenerationē Iudęi imitatione Dauidis colerēt, *Exædificatio & dedicatio Fani.*

Templo sua & religio & dignitas illæsa cum redderetur tum permaneret, ubi uerò Salomon in sua senectute, & item subsequentes eius posteri, Ieroboamus, Athalia, Achas, Menasses, Iehoiacimus, Sedekias, &c. ad Gentilium uanitates desciuerunt, excelsa deastris ædificantes, Templum uel intestinis ipsorum Israelitarum & Iudæorum bellis, uel ab exteris Regibus prophanaretur, affligeretur & diriperetur, donec tandem à Nebucadnezaro Babyloniæ Rege dirutum & funditùs euersum est, annis ex quo extructum fuerat elapsis quadringentis septuaginta, mensibus sex, diebus decem.

Quæ adhuc de Templi structura atque dedicatione attulimus, concinnata sunt ex 2. Reg. 7. Reg. 3. capitibus 2.5.6.7.8.9. Paral. lib. 2. cap. 1.2.3.5.6 7. Ezech. 40.41.42.43. capit. Ex Iosephi Antiq. 8. lib. cap. 2. lib. 15. cap. 14. De Bello lib. 6. cap. 6. Contra Appionem lib. 2. Et similiter ex Aristeæ historia de LXXII. Interpretibus. Quod uerò ad reliquam Templi historiam attinet, ea 3. & 4. libris Regum passim, 2. Paral. libro toto, In scriptis Propheticis, & in Iosephi Antiq. 8.9.10. libris perscripta est.

CAP. III.

QVOMODO TEMPLVM ILLVD SALOMONIS CHRIstum adumbrârit.


DEINCEPS ad eruenda quædam mysteria, & ad spiritualem Templi explicationē demonstrandam, diuina bene fortunante gratia, pro more nostro orationem traducamus: Nam ut Hieronymus optimè scribit, Moses in Tabernaculo & Salomon in ędificio (exteriore) non ueritatem Tentorij

torij & Tabernaculi (ipsius Dei) sed similitudinem figuramque fecerunt, ut per hoc, quæ minora sunt & terrena, ea quæ in cœlestibus & in spirituali ædificio sunt, intelligere poßimus.

Mystica Templi explicatio.

Externũ ergo & terrestre Salomonis templum primò & præcipuè humanam CHRISTI IESV naturã, ab æterno Verbo ex Dauidis, Salomonis parentis, semine, hoc est, ex benedicta uirgine Maria assumptam, pręfigurabat: Id quod ex D. Ioanne planum fieri potest, qui dictũ illud CHRISTI in umbratili Templo ad Iudæos habitum: Dissoluite templum hoc, & ego in tribus diebus id excitabo, his uerbis exponit: (Hoc) ille de sui corporis templo dicebat. Et similiter ex Lactantio, qui idẽ dictum citans ita scribit: Hoc uerbo CHRISTVS significauit breui futuram suam paßionem, & se à Iudæis interfectum tertio die resurrecturum: ipse enim erat uerum Dei templũ. Augustinus quoq; prophetiam illam Malach. 3. Dominator quem uos requiritis, ad templũ suum ueniet, de CHRISTI in carnem suam aduentu, id est, de æterni Verbi in assumpta sua carne, in qua ut templo habitaret, futura præsentia interpretatur, lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 35. Et Explicatione 75. Psalmi sic ait: Templum illud Ierusalem magni Sacramenti est res, & intelligitur ex eo corpus DOMINI. Consentit Eucherius in 3. Reg. Claret, inquiens, quia templum hoc quod Salomon fecit, corpus pacifici Regis CHRISTI non solum illud quod est Ecclesia eius tota, uerũetiam ipsum quod sacrosanctum de uirgine, ut esset caput Ecclesiæ, suscepit, figuratè insinuat.

Iohan. 2.

Aug. Assumpta humanitas Templum, Tabernaculum & domus dicitur diuinitatis.

Cyrill. in Iohan. Domus & Templũ dei est sanctissimũ Christi corpus, in quo propter nos habitare uoluit.

Constructio tẽpli ex lapidib. & lignis de Libano mõte succisis.

Quòd Templum in edito Moriæ monte ex lapidibus & lignis de Libani colle succisis atq; auectis constructum fuisse dicitur, id rudioribus ad eorum doctrinam idem repræsentare poterat, quod lapide sine manib. de

monte exciſo, Daniel. 2. & item tenero illo ramo, quem DOMINVS Ezech. 17. ſeſe de proceræ cedri ſummitate decerptum in eminenti plantaturũ eſſe monte promittit, repræſentatum eſt: Diuinum ſcilicet corporis CHRISTI Templum ab ipſo Dei Patris ſpiritu (qui uerus Libanus, id eſt, thureus eſt mons, unde uiui lapides ſpiritualiaq́ue cœleſti manantia thure ligna ſuccinduntur) concipi, & ex Maria uirgine (cuius nomen ſi interpręteris, ad Moriæ montis notationem proximè accedit, maris ſignificans myrrham) naſci, huncq́ue in mundum produci debere. De quo myſterio Auguſtinus contra Iudæos & Tract. 9. in Ioannem ſic loquitur: CHRISTVS eſt lapis ille abſciſſus de monte ſine manibus cõcidentium, id eſt, ſine opere humano: quia ſine amplexu maritali conceptus eſt. Et Hieronymus atque Dionyſius in adductum modò ex Ezechiele locum: Deus Pater, inquiunt, ſumet de cedri ſublimis medulla, id eſt, de ſemine nobiliore regiæ tribus Iuda, atq; inde educet CHRISTVM, qui ſecundum carnem natus eſt de ſemine Dauid, eumq́ue plantabit ſuper montem excelſum, id eſt, Eccleſiam, cui illum præficiet. Item Cyprianus in illa ex Symbolo uerba: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex Maria uirgine: Hunc quem dudum de Patre natum ineffabiliter didiciſti, nunc à Spiritu ſancto Templum fabricatum (ſeu compoſitum) intrà ſecreta uteri uirginalis intellige. Huc iam & aliorum Patrum interpretationes, quibus ſcripturæ loca de conceptione & natiuitate CHRISTI nominatim teſtantia explicantur, pertinent: Ambroſ. lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 5. hoc modo diſſerit: Spiritum ſanctum dominicæ cognoſcimus incarnationis autorẽ. Quis enim dubitet? cum in primo Euangelio habeas, quia CHRISTI generatio ſic erat: Cum deſponſata eſſet Maria Ioſeph, antequam conuenirent inuenta eſt in utero habens ex Spiritu ſan-

Iuſtin. Lapis ſine manib abſciſſus Chriſtus eſt, de uirgine ſine uirili opera (per ſancti Spiritus potentiam) natus.

Hiero. ad Euſtochiũ: Chriſtus in Daniele prædicatur lapis abſciſſus de mõte ſine manibus, ſignificante Propheta uirginem naſciturũ eſſe de uirgine: manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum, ut ibi: Siniſtra eius ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.

tu ſancto: Nam licet plerique habeant de ſpiritu, Græcus tamen, unde tranſtulerunt Latini, ἐκ πνεύματος ἁγίου dixit, hoc eſt, ex Spiritu ſancto. Quomodo autem in utero habuit Maria ex Spiritu ſancto? quod ex eius operatione & poteſtate uirgo concepit. Baſilius Homil. de Natiuitate Domini in illud ad Mariam Angeli dictum: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & Altiſsimi uirtus tibi inumbrabit, ideoque & Sanctum quod naſcetur, uocabitur Filius Dei. Deus eſt in carne, inquit, quoniã maledictam hanc carnem oportebat ſanctificari, debilem potentem reddi, abalienatam à Deo ipſi aſsimilari, elapſam ex Paradiſo in cœlos reduci: Et quæ huius diſpenſationis officina eſt? Virginis corpus. Quæ autem generationis principia? Spiritus ſanctus & uirtus Altiſsimi obumbrans. Hilar. 3. de Trinit. in illud CHRISTI: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius ille hominis, qui eſt in cœlo, Iohan. 3. Hoc dicto, ait, DOMINVS ipſe maximum illud ac pulcherrimum ſuſcepti ſui hominis Sacramentum oſtendit: Nam quod de cœlo deſcendit conceptæ de Spiritu originis cauſa eſt, Non enim corpori Maria originem (ſeu conceptionis primum initium) dedit, licet ad incremẽtum partumque corporis omne quod ſexus ſui naturale eſt contulerit. Quòd uerò hominis Filius eſt, ſuſceptæ ex uirgine carnis eſt partus. Quòd aũt in cœlis eſt, naturæ ſemper manentis poteſtas eſt. Idem rurſus: Abſolutè Apoſtolus memorandæ corporeæ natiuitatis Sacramentũ locutus eſt, 1. Corin. 15. dicens: Secundus homo de cœlo, Hominẽ enim dicens, natiuitatẽ ex uirgine docuit, quæ officio uſa materno ſexus ſui naturã in cõceptu & partu hominis executa eſt. Et quum ait, ſecundum hominem de cœlo, originẽ eius (id eſt, conceptionem) ex ſuperuenientis in uirginẽ ſancti Spiritus aditu teſtatus eſt, atq; item quum & homo eſt & de cœlis eſt, hominis huius

Hilar. Initia naſcẽdi ſpiritus ſanctus deſuper ueniens & inumbrans uirtus Altiſsimi moliuntur.

Patres conceptionẽ Chriſti ſæpè originem uocant.

Hier. in 30. Iere. Dominus noſter eſt iuxta carnem ex Dauid, totum in eo ſancta Maria cõferẽte quicquid fuit ex ſtirpe Dauid, & habente originẽ atque conceptũ ex Spiritu ſancto.

Hier. & Ambr. in hunc ipſum Pauli locum: Chriſtus cœleſtis à Paulo dicitur, quia non humanæ fragilitatis ritu, ſed diuinæ maieſtatis nutu & conceptus eſt & enixus: nã uſq; adeo naturã noſtram habuit, ut ſecundus Adam dicatur & homo.

& partus à uirgine est, & conceptus ex Spiritu sancto. Hæc ille.

Marmorei candidi lapides.

Marmorei candidi lapides ad Templi fabricam adhibiti, denotabant immaculatum & sine omni peccato CHRISTI corpus futurum esse, sicut Esaiæ 51. 1. Pet. 2. & 1. Ioan. 3. de eo scribitur: Iniquitatem nõ fecit, nec extitit in eius ore dolus. Et Heb. 4. ait Apostolus, eum tentatum per omnia sine peccato. Ipsemet etiam CHRISTVS in Templo ad Iudæos dixit: Quis ex uobis arguet me de peccato? Ioan. 8. Augustinus uerò, In naturæ humanæ susceptione, inquit, gratia quodammodo illi homini naturalis facta est, quę nullum peccatum posset admittere. Cur uerò CHRISTVS peccato obnoxius fieri non potuerit, idem alibi hanc affert rationem: Sola CHRISTI caro non est caro peccati, quia non eum mater concupiscentia sed gratia concepit: habet tamen similitudinem carnis peccati per passibilitatem & mortalitatem, quia esurijt, sitijt, Licet ergo eadem caro sit, quæ nostra, non tamen facta est in utero sicut nostra.

Rom. 5. Gratia unius hominis Iesu Christi.

August. de Trin. lib. 13. Conceptũ uirginis spiritus, nõ caro: fides, nõ libido, præuenit: Credendo, non concũbendo, fœcundata est uirginitas.

In extruendo Templo neque mallei neque secures unquã auditæ: id docebat CHRISTI corpus non manufactum, hoc est, non huius creationis fore, quomodo Marci 14. corporis CHRISTI Templum ἀχειροποίητον denominatur, id est, non manufactum. Et ad Heb. 9. de eodem Apostolus inquit: Christus, futurorum ille bonorum Pontifex, accessit per maius & perfectius Tabernaculum οὐ χειροποιήτου τουτέστιν οὐ ταύτης τῆς κτίσεως, non manufactum, hoc est, non huius creationis. Vbi Theophylactus huiusmodi utitur explicatione: Dei & Verbi tabernaculum Spiritus sanctus composuit, hac igitur de causa Paulus dixit: Nequaquam Christi carnem huius esse creationis, id est, non harum creaturarum in modum creatam, sed spiritualem esse & diuinam (id est, diuino à san-

Nulla in erigẽdo templo ferramẽta audita

Aug. Quæst. 54. ueteris & noui Testa. Christus Dei filius ex æterno est, secundum Spiritum sanctitatis, iuxta carnem uerò ex femine Dauid natus est, at in utroq; non factus Deo filius habeatur, sed natus.

Basil. Hom. de Nat. Dom. Angelus Matt. 1. non dixit: τὸ κτισθὲν quod creatũ est. sed τὸ γεννηθὲν, id quod genitum est.

à sancto Spiritu modo in uirgine conceptam) Eorum nanque quæ condita sunt nihil habet in se Deus Verbũ subsistens, sed caro hæc substantialiter est CHRISTO (Dei Verbo) unita, secundum itaque materiam ipsam DOMINI corpus nostram & conditionem & humanitatem accepit, nobisque & consubstantialis fuit hæc caro, ut ex sanguine purissimæ uirginis compacta: pro modo tamen eius essentiæ supra nos est, & humanam excedit naturam. Primasius uerò in eundem locum sic commentatur: Corpus CHRISTI non est huius creationis: quia intrà uterũ uirginis, sine semine uiri, totius Trinitatis opere, effigiatum est. Quòd inquã in extruendo Templo nec mallei nec secures auditæ, eo quoque ostendebatur, CHRISTVM in priori humili illo suo aduentu non litigaturum, neque clamaturũ, nec quenquam eius uocem in plateis auditurũ esse, ceu Esa. 42. & Matth. 12. de eo scriptum extat.

Basil. Creaturæ natura et creatrix deitas in unum & idem non conueniunt.

Maxentius in capitulis cõtra Nestoriũ: Si quis nõ cõfitetur substantialem siue naturalem unitatẽ Verbi & carnis, &c. anathema sit.

Leo ad Iulian. Episco. Coensem, Verus homo uero unitus est deo, nec secundũ existentem prius animam deductus è cœlo, nec secundũ carnem creatus est ex nihilo.

Ligna illa cedrina, oleagina & abiegna, quæ aduersus omnem putredinem & tineas firma, fideliaque esse dicuntur, & parietibus, solo, lacunaribus, tecto, ianuis ac fenestris adhibebantur, significârunt corporis Christi templum dissoluendum quidem per mortem, & sepeliendum: at corruptionem id, quia haud manufactũ, passurum non esse, sed inuiolatum resurrecturũ rursus in uitam æternam: De quo Dauid Psal. 15. citante ipsum in Actis 2. cap. D. Petro, loquutus est: Deum CHRISTI nec animam derelicturum in inferno, nec cõmissurum esse ut caro eius uideat corruptionem. Et Actor. 13. ait Paulus: Dauid quidem postquam generationi suæ inseruiuisset, Dei consilio obdormiuit, & appositus est ad Patres suos, uiditque corruptionem: sed quem Deus suscitauit, is corruptionem non uidit.

Cedrina, oleagina & abiegna ligna.

Atha. De incarnatione Verbi, Corpus Christi mortale quidem erat, & uerè mortuũ est, sed ex inhabitatione Verbi Dei corruptionis euasit iniurias, contigitquẽ utrũque in eodẽ mirabiliter fieri, ut scilicet omniũ mors in Domini corpore acciperet finẽ, morsquẽ & corruptio per Verbi præsentiã effugaretur.

Aug. in illud, Neque dabis sanctũ tuũ uidere corruptionem: Id est, sanctificatũ meũ corpus, per quod & alij sanctificãdi sunt, corrũpi non patieris.

Parietum cæterarumque in Templo inauratus re-

Inauratus in tẽplo splendor.

rum ſplendor diuinam CHRISTI gloriam atque claritatem adumbrabat, de qua quidem claritate Iohan.7.17. Epheſ.1. Phil.2. Hebr.1.2. & alijs plurimis in locis manifeſta habentur teſtimonia: Eius quoq; illuſtre in ſancto monte nonnullis de Apoſtolis exemplar propoſitũ eſt, cum CHRISTI faciem ſicut ſolem ſplendere & ueſtimenta tam candida reddi quàm eſt lux, uiderẽt, Matthęi 17. Mar.9. Luc.9. 2. Pet.1. Deinceps Ioannes eiuſdem oculos ut ignis flammam conſpexit, quodque in capite auream haberet coronam, & ad mammillas zona aurea præcinctus eſſet, Apocal. 1.2.14.19. Spiritualis etiam Sponſa, Cant.5. de cœleſti ſuo Sponſo, qui CHRISTVS eſt, dicit: Eius caput obrizum eſſe aurum, & manus uelut aureos annulos. Hanc uerò gloriam ſeu claritatem Orthodoxi Eccleſiæ Patres, ex ſacris definientes Literis, non externum aduentitium aliquem ſplendorem, quali mundani in hoc ſeculo Reges decorentur, nec æterni propriè Verbi, gloriam ſuam quam ab omni apud Patrem æternitate habuit, etiã tunc cum ſeipſum exinaniret ſartam tectam conſeruantis, illuſtrationem, neq; uocalem tantum per Apoſtolicos in omnibus terræ finibus uiros habitam prædicationem, eſſe teſtantur: ſed potius aſſumpti de Abrahami ſemine hominis apud Deum & in ipſo Deo clarificationem, ut ex Iohan.13. & 17. capitibus colligere liceat, ſed eiuſdem in Dei gloriam exaltationem, uelut ea quæ ad Philip.2. & 1. ad Timoth. 3. cap. ſcripta ſunt, inſinuent: ſed nominis ſupra omne nomen exiſtentis, in quo nomine omne genu flectatur, eidem factam donationẽ, ſicut ex citato iam 2. ad Philip, cap. cogi poſsit: ſed, ut breui dicam, quòd Deus eum ipſum IESVM, quem Iudæi crucifixerũt, DOMINVM ac CHRISTVM effecerit, quemadmodum ſecundo in Actis capite Diuus Petrus loquatur. Quam adfero ſanctorum Patrum eſſe interpretationem ex ſubiectis eorun-

Cyril. de recta fide: Dominus noſter Ieſus Chriſtus nulla externa & aduentitia gloria opus habet.

Ioan. 17.

Phil. 2.

Quomodo ueteres Patres gloriã Chriſti definierint.

Hunc in Actis locum Ambr. lib. 1. de Fide cap. 7. ita legit: Et Deum eum & Chriſtũ fecit Deus hunc Ieſum quẽ uos crucifixiſtis.

eorundem uerbis constabit: Sic enim Cyrillus in illud CHRISTI apud Ioannem, Clarifica tu me Pater apud temetipsum, ea gloria quam apud te habui priusquàm hic mundus esset, &c. commentatur: Homo in CHRISTO propter naturæ humilitatem exaltationis naturaliter indiget, gloriam igitur suam quam semper habet ut Deus, quoad homo est petijt, nec quasi propriæ gloriæ unquam expers fuerit hæc ab eo dicuntur: nunquam enim Dei Verbum ac Deus uerus sua caruit dignitate, sed quia in gloriã, quę ipsi semper adest, ut Deo, proprium carnis suæ templum reducere uolebat, imò uerò ipse cum propria carne, propter quam ei nonnihil dedecoris in hac uita accidisse uidebatur, in cœlos & in gloriam suam redijt. Et Hylarius de Trin. 3. in idem dictum: Filius caro factus orabat, ut hoc Patri caro inciperet esse, quod Verbum, ut id quod de tempore erat, gloriam eius, quæ sine tempore est, claritatis acciperet. Idem libro 9. Gloria omnis non Verbo sed Carni acquirebatur, id est, non natiuitati Dei, sed nati hominis dispensationi. Ac rursus: Filius nunc non tantummodo in gloria Dei est, sed in gloria Dei Patris est, neque glorificauit eũ gloria exteriore, sed glorificauit gloria in sese, in eam eum, quæ sua est, gloriam resumendo. Similiter Origenes in illud, Nunc glorificatus est Filius hominis, Iohan. 13. scribit: Verbum quod erat in principio apud Deum, id est, Deus Verbũ non recipiebat, ut ita dicam, exaltationem & excelsitatem, sed homo & filius hominis: Filij autem hominis exaltatio & elatio, quæ ei contigit, illa fuit, ut non amplius ipse aliud aut diuersum esset à Verbo, sed idem cum ipso: (in una persona) Nam si qui adhæret DOMINO unus est Spiritus, ut de hoc & de Spiritu non amplius dicatur, quòd duo (in immensum diuersi) sint, quanto magis humanam IESV naturam unum cum Verbo factam esse dicemus? Item Hie-

Ioan. 17.

Aug. contra Felicianũ: Maiestate deitatis glorificatam nouimus carnem.

Hier. in 14. Iobi: Totus homo in Deũ transiuit, salua tamẽ utriusq; substantiæ proprietate in unitate personæ.

Idem in Psal. 143. Corpori quod Christus assumpsit, unitas paternæ glorię erat donanda.

Idẽ lib. 8. de Tri. Qui in gloria dei est, non potest aliud esse quã Deus est; & dum in gloria Dei Deus est, alterius Dei atq; à Deo diuersi non habet prędicationem, quia per id quod in gloria Dei est, ex eo in cuius gloria est, habet in se naturale quod Deus est.

Primas. in 1. Heb. Vnum est iam cũ Deo in gloria homo assumptus à Verbo, & quadragesimo die exaltatus ad cœlestia

ronymus & Primaſius in illud Phil. 2. Vt in IESV nomine omne ſe genu flectat, &c. Id eſt, inquiunt, ut omnes ſimul hominē aſſumptũ cum Verbo adorent, & omnis lingua cõfiteatur, quòd DOMINVS IESVS CHRISTVS in gloria eſt Dei Patris, hoc eſt, in natura & gloria deitatis, dum eiuſdē eſt gloriæ cuius Pater. Athanaſius lib. de Nat. hum. ſuſcepta contra Apoll. & eo quē Theophilo inſcripſit, ita ait: Quum Paulus dicit, Ideò ſuperexaltauit eum Deus, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: de Templo loquitur, quod eſt corpus eius: Non enim qui altiſsimus eſt, ſed caro eius exaltatur, carnique ſuæ altiſsimi nomen donauit, quod eſt ſuper omne nomen: neq; Verbum Dei donatitia ratione hoc nomen accepit, ut Deus uocaretur, ſed caro eius cum ipſo ſimul Deus appellata eſt: non enim (Ioannes) dixit: Verbum Deus factum eſt, ſed Deus erat Verbum: ſemper enim (inquit) Deus Verbum, & ille ipſe Deus factus eſt caro ad hoc, ut caro, per eum qui illam dignatus eſt aſſumere, diuinã proficeret uel ſuccreſceret in gloriam, ac (id omne quod eſt) Deus Verbum efficeretur, quemadmodũ Thomas palpator ipſius carnis proclamauit: O qui es DOMINVS meus & Deus meus, utrũq; ſimul Deũ appellans. Adhuc ueteres Patres hominis CHRISTI claritatem, aureo in Templo ſplendore adumbratam, definientes audiuimus, de qua quidem cum ſancti illi uiri ita loquuntur, ut & hoc coronidis uice propter calumniatores addam, nec naturas CHRISTI inter ſeſe confundere, nec humanam è medio, quaſi abſorptã, remouere in animum inducunt, ſed potius maximam & infandam eius gloriam quoquomodo deliniare conantur, teſte ipſo Hieronymo, de Fide Incar. ita ſcribente: Non ſubſtantia tollitur, ſed gloriæ magnitudo monſtratur, cum CHRISTVS eleuatur in dextram Patris. Et Tuicenſis de Victoria Verbi libro 13. capite 2. inquit; Paulus

Aug. in 109. Pſal. Chriſto ſecundũ hominē mortuo, Chriſto ſecundũ carnem reſurgenti, aſcendenti donauit nomen q̊d eſt ſuper omne nomen.

Theoph. Nomē illi ob humanam naturam contulit Deus, nimirũ ut & Filius in carne dicatur Deus.

Hilar. 1. de Trin. Verbũ Deus caro factum eſt, ut per Deum carnē factum caro proficeret in Deum Verbum.

Cyrill. de Incar. Vnig. Deus Verbũ in id ſe quod non erat immiſit, ut & hominis natura id quod non erat fieret, diuinæ ſcilicet maieſtatis dignitatib. per adunationem niteſcens.

Irenæus: Deus in hominem tranſiuit, ut homo tranſiret in Deum.

Paulus(ut aiunt Orthodoxi Patres) dicendo ſe non per hominem, ſed per IESVM CHRISTVM Apoſtolũ eſſe, non demit hominis naturam, ſed cõfitetur ſuperabundantem humanæ naturæ diuinam gloriam: Nam ex quo reſurrexit IESVS CHRISTVS, uerè quidem eſt ut erat homo natura, ſed Deus eſt gloria. Leo quoq; contra Eutychen aſſerit: Sicut Deus non mutatur miſeratione (ſeu incarnationis exinanitione) ita homo non conſumitur dignitate. Et Gerſon: Gratia & gloria naturam non tollit, ſed extollit & perficit.

Quòd parietum tabulæ uarijs florum, palmarum, Cheruborum atque cucurbitarum ſculpturis exornatę erant, eo hoc ipſum delineabatur, quod per lapidẽ Zachar.3. deſcriptum, in quo uno ſeptem oculi futuri, cuiusq́ue ſculpturam ipſe DOMINVS ſculpturus ſit: hoc eſt, uerum illum in Sione poſitum lapidem, Eſa.28.1.Petri 2. CHRISTVM IESVM (qui propter noſtra ſcelera à Deo percuſſus, Eſa.53. & ad crucis aram clauis ac lancea perfoſſus eſt, Ioan.19. hacq́; ratione in carne ſua medium parietem diſſoluit, Epheſ.2.) multiplicibus ſancti Spiritus fructibus omnigenisq́ue eiuſdem ſpiritualibus donis atq; beneficijs, cum in ſua conceptione tum præſertim glorificatione, intus & foris ſupra omnes alios cumulandum, perungendum & decorandum eſſe, De quo Eſa.11. huiuſmodi extat prophetia: Egredietur uirga ex ſtirpe Ieſſæi, & ab eius radicibus germinabit ſurculus, in quo requieſcet Spiritus DOMINI, Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & timoris DOMINI. Et Baptiſta Ioan.3. de CHRISTO in carne iam præſente ait: Deum ei Spiritum non ad menſuram dare. De eodem uerò in Dei Patris gloriam exaltato, Apoſtolus 1. ad Heb. cap. ex 44. Pſalmo diſſerit, ipſum lætitiæ oleo ultrà ſuos conſortes

Sculpturæ parietum.

Hiero. in Ezech. Chriſtus eſt lapis de quo Zacharias ſcribit, φ ſeptẽ habeat oculos, id eſt, ſeptẽ gratias Spiritus ſancti. Idem in Zachar. Huius dicti, Ego cœlabo ſculpturã eius, hic eſt ſenſus: Iſtum lapidẽ clauis crucis & lancea militis faciam uulnerari.

Chaldeus interpres hunc locum ſic legit: Egredietur Rex de filijs Iſai, & Meſsias de filijs filiorum eius principatũ geret.

Ambro. de Spir. ſancto: Oleũ lætitiæ Spiritus ſanctus eſt.

Beda: Christus qui in humanitate Agnus, ipse in deitate Dextera Dei est.

perunctũ esse. Item Ioannes Apoc. 5. Vidi, inquit, astantem Agnum mactatum, habentem septem cornua, septemq; oculos, qui sunt septem Dei spiritus in omnem dimissi terram. Demũ Eusebius Emissenus, modò adductis subscribens testimonijs, Concione ad feriam 5. post passionis Dominicam habitam ita fatur: Maiorem reuerentiam CHRISTI humanitati ferunt Gentiles, quàm eius diuinitati Iudæi aliquando exhibuissent: Ipsi eum neque esse Deum neque sancti Spiritus gratia unctum credunt, nos autem etiam secundum humanitatem omni uirtute & gratia plenum esse confitemur, dicentes cum Psalmista: Dilexisti iustitiã, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Amb. Caro Domini diuino repleta Spiritu, peccata nostræ humanæ conditionis exurit.

Mensuræ Templi.

Mensuræ latitudinis, lõgitudinis & altitudinis quid denotent, Apostolus Ephesijs certissima explicat interpretatione, optans ut unà cum sanctis omnibus assequi ualeant, quæ sit latitudo, longitudo, profunditasque & sublimitas caritatis CHRISTI, qua uidelicet caritate is motus est nostra causa de summo in hanc terram cœlo, atq; adeò in infimas terræ partes descendere, & rursus unde descendit longè supra omnes cœlos, ut omnia in omnibus (suis fidelibus) impleret, ascẽdere, Cap. 3. & 4.

Sanctius Sanctuarium.

Eucherius: Oraculũ uocatur cũ diuina hominib. adloquutio, uel secretorum quorumcumq; reuelatio cõceditur.

Sanctius Sanctuariũ, Debir, id est, Oraculare, seu ut Hieronymus interpretatur, loquutorium nuncupatũ, quòd ibi Deus loqui, & oracula atq; responsa reddere soleret, typum quoq; DOMINI nostri IESV CHRISTI gerebat, qui Daniel. 9. sanctorũ sanctissimus uocatur, in eoq; Dabar, id est, æternũ Verbum, per quod Deus oracula profert, corporaliter habitare uoluit, Ioan. 1. Col. 2. ut & ad Heb. 1. de eo dicitur: Deum extremis temporib. nobis loquutum esse in Filio. At quòd Pontifex singulis annis semel Oraculare subibat, offerens illic sanguinem & pro seipso & pro populi ignorantijs, ea ratione ipsum

Ora-

Oraculare ſummi cœli exemplar, Apoſtolo interprete, fuit, quo CHRISTVS IESVS facta ſemel pro noſtris peccatis in ſeculi cõſummatione per propriũ ſanguinẽ oblatione, & ita æterna redẽptione reperta, aſcenſurus erat, ut ibi deinceps in Dei conſpectu tanquã uerus ille noui Teſtamẽti Pontifex atq; ſequeſter pro nobis appareret, Hebr.9.10. Quid eo ſignificetur, quòd præter ſolũ Pontificẽ nemo homo in Oraculare ingrediebatur, ipſe CHRISTVS, Ioan.3. aperit: Nemo aſcendit in cœlũ, inquiens, niſi qui ex cœlo deſcẽdit, Filius ille hominis qui eſt in cœlo. Vbi Auguſtinus: *Si nemo niſi ille deſcendit & aſcendit, quæ ſpes eſt cæteris?* Ea ſpes eſt cæteris, reſpondet, quia ille propterea deſcendit & aſcendit, ut in illo & cum illo unũ eſſent, qui per illũ àſcenſuri eſſent.

Egeſip. lib. 5. In interius Tabernaculum ſemel tantummodo princeps Sacerdotũ intrabat, non ſine ſanguine quẽ offerret pro ſe & pro populi delicto, Hoc ſignificante Spiritu ſancto, uenturum Ieſum, qui uere ſolus intraret interiora diuinorũ penetralia ſacramẽtorum, & arcana ſubſtantiæ cœleſtis, qui noſſet omnia. Solus quoque Patri ſanguine ſuo totũ mundum reconciliaret, ut & cœleſtiũ & terreſtrium miſereretur. Deniq; poſteaquã uenit purificauit omnia per ſanguinẽ crucis ſuę, quę uel in cœlo uel in terra ſunt.

Arca fœderis.

Arcæ fœderis in Oraculari conſtitutæ myſterium Eucherius in 3. Reg. his deſcribit uerbis: Interior domus ſecreta patriæ cœleſtis, Arca fœderis Dominũ Saluatorem, in quo ſolo fœdus pacis apud Patrẽ habemus, deſignabat, qui poſt reſurrectionem ſuam aſcendens in cœlum, carnem quã aſſumpſit ex uirgine in Patris dextrã locauit. Et Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 27. Per Arcam Chriſtus nobis oſtenditur, conſtituta enim fuit ex lignis quæ putredinẽ nõ patiuntur, ut incorruptibile corpus Chriſti eſſe perdiſcas. Auro etiã puro intùs & foris fuit inaurata, quia precioſa regaliaq; omnia in ipſo ſunt, non ſolùm quæ deitati, uerumetiã quæ humanitati eius attribuuntur: In omnibus enim primus eſt, ait Paulus Col. 1. & aurũ honoris atq; præſtantiæ loco ſuper omnes accipitur. Hoc modo conſtituta inaurataq; Arca diuinã legem, in ea repoſitam, continebat, quæ quoniam Verbũ Dei eſt, non ſubſiſtens illud ſeu eſſentiale, ſed mandatũ Dei uerbum, ſubſiſtenti carni cõiunctum, ſignificabat.

Idem Eucherius: Sancta Sanctorũ internam ſupernæ patriæ felicitatem deſignant. Illata autem in ſancta ſanctorũ Arca, aſſumptã Chriſti humanitatem intra uelum regię cœleſtis inductã denunciat.

Duo Cherubi.

Duo Cherubi in ſanctiore Sanctuario eadem menſura & modo, ex oleaginis facti lignis, auroq; inducti, ac

binis utriq; prędìti alis, quarum alteris parietes hinc atque hinc attingebant, alteris ſeſe mutuò contingentes, ipſam Arcam infrà poſitam ſupernè protegebant, ſuas autem facies ad exteriorem conuertebant domũ: duas in unica CHRISTI perſona Naturas deſignare poterant, Quas quidem Naturas Eccleſiaſtici Scriptores, diuinarum Literarum non obſcuris moti teſtimonijs, eo iam, in cœleſti ſanctuario, tenore coniunctas eſſe profitentur, ut uniuſmodi ſimul maieſtate coruſcent, lętitieque oleũ pariter redoleant, & æquali, tum cuncta, quæ uel in cœlo uel in terra ſunt, poteſtate moderẽtur, tum triumphantis Eccleſiæ Arcam, ſub ipſis, tanquam Ara, cuius Apoc. 6. mentio fit, in æterna felicitate quieſcentẽ protegant, ad peregrinantẽ uerò etiamnũ in hac fletus ualle, domumq; quæ è cœlo eſt ſuperinduere cupientẽ puſillum ſuum gregem miſericordię oculos nunquam non intentos habeant. Sed ne quid ſanctis Patribus falſò affingere uideamur, nõnullas ipſorum ſententias, adductam modò naturarum CHRISTI maieſtatem atq; potentiam nominatim aſſerentes, in medio ponemus. Gregorius Nazianzenus Oratione in ſanctum Paſcha ſic ait: CHRISTVS perfectus eſt non ob diuinitatem tantum, qua nihil eſt abſolutius, ſed etiã propter aſſumptam carnem, quæ deitate peruncta, & idem (ſine permixtione tamen) quod unctio facta eſt, quin intrepidè dico ὁμόθεος Deo (ſiue diuinitati) coęqualis. Caſsianus lib. de Incarnat. 2. Ideò non nouimus CHRISTVM ſecundum carnem (ex Pauli doctrina, quæ 2. Corin. 5. perſcripta eſt) quia abſorpta per diuinam (Verbi) maieſtatem corporea infirmitate (non ipſa corporis ſubſtantia) nihil ſacro reſedit corpori, ex quo imbecillitas in eo carnis poſsit agnoſci, ac per hoc quicquid fuerat prius ſubſtantiæ duplicis (& inæqualis) factũ eſt uirtutis unius, cum utique non ſit dubium, CHRISTVM, qui crucifixus eſt ex

Vide ea quæ ſcripta ſunt Matt. 28. Ioan. 5. 17. Act. 2. 4. 13. Epheſ. 1. 5. Col. 1. Phil. 2. Heb. 1. 5. Apo. 1. 5. 7. 12. 17. 19. 21. 22.

Eucher. Conſtat quia domus templi exterior, peregrinantẽ in terris Eccleſiam, ſancta autem ſanctorum Internã ſupernæ patrię felicitatem deſignant.

Greg. in Moral. lib. 28. ca. 5. Chriſtus incõſumptã humanitatis noſtræ ſubſtantiam etiam in ipſa diuinitatis flãma ſeruat.

est ex infirmitate nostra, totum uiuere ex maiestate sua diuina. Epiphanius in Ancorato: CHRISTVS à resurrectione terrenum suum corpus unà cum Deitate potens efficiens in unam illud uirtutẽ uniuit. Cyprianus de Baptismo CHRISTI: Conueniunt simul sempiterna diuinitas & temporalis humanitas, & eo tenore utriusque naturæ facta est unitas, ut impossibile sit quod unitum est separari, sed Verbum & caro sic sunt una essentia (seu persona) ut perfectam & integrã sincera coniunctio faciat unitatem. Cyrillus in 6. cap. Ioan. Mirè statim incipiens Euangelista clamauit, & Verbum caro factum est: Non enim in carnem ipsum uenisse, sed ut mirabilem unionem ostenderet, carnem factum esse dicere non dubitauit: Nec tamen quoniam ita dictũ est, aut Verbum Dei in naturam carnis mutatũ, aut hominem in naturam Verbi (per abolitionem) transformatũ esse credimus: Manet enim inuiolata utraq; natura, & unus ex utrisque Christus est. Sed ineffabiliter & ultra quàm possit mens humana intelligere, Verbũ humanitati cõiunctũ, totam in seipsum ita reduxit, ut indigentia uitæ (id est, nos qui æterna uita indigemus) possit uiuificare. Quare qui carnem Christi manducat, habet uitã æternam. Euseb. Emissenus: Qui secundũ diuinitatẽ semper simul cũ Patre & Spiritu sancto omniũ rerũ potestatẽ habuit, nunc etiã secundũ humanitatẽ omniũ rerũ potestatẽ accepit, ut homo ille, qui nuper passus est, cœlo et terrę dominetur, neq; iam solũmodo Iudęorũ, uerum etiam omniũ Gentium & Deus & Dominus esse credatur. Haimo in 1. Cor. 3. Eadẽ gloria & potestas quæ erat in Verbo, cœpit habitare in homine, & factus est ipse homo etiã Deus: si enim Verbũ (sine alteratione) caro factum est, id est, si Deus homo factus est, utiq; & homo (absq; ulla naturarũ cõfusione) Deus factus est. Hęc illi.

Hilar. Christus Iesus totus iã Deo uiuit naturæ nostræ societate in communionẽ diuinæ immortalitatis unita.

Ioan. 1.

Idem ibidẽ: Caro Christi tota est effecta uiuifica, totam Verbi operationem suscepit, totam uiuificandi uim hausit, totum corpus Christi uiuifica Spiritus uirtute plenum est.

Hila. lib. de Trin. 9. Potior natura in inferiorẽ nata (id est, Verbũ caro factum) fidem præstat, inferiorẽ naturã nasci posse in potiorẽ (id est, hominem in id omne qđ Deus est succrescere.

Porta in Oracularis ingressu & similiter reliquę Fani

Portæ Tẽpli.

ianuæ, CHRISTVM quoque, de ſeipſo, Ego ſum oſtiũ, Nemo uenit ad Patrem niſi per me, Ioan. 10. & 14. teſtificantem, denotabant: De quo & Lactantius lib. Inſtit. 4. cap. 4. uerba facit: Non poteſt, inquiens, niſi per eum qui conſtituit Templum, ad aditum Templi & ad conſpectum Dei perueniri. Et eodem libro cap. 29. CHRISTVS Templi maxima ianua, hic lucis uia, hic dux ſalutis, hic oſtium uitæ. De oſtio quod à Domus dextro latere ad media tabulata ducebat, unde porrò ad ſuprema aſcenſus patebat. Beda & Eucherius huiuſmodi myſticam afferunt interpretationem: Claret quia Templũ corpus pacifici Regis CHRISTI, quod ſacroſanctum de uirgine ſumpſit, figuratè inſinuat: paſſo itaq; in cruce DOMINO, unus militum lancea dextrum eius latus aperuit, & contiuuo exiuit ſanguis & aqua: ſanguis uidelicet redemptionis & aqua noſtræ ablutionis, quibus emundati de præſenti in hac uita Eccleſiæ obuerſatione, ceu medio tabulato, ad Spiritus requiem, tanquam ad ſuperiorem Domum, tendemus. Hæc illi in 3. Reg.

Aug. in Apocal. Quid per cœli oſtium deſignatur niſi mediator dei & hominũ, Chriſtus Ieſus?

Velum.

Siparij ſeu ueli, Oracularis portæ prætenſi, myſterium Apoſtolus 9. ad Hebr. cap. his uerbis aperit: Cum in Sacrarium ingrediendi libertatem habeamus in IESV ſanguine (ea uia) quam uiam (is) nobis dedicauit recentem atque uiuam, per Velum, hoc eſt, per ſuam carnem, &c. accedamus, &c. Huc & illud Eucherij pertinet: Veli ſedula reuelatio ſedulam apertionẽ regni cœleſtis ſignificat, quæ nobis per incarnationem Saluatoris noſtri donata eſt, unde & baptizato eo cœli aperti ſunt, & moriente illo in cruce idem Velum ſciſſum eſt, ut apertè doceret, quia figuræ legales iam tunc ad finem ueniſſent, ac ueritas Euangelij arcanaque cœleſtia & ipſe cœli ingreſſus non adhuc prophetandus ac figuraliter ſignificandus, ſed iam iamque eſſet proximè omnibus

nibus

nibus (per Carnis CHRISTI medietatem) aperiendus.

Aug. in Psal. 109. Per medietatem carnis suæ uocat nos Christus in æternitatem.

Quòd Deus Salomoni, se nomen suum in Templo positurum, ibidemq; habitaturũ, dicebat: figurę rei figuratæ proprietatẽ attribuit (ut Patres loqui solent) imò sub lapidei Fani imagine ad uerum illud corporis Christi Templum respexit: de quo quidem Templo Esa. 45. in prophetia sic dicitur: Tantum in te est Deus. Et 2. ad Col. cap. ait Paulus: In Christo omnem diuinitatis plenitudinem corporaliter habitare. Casſianus etiam 5. de Incarnat. libro ait: Omnes Prophetæ & omnes Sancti portionẽ quandam diuini Spiritus, prout capere poterant, à Deo acceperunt, in Christo autem omnis plenitudo diuinitatis habitauit atq; habitat corporaliter. Alioquin infinitũ illum & incomprehensibilem Deum, qui Spiritus est, spirans ubi uult, nec propriè in lapideo Salomonis Templo degere, nec parietum eius complexu coerceri uel astringi potuisse, ipse Salomon bellè exploratum habebat, cum ad Tyriorum Regem in hanc scriberet sententiam: Si Deum cœli cœlorumque cœli non capiunt, quis ego sum, qui ei Domum construam? sed ad hoc tantum hanc ædifico Domum, ut (in ea) illi suffiatur, 2. Paral. 2. Et 2. Paral. 6. 3. Reg. 8. idem exædificatum à sese dedicans Templum, in solenni ad Deum oratione ita dicit: Num uerè habitabit Deus cum hominibus in terra? ecce ipsi te cœli cœlorumq; cœli non capiunt, nédum ista Domus, quam ego ædificaui? &c. Veruntamen exaudias in ea DOMINE mi Deus deprecationem tui serui, & Israelis tui populi preces, quibus te in isto loco orabunt, ex tuæ habitationis sede, id est, è cœlo exaudias, & quum exaudieris, propitieris. Stephanus quoque Iudæos, externa Templi umbra pro re adumbrata abutentes, septimo in Actis capite palàm refutat: Salomon, inquiens, Deo domum ædificauit,

Dominus dixit se in Tẽplo habitaturum.

Augu. Epist. 57. Deus in manufacto Templo non corporaliter, sed umbraliter habitabat, id est, præfigurantib. signis, in Christi autem corpore quod is ex uirgine assumpsit, tanquam in templo suo corporaliter habitabat.

Aug. contra Adimantum asserit, quòd cum in ueteri & nouo Testamento de Dei in hac terra habitaculo per manus hominũ facto dicitur, id ad (singularem) quandam (& mysticam) significationẽ accipi debere: aliàs Deũ (reuera) nõ habitare in locis ab hominibus fabricatis, in utroque Testamento prædicari.

Ambr. Dominus cœli & terræ nõ dignatur in manu factis habitare, & intra auri argentiq; cassam materiam nequaquam uerisimile artificio hominis uim diuinitatis includi.

ſed Excelſiſsimus ille in Templis manufactis non habitat, ſicut (is ipſe in Eſaia) Propheta dicit: Cœlum mihi thronus eſt, terra autem pedum meorum ſcabellum, quam mihi (uos) domũ ædificabitis? dicit DOMINVS, aut quis locus meæ requietis eſt? nonne mea manus fecit iſta omnia? In hunc uerò ex Eſaia adductum locum Hieronymus ſic cõmentatur: DOMINVS dicit, quam mihi domum ædificabitis? &c. ut Iudaicum conuincat errorem, qui putant inuiſibilem & incorporalẽ & incomprehenſibilẽ Deum Templo Ieruſalem poſſe concludi. Eundem locũ Cyril. lib. 1. contra Iulianũ hoc modo illuſtrat: Extruebat Ieroſolymis celeberrimum illud Templum ſapientiſsimus Salomon, quo multum gloriabãtur Iudæorum populi, rati in illo circumſcriptìm habitare uniuerſorum Deum: rudes enim & ad intelligendos ſermones de Deo ſemper tardi, Dei Ciuitatem cenſebant eſſe Ieruſalem, in ipſaque & ſola ipſum habitare contendebant, eo quòd dicebatur per uocem Dauid: Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei. Parum itaque ſapientes arguit Deus, & dicit: Vbi domum ædificabitis mihi? cui cœlum thronus, & terra ſcabellum: Oportebat enim his, qui comprehendi & circumſcribi locis ipſius naturam ſuſpicabãtur, demonſtrare liquidò, quòd ſit ubique, neque aliquid ipſum capiat: tranſeat autem ipſe per omnia, plenaque ſint ipſius potentia cœlum & terra.

Chryſ. Creaturæ nõ habent incluſum Deum.

Idem Cyril. lib. 2. in Ioan. Iudæi nõ rectam de natura Dei ſententiã habentes, Ieroſolymis tãtummodo adorandum eſſe Deum contendebant, quaſi manu facto Deus Templo concluderetur.

Pſal. 86.

Vide Pauli ad Athenienſes orationẽ in Actis 17. cap. deſcriptam.

Ara ſuffitoria. Cyril. in Ioã. Per Altare incẽſi ſeu ſuffitus Chriſtus intelligitur, qui ut ſuauitatis odor ad Deũ Patrem aſcendit. Coram Arca hoc Altare fuit conſtitutũ, ut in conſpectu Dei Patris miram admodũ atq; pretioſam filij gloriã eſſe ænigmatice oſtenderet, iuxta illud, Nullus cognoſcit Filiũ niſi Pater.

Ara ſuffitoria in medio Sanctuario ex incorruptis cedrinis lignis facta, auroque inducta auream in circuitu habens coronam, CHRISTVM IESVM quoque repræſentauit, quem Apoſtolus 3. ad. Heb. cap. Aram noſtram uocat, & Actor. 13. eius carnẽ, per incorrupta cedrina ligna notatam, corruptionem non uidiſſe: Hebr. autem, 1. eum honore & gloria coronatũ eſſe, teſtatur. Odoratum ſuffimen in Ara ſuffitoria manè & ueſperi

DOMI-

DOMINO incenſum orationis CHRISTI cum aliàs tum in crucis patibulo pro nobis fuſæ ſacrum erat ſymbolum: de qua quidẽ oratione Euangeliſtæ multis in locis uerba faciunt. Et Pſal. 141. Dauid, CHRISTI perſonã ſuſtinens, Deo Patri ita ſupplicat: DOMINE te inuoco, feſtina ad me, percipe auribus uocem meam cum ad te clamo, habeatur in tuo conſpectu oratio mea pro ſuffitu, manuũ mearum extenſio (ſit) ueſpertinũ ſacrificiũ. Ad Heb. autem 5. Apoſtolus ait: CHRISTVS quum in carnis ſuæ diebus preces & ſupplicationes ad eum, qui ſe à morte ſeruare poterat, cũ ualido clamore ac lachrymis obtuliſſet, pro (ſua) reuerentia exauditus eſt.

Aug. in hunc ipſum Pſalmi uerſũ: Hoc de Chriſto capite noſtro dici omnis Chriſtianus nouit, hic enim in cruce clamauit: Deus meus, Deus meus. Sacrificiũ ueſpertinum eſt paſsio Chriſti, crux Chriſti, oblatio uictimę ſalutaris, holocauſtum acceptũ Deo.

Candelabrũ aureum idq; ſolidum in ſeptem ſcapos ſcutulis, globis & lilijs decoratos exiens, quorum ſcaporum ſingulis capitibus ſingulæ impoſitæ lucernæ ante DOMINVM lucebant, omniaq; in ipſo Sacrario colluſtrabant, eum denotauit, qui Apoc. 3. Epheſinæ Eccleſię candelabrum, & 21. eiuſdem libri cap. lucerna Ciuitatis Dei uocatur, id eſt, CHRISTVM IESVM, ſeptenis ſancti Spiritus lampadibus diuinæq; claritatis auro conſpicuum atq; fulgẽtem, Eſa. 11. Hab. 3. Huius quippe faciem Ioannes uidit ut ſolẽ ſplendere, Apo. 1. Hunc idẽ 1. Euangelij ſui cap. ueram illam lucem, quę omnẽ hominẽ in hunc mundũ uenientem colluſtret, nominat. Hunc Simeon Luc. 2. lumen ad illuſtrandas Gentes appellat. Hic in lapideo Templo conſiſtens, ita de ſeipſo teſtatus eſt: Ego ſum lux illa mundi (intima piorum in hoc mundo corda noua ſemperq; fulgenti claritate perfundens) qui me ſequitur (doctrinã meam amplectẽdo & mandata obſeruando) non in tenebris (ignorantiæ aut uitiorũ) ambulabit, ſed habebit uitæ lumẽ (in præſenti quidẽ ſeculo animã interius per fidem illuminans, in futuro aũt totum hominẽ per ſpeciem glorificans) De hoc eodem Gregor. ita ſcribit: Candelabrũ Chriſtus eſt, in quo na-

Candelabrum aureum. *Exod. 25.* *Leuit. 24.* 2. Reg. 8. *Ioſeph. Antiq. lib. 3. ca. 7. lib. 8. cap. 2.*

Greg. 29. Moral. Chriſtus eſt uia per quã lux ſpargitur.

Ioan. 8.

Cum Chriſtus in mundo uerſaret, æterna Verbi lux in aſſumpta ipſius lucebat carne, ſicut accenſum lumen in lucerna & latitantes huius mundi tenebras illuſtrabat, quas Sol, quantumuis clarus, illuſtrare non potuiſſet.

2. Cor, 5.

tura humanitatis fulſit lumine deitatis, ut mundi candelabrũ fieret, cuius lumine peccator ſuas agnoſcere ualeat tenebras. Cyrillus figurale Cãdelabrũ, unà cũ ſingulis ſuis partibus, hoc modo in Chriſtũ dirigit: Candelabrũ uniuerſum terrarũ orbẽ illuminans Chriſtus eſt (per figurale tabernaculi & tẽpli cãdelabrũ adumbratus) Ego enim (inquit is ipſe) ſum lux mundi. Septẽ uerò lucernę in candelabro ſunt, quia multis ac uarijs modis per ſancti Spiritus gratias credẽtiũ animas Chriſtus illuminat, quæ omnia ex auro fiunt puriſsimo, quia nihil precioſius auro. Solidũ uerò candelabri haſtile fit, quoniã nihil concauũ, nihil leue in Chriſto eſt. Lilia etiã fiunt propter ſanctificationis odorem: Ego (inquit Canti.1.) ſum flos prati & lilium uallis.

Cyrill. lib. 4. in Ioan.

Menſa cedrina auro puro incruſtata aureaq; corona circundata, cui ſingulis Sabbathi diebus duodecim non fermẽtati mundiſsimi panes imponebantur, quibus ſolis Sacerdotib. in ipſo ſanctuario ante DOMINI conſpectum iugiter ueſci liceret, cœleſtem illã Chriſti mẽſam, uitali corporis ipſius pane in diuino pro ſpiritualib. noui Teſtamenti Sacerdotibus regno exornatã, pręfigurabat: de qua Dauid Pſal.23. ſic fatur: Tu (Domine) in meo conſpectu menſam præparas. Item Salomon Pro.9. Sapientia inſtruxit menſam & clamauit: Venite comedite meũ panem, & uinũ quod uobis miſcui bibite. Hęc uerò inuoluta adhuc necdum cuiuis obuia, Cyril. in Ioan. his uerbis plana facit: Chriſtus menſa eſt in qua panes depoſiti ſunt, quib. omnes participatione corporis eius ad uitã æternã aluntur: Ego enim, ait, ſum panis qui de cœlo deſcendit, & uitã æternã dat mundo, Si quis mãducauerit ex hoc pane, uiuet in æternũ: & panis quẽ ego dabo, caro mea eſt, quã ego pro mũdi uita dabo. Menſę igitur propoſitio. i. panes, ſanctiſsimũ Chriſti corpus, quo ad æternã uitã oẽs aluntur, prorſus ſignificat. Et Beda ait:

Menſa cedrina.
Exod. 25.
Leuit. 24.
3. Reg. 8.
Marc. 2.
Ioſeph. Antiq. lib. 3. cap. 7.

Ex hac menſa omnes cœleſtes dapes manducãtur, imò ipſe Chriſtus ac quicquid is proprium habet inde per fidei os ſumitur.

Vulg. in illud: Omnes qui de uno pane participamus, 1. Co. 10. ubi prior illa carnis natura prauis eſt facinoribus corrupta, & uitæ cœleſtis effecta eſt expers, ſuã Deus cõtulit nobis carnem, noſtræ aſsimilẽ, quę & peccato careret & uitam largiretur, ut eius facti participes & ipſi adiungeremur, & uitã duceremus innoxiam, utpote qui unum eſſemus cũ Chriſto corpus adepti.

CHRISTVS

STVS mensa est, quia his qui esuriunt & sitiunt iustitiam, uictum quotidiè cœlestem, ne deficiant, impendit. Item Ambrosius lib.3. de Virginibus: Omnia habemus in CHRISTO, omnia est nobis CHRISTVS: si uulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia: si auxilio indiges, uirtus est: si mortem times, uita est: si cœlum desideras, uia est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est. Gustate igitur & uidete quoniam suauis est Dominus, beatus uir qui sperat in eo. *Psal. 33.*

Tabulata, Exhedræ, reliquæq; in Fano mansiones, ad uarios Sacerdotum purorumq; Israelitarum sacros usus præparatæ, cœlestes in æterno Dei regno mansiones, pro ijs qui nouo Testamento sunt initiati, proq; spiritualibus Israelitis, à CHRISTO patefactas atq; dispositas, adumbrabant: de quibus ipse Christus, Iohan.14. ad suos Discipulos ita loquitur: In (æterna atque cœlesti illa) Patris mei Domo mansiones multæ sunt (non solum mihi, sed & omnibus credentibus paratæ) si autem non (paratæ iam essent) dixissem uobis (me eas paratum abire: nunc uerò quum paratæ sint) proficiscor paratum uobis locum (id est, abeo ut uobis inuiam hactenus ad easdem illas mansiones uiam per meam carnem patefaciam) & si proficiscar & præparauero uobis locum, iterum ueniam (meo Spiritu) & uos ad meipsum assumam, ut ubi sum ego, & uos sitis (coagmentatis scilicet capiti membris, & in eandem gloriam, ubi Deus erit tandem omnia in omnibus, translatis) Et Lucæ 22. Ego dispono uobis, quemadmodum mihi Pater meus disposuit regnum, ut comedatis & bibatis super meam mensam in regno meo.

Tabulata, Exhedræ, Mansiones.

2. Cor. 5.

Vide Hieron. aduersus Iouinian. Item August. & Cyril. in hunc locū.

Christus non parat mãsiones, sed ad eas iam ab æterno paratas uiã facit, suosq; electos ad easdem illas æternas mansiones præparat, ut & ijs paratæ sint, dummodo ij præparati inueniantur.

1. Cor. 15.

Pontifex atq; item cæteri Cohanim, id est, Sacerdotes sacra in Fano peragentes, proq; populo uictimas fa-

cientes & orantes, quomodo CHRISTI imaginē ſuis miniſterijs expreſſerint, Apoſtolus ad Hebręos Epiſtola demonſtrat, hęc & alia plura afferens: CHRISTVS debuit per omnia fratribus ſimilis reddi, ut miſericors fieret & fidus Pontifex apud Deū, ad populi expianda peccata, Cap. 2. Conſiderate Apoſtolū & Pontificē confeſſionis noſtræ Ieſum, Cap. 3. Habētes igitur ſummū Pontificem, qui cœlos penetrauit, IESVM, Filium illū Dei, teneamus confeſsionē, Cap. 4. Et illi quidē plures facti ſunt Sacerdotes, propterea quòd morte prohiberentur permanere. At hic (Ieſus inquam) quia manet in ſempiternum, nunquam tranſiturū habet Sacerdotiū, unde etiam ad plenū ſaluare poteſt eos qui per ipſum Deum adeunt, ſemper uiuens ad interpellandū pro eis, Cap. 7. Si (CHRISTVS adhuc) eſſet in terra, nē Sacerdos quidem eſſet, quum ſint Sacerdotes qui ſecundū legē munera offerunt, qui quidē cœleſtiū exemplari & umbræ (ſuis ceremonijs) deſeruiunt, Cap. 8. His Apoſtoli uerbis ſubſcribit Cyrillus lib. 11. in Ioan. Pontifex ſecundum legem, inquiens, magnum uerè & ſanctum Pontificem noſtrum CHRISTVM, qui ſupra legem eſt, figurauit. Auguſtinus quoq; Tract. 25. in Ioan. Sacerdotes in ueteri lege Chriſtum ſignificaſſe ait. Et Ambroſius in Lucā teſtatur: Per ſacerdotes illos ueteris Teſtamenti, ſecundum ſuas uices in ſpecie ſuffitum in Templo & hoſtias facientes, Chriſtum uerum illum & ſummum in æternum Sacerdotem figuratum eſſe, qui nō in manufacto Templo pro nobis ſacrificarit, ſed in ſui corporis Fano peccata noſtra uacuarit: non hoſtiarum cruore, ſed proprio ſanguine Patrem Deum humano generi reconciliârit.

Theo. Fidelem Pontificem dicit, id eſt, ueracē, potentem, & Deo acceptum.

Idem Theo. Chriſtus ſempiternū habet ſacerdotium, hoc eſt quod aliquo pacto nequeat intercidi, nec ullum habeat in hac dignitate ſucceſſorem.

Pſal. 110.
Heb. 5. 7.
Heb. 9. 10.

Quemadmodum etiam lineæ ſanctificatæ Veſtes, quas tum Pontifex tum Leuitæ induebāt in interius ingreſſuri Atrium, & illic ſacris operaturi, Chriſti Sacramenta

Lineæ ſanctificatæ Sacerdotum ueſtes.

menta fuerint, Cyrill. 9. in Leuit. lib. his uerbis demonstrat: Si quis totam ad Hebręos Epistolam recenseat, inueniet quomodo Apostolus exẽplaria & formas ostendat esse rerum uiuarum & uerarũ illa quæ in lege scripta sunt. Oportet ergò nos quærere Pontificem qui semel sacrificium obtulit Deo, indutus ueste, cuius DOMINO iuuante, quæ sit qualitas ostẽdemus. Tunica, inquit Moses, linea sanctificata induetur, sacrariũ ingressurus. Linum de terra est. Tunica ergo sanctificata linea induitur uerus Pontifex CHRISTVS, quum naturam terreni corporis sumit: De corpore enim dicitur, quia terrenũ sit, & in terram ibit. Volens ergo DOMINVS & Saluator meus, hoc quod in terram ierat resuscitare, terrenũ suscepit corpus, ut id eleuatum de terra portaret ad cœlum. Et huius mysterij tenet figurã hoc, quod in lege scriptum est, ut linea tunica Sacerdos induatur: Sed quòd addidit, sanctificata, nõ ociosè audiendum est: sanctificata nanque fuit tunica carnis CHRISTI, non enim erat ex semine uiri concepta, sed ex Spiritu sancto generata. Hæc ille.

Exod. 29. *Genes. 3.* *Vir ille quem Daniel, 12. suæ Prophetiæ ca. lineis indutum uidit, Christus etiam fuit.* *Exod. 28.* *Leuit. 6.* *Matth. 1.* *Lucæ 1.*

Similiter æreæ illius Aræ, in medio Sacerdotum Atrio consistentis, CHRISTVS est ueritas: Hunc enim Apostolus 13. ad Hebræos cap. Aram nostram uocat, de hoc Augustinus contra Faustum ita scribit: Verum sacrificiũ quod uni uero debetur Deo, eiusdem (Dei uerum) altare solus CHRISTVS impleuit. Hunc etiam Ieremiæ 1. & 15. Deus Pater, sub ipsius Ieremiæ persona, æneum murũ nominat: hic uir ille est, quem Ezechiel forma quasi ærea præditum conspexit, Cap. 40. Quòd typica ærea Ara in singulis angulis ærea habebat cornua, per ea spiritualia CHRISTI cornua indicabantur, de quibus Psal. 75. huiusmodi uerba extant: Iusti cornua exaltabuntur. Et Habac. 3. Deus à Themano ueniet, eius

Hesichius: Altare nostrum corpus Christi est. *Aeneus Christus à firmitate & fortitudine sua dicitur, quirtus seu potentia Dei sit. 1. Cor. 1.*

cornua in ipſius manibus erunt,&(ibi,id eſt in cornib.) eius fortitudo abſcondita erit. Item in Ioannis Apocal. cap.5. Ecce in medio throni Agnus ſtans tanquam mactatus,habens ſeptem cornua. At roget quis,quænam hæc ſunt cornua? D. Ioannes poſt adducta ſtatim uerba, ſeptem Dei Spiritus, in omnem dimiſſos terrã, eſſe dicit,id eſt,ſeptemplices diuini Spiritus uirtutes,ad propagandum aſſerendumq; per cunctos uſquequaq; fines Chriſti regnũ,in ipſo Chriſto quieſcentes, Eſa.11. Concauus typicę æreæ Aræ ſinus deſignabat requietis locũ, in quo Ioannes ſub uero noſtro Altari CHRISTO animas necatorum propter Dei Verbũ propterq; teſtimonium quod habebant quieſcere, albaſq; ſtolas accipere conſpexit,Apoc.6.

Qui ſuper Aram ueram,id eſt Chriſtũ,propter eiuſdẽ ueritatis profeſsionem hoſtiæ facti ſunt,iam ſub eodem quieſcentes,æterna fruuntur beatitate.

Victimæ in ærea Ara factæ.

Victimæ omneſq; cęteræ hoſtiæ in ærea Ara factę, imagines erant: earum uerò corpus CHRISTVS eſt, qui ſemetipſum pro nobis dedidit,hoſtiam &ſacrificiũ Deo in ſuauitatis odorem,ut Apoſtolus 5.ad Epheſ.& 2. ad Col.loquitur.Sed 10.ad Heb.cap.nominatim in hanc diſſerit ſententiam: Vmbram habens lex futurorũ bonorum, non ipſam rerum imaginẽ,his hoſtijs quas ſingulis annis continenter offerunt,nunquam poteſt accedentes perficere, Alioquin nonne offerri deſijſſet,propterea quod ſemel purgati cultores nullam iam peccatorum conſcientiam haberent, ſed in iſtis fit per ſingulos annos peccatorum cõmemoratio:non enim poteſt fieri ut taurorum & hircorum ſanguis peccata auferat. Itaq;(Chriſtus)in mundum ingrediens,dicit:Sacrificiũ & oblationem noluiſti,corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata & pro peccato (exteriores oblationes factas)non comprobaſti.Tunc dixi: Ecce adſum,in capite libri ſcriptum eſt de me,ut faciam Deus uoluntatem tuam.Superius quum dixiſſet,Sacrificiũ & oblationem & ho-

Cyrill. ad Regin. Chriſtus eſt magnus noſter Pontifex, non externũ offerens ſacrificium, ſicut mos eſt alijs, ſed exiſtens ipſe ille Agnus, illa fragrantiſsima hoſtia,ſpirituale holocauſtoma, turtur loquaciſsima, ſimplex colũba, panis uiuus,aureum thuribulum.

Idem ibidẽ. Quæ in lege facta, eſſe figurã & umbrã, Chriſtum aũt ueritatem & immaculatum ſacrificium, nullus dubitârit.

Theoph. Perinde eſt ac ſi dicat: Corpus hoc meũ conſummatã perfectãmq; hoſtiã fore iam à ſeculo deſtinaſti.

Idẽ: In omni Scriptura de me o aduẽtu facta eſt mẽtio, & quẽadmodũ ipſe eſſem offerẽdus pro mundo.

& holocautomata & pro peccato noluisti, neque comprobasti quę iuxta legem (offeruntur) Deinde dicit: Ecce adsum ut faciam Deus uoluntatẽ tuam. Tollit prius (ceremoniarum scilicet cultum cum oblationibus, Sacerdotio, Templo &c. ueteris Testamenti) ut alterũ (uerum illum noui Fœderis cultũ, in spiritu & ueritate uitalis Dei templi consistentem) statuat, in qua uoluntate sanctificati sumus, per corporis IESV CHRISTI oblationem semel peractam. Et omnis quidẽ Sacerdos assistit quotidiè administrans, & eadem sæpius offerens sacrificia, quæ peccata auferre nunquam possunt. Ille aũt uno pro peccatis oblato sacrificio in sempiternũ sedet ad Dei dexteram: una enim oblatione perfecit in sempiternum sanctificandos. Cum hac sententia D. Augustinus facit, de fide ad Petrũ ita scribens: In sacrificijs carnalium uictimarũ, quæ à Patribus præcipiebat offerri, illius sacrificij significabatur gratissimũ munus, quod pro nobis seipsum solus Dei filius secundũ carnem esset misericorditer oblaturus: Iste idẽ & Sacerdos & Sacrificium, idem Deus & Templũ, Sacerdos per quẽ sumus reconciliati, Sacrificiũ quo reconciliati, Templũ in quo recõciliati, Deus cui recõciliati. Et lib. 1. contra Aduers. Legis: Sicut una res multis locutionib. & multis linguis significari potest: sic unum, uerum & singulare Christi sacrificium multis est anteà sacrificiorum significatum figuris. Idem rursus in Psal. 75. Sacrificium uictimarum & pecorum magnum habet Sacramentum, sed in omnibus illis generibus sacrificiorum intelligitur unum illud sacrificiũ & unica uictima in cruce DOMINI, pro quibus omnibus sacrificijs unum nos habemus, quia & illis hoc figurabatur.

Theophyl. Christus unicam duntaxat & semel obtulit hostiam, corpus uidelicet suũ pro nostris delictis ad salutẽ nobis perpetuo ualiturã, & ita ut secunda nil egeamus.

Ahenium illud fusile uas, propter capacitatẽ suam Mare appellatũ, in quod Rex aquam è dextro Domus

Mare fusile.

latere efferueſcentem deriuârat, ut inde Sacerdotes manus ac pedes abluerẽt ad Altare acceſſuri, inexhauſtum illum aquæ uitalis fontem, Ierem. 17. DOMINVM ſcilicet noſtrum IESVM CHRISTVM præfigurabat, in quem ad Dei dexteram euectum ſalutares donorum ſancti Spiritus aquæ, à Deo Patre procedẽtes, effundendæ, & porrò per eiuſdem glorificatam carnem in omnem reliquam fidelium noui Fœderis hominũ carnem traducendæ erant. Quod myſterium D. Iohannes 7. ſui Euangelij cap. his uerbis deliniat: In ultimo die illo magno feſti (Scenopegiorum) cõſtitit IESVS (in Templo quo populus magna frequentia confluxit) & clamabat, (omnes benignè ad ſe inuitans, cœleſtisq; doctrinæ uiaticum iter ingreſſuris diſtribuere uolẽs) ac dixit: Si quis ſitit (iuſtitiam) ad me (uiuum fontem) ueniat (cordis affectu) & bibat (quia fons iam ſcaturit) Qui in me credit, ſicut dixit Scriptura (quę de me teſtatur) eius ex uentre (interni hominis conſcientia) fluent aquæ uiuæ flumina. Hoc autem dixit (ait Euangeliſta, DOMINI uerba explanans) de Spiritu, quem accepturi erant qui in eum crederent: nondũ enim erat Spiritus ſanctus (publica diſpenſatione operationumq́; ſuarum manifeſtatione) quia IESVS (poſt quem & per cuius carnem Spiritus ſupernè in omnem reliquam carnem effundi debebat) nondum erat † glorificatus (ipſo Spiritu in Patris gloria pleniſsimè perfuſus) Cum uerò Ieſus iam glorificatus ad diem Pentecoſtes accepto Spiritu ſancto fideles, unum in locum coactos, imbuiſſet, quo Doctore ij repentè diuerſis loqui linguis, prophetareq́; & uiſiones

Angelomus in 7. cap. 3. Reg. Mare illud æneũ in figuram lauacri ſalutaris, quo in remiſſionem peccatorum emundamur factum eſt.

Vide Auguſt. de hoc dicto in Ioan. & lib. 4. de Trin. ca. 20. De Trinit. & Vnit. Dei cap. 4. lib. octoginta triũ quæſt. quæſt. 62. Item Cyril. in Ioan.

† *Athanaſius contra Apollin. Hoc, Ieſus nondum erat glorificatus, Euangeliſta dicit de Chriſti carne, eam ſcilicet nondum glorificatam fuiſſe: Dominus enim gloriæ clarificatione non indiget, ſed caro Domini, cum ipſo aſcendens, in cœlis gloriam accepit. Hinc eſt quòd adoptionis Spiritus nondum inter homines erat, quia primitiæ ex nobis ſumptæ nondum in cœlum aſcenderant, Ergo cum Scriptura de Filio Dei dicit, quòd aliquid acceperit, quòd glorificatus ſit, de eo, quoad homo, non quoad Verbum eſt, id dicit.*

uidere incipiebant, id Iudæis admirantibus, & quibusdam eos musti plenos esse per iocum dictitantibus, D. Petrus pro frequenti concione hæc emisit uerba: Viri Iudæi, & qui Ierosolymam inhabitatis omnes, non sunt hi ebrij, sicut uos existimatis, sed hoc est quod dictũ est per Ioelem Prophetam: Nouissimis diebus (inquit Deus) effundam de meo Spiritu super omnẽ (fidelem atq; electam) carnem, & prophetabunt uestri filij & filiæ, uestriq; iuuenes uisiones uidebunt, & seniores somnia somniabunt. Viri Israelitæ, IESVM illum Nazarenum, Virum in uobis à Deo exhibitum uirtutibus, prodigijsque & signis, quæ per eum Deus in medio uestrûm fecit, sicut ipsi quoq; scitis, hunc quum (uos) per iniquorum manus accepissetis crucifixum interimistis: quem Deus suscitauit, cuius nos omnes sumus testes (Is) igitur Dei dextera (in gloriam sui Patris) exaltatus, sanctique Spiritus promissionẽ consecutus, effudit hoc quod uos nunc uidetis & auditis. Apoc. etiam 22. cap. D. Ioannes testatur: Angelum sibi monstrasse uitalis aquæ purum fluuium (diuini Spiritus amnem) ex Dei & Agni (occisi iterumque suscitati hominis IESV) throno procedentem (qui scilicet in cœlestem Ierosolymam deductus, eius plateas, ut Psal. 45. dicitur, suo impetu lætificaret) Allatã modò, de sancti Spiritus per CHRISTVM deriuatione, interpretationem Ambrosius de Fide contra Arrianos cõprobat: Nos, inquiens, credimus immutabilem & inconuertibilem Sermonem & Spiritũ, id est, Filium Dei, qui cum hominẽ induit non statum uertit, non ordinẽ perdidit, non substantiam immutauit, sed illuuias eiusdem corporis æterno claritatis suæ lumine illustrauit, ut ad nos per tramitẽ corporis eius lux Spiritus sancti & æternæ uitæ gratia redundaret. Itẽ Cyrill. Exposit. Symb. Spiritus sanctus est Patri & Filio cõsubstantialis, & profunditur, hoc est, egreditur sicut à fonte

Idẽ Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap 56. Spiritus sanctus non aliter ad nos transit, quàm ex Patre per Filium.

Deo & Patre, conceditur autem creaturæ per Filium: unde inſpirauit in ſanctos Apoſtolos, dicens: Accipite Spiritum ſanctum.

Decẽ lauacra.

Decem Lauacra, unde Sacerdotes hoſtias, in ærea Ara immolandas, abluebant, lauacrum illud regenerationis ac renouationis ſancti Spiritus denotabãt, in quo noſter Sacerdos CHRISTVS IESVS eos, qui per ipſum ſeſe Deo offerre uellẽt, emundaturus erat, quò ſancta, puta & accepta fierẽt hoſtia, Epheſ.5. Tit.3. Rom.13.

Duæ æreæ columnæ.

Duæ æreæ Columnæ uniuſmodi formæ & decoris, ad antas interioris Veſtibuli poſitæ, quarum altera Iachin, id eſt, firmitas, altera Boaz, id eſt, fortitudo dicta erat, itidem CHRISTVM, duabus integris, nec ulla inter ſeſe perturbatione confuſis Naturis etiamnum hodie in cœleſti gloria conſtantẽ, & Pſalmo 18. firmamentum noſtrum, 1. autem Corint.1. Dei potentiam ſeu fortitudinem denominatum, ſignare poterant: Quomodo etiam CHRISTVS DOMINVS ille eſt, qui Iſraelitas interdiu in columna nubis uiæ oſtendendę gratia, noctu in columna ignis prælucendi cauſa antecedebat, Moſen autem in columna nubis alloqui ſolitus eſt, Exodi 13.33. Num.22. Nehem.9. Pſal.99. 1. Corin.10. Idem Eccleſ. 24. de ſeipſo, ſe in nubis columna, id eſt, luce inacceſſa, thronum habere, teſtatur: Eundem Deus Pater, Ierem.1. ſub ipſius Ieremiæ figura, ob inuictam & diuinam ſuam uirtutem, ferream columnam uocat. Eiuſdem crura, Cantic.5. marmoreæ columnæ aureis innixæ baſibus dicuntur, & Apocal.10. eum Ioannes in Angeli forma pedes, ut igneas columnas, habentem conſpexit.

Lyra in Exodũ: Per columnã populum Iſraeliticũ deducentẽ intelligitur Chriſtus, qui per exempla patientiæ in humanitate ſua oſtẽſa, fidelib. ad terram uiuentiũ proficiſcentibus refrigerat æſtũ tribulationis, & ſuæ deitatis luce depellit tenebras noctis, ignorantiæ atq; culpæ.

Per crura & pedes in Chriſti perſona Doctores eius humanitatem ferè intelligunt, marmoreo in cœleſti gloria cãdore nitidiorem, æternæq; claritatis auro conſpicuã, & diuini Spiritus igne illuſtrẽ redditam.

Quòd Sacerdotes in interiori, puri autem Iſraelitæ cum mundis mulieribus in exteriori atrio Deo ſupplicabant,

cabant, flexis ad ipſum Oraculare uultibus, Salomonq́; in extructi Fani dedicatione Dominũ ut tũ ſuas tũ reliquorũ hominũ, quę illic fierẽt, preces exaudire dignaretur rogauit, ac ipſe Dominus ei paulo poſt apparens noctu reſpõdit, ſe & ipſum exaudiſſe, & ad iſtius loci preces deinceps oculos apertos auresq́; attentas habiturũ: Hæc omnia, ut & reliquę Iudęorũ ceremoniæ, rerũ futurarũ reſpectu fiebant, & uſq; eò ſub legis pędagogio durarũt, qnoad certa ueritas, Dominator inquã, Mal. 3. promiſſus, in ſuæ carnis tẽplũ aduenit, q lege in decretis poſita abrogata, cunctisque figuris in ſpirituale mutatis cultũ, regale ſuũ Sacerdotiũ uerosq́; Catholicę Eccleſiæ Iſraelitas in ſanctitatis atrijs & in ſuo ipſius nomine, ſublatis ſurſum cordis oculis, docuit orare, cũ ſubiecta promiſſione, pro quacunq; re Patrem ita orarent, ſe & Patrem uoti eos cõpotes facturũ: Eum uerò Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, & quæ dico fidei analogiæ conſentanea, eſſe, cũ alia Scripturæ loca tũ quæ in Ioannis Euangelio paſsim deſcripta leguntur, confirmant: ſiquidem Ioan. 4. Chriſtus Samaritanę mulieri, glorianti de monte Garizimo, quòd in eo Iacob reliquiq́; maiores Deum coluerint, & Iudæos, qui Ieroſolymis in Templo eſſe locum dicerent, ubi Deus ſit colendus, aſpernanti: nihilominus tamen utri rectius ſentirent diſcere cupienti, ſic reſpõdit: Vos (Samaritę) quid adoretis neſcitis (quia ueſtra adoratio nec Deũ auctorẽ habet, nec ſuperſtitione uacat) nos (Iudęi, cũ quibus tu me annumeras) quid adoremus ſcimus: quippè quia ſalus à Iudęis eſt (Iudęis commiſſa ſunt Dei eloquia, illis promiſsionis data teſtamenta, ijſdem exploratum eſt Deo placere ut Ieroſolymis in Templo, tanquã orationis domo, figuralem cultũ eatenus peragant, quoad expectatus Meſsias aduenieńs de tribu Iuda naſcatur, ſuosq́; à peccatis ipſorum ſaluos faciat, & figuras omnes in proprio corpore perficiat) Venit (autem) hora (plenitudinis completo tempore &

Epheſ. 2.
1. Pet. 2.
Rom. 9.
Cyril. lib. 2. in Iohan. Neceſſe eſt uolentem ad exemplar orationis Chriſti orare, eleuare oculos cordis ſurſum, ac erigere illos à rerũ mundanarũ cura, cogitationeq; & uolutatione nimia.

Acris inter Iudæos & Samaritanos de adorationis locò cõtentio erat; ſed de ipſa uera adoratione quæ ſub figurarũ repreſentabatur inuolucris, pauci laborabant.
Rom. 2. 9.
Epheſ. 2.
Eſa. 56. Mat. 21
Templum orationis uocatur Domus.
Heb. 7. Mat. 1.
Heb. 9. 10.
Coloſſ. 2.

Meſsia præſtito) quando neque in hoc (ueſtro) monte neque Ieroſolymis adorabitis Patrem (quoniam & locorum differentiæ è medio remouebuntur, & umbratilis cultus præſente ueritate diſcutietur) Venit (inquã) hora, & (ea ipſa) nunc eſt (quia Meſsias præſtò eſt) cum ueri adoratores (ſpirituales illi & fideles Dei cultores) Patrem in Spiritu (adoptionis, Abba Pater clamantes) & in ueritate (quæ egomet ipſe ſum) adorabunt: Nam & Pater tales (adoratores) quęrit, qui ipſum (dicta iam ratione) adorent. Deus (Pater) eſt Spiritus (increatus, immenſus, & incomprehenſibilis) & qui eum adorant (uerè) in ſpiritu & ueritate oportet adorare (ut ſic Deus in Deo, increatus extra creaturas, & incomprehenſibilis liberè ubique locorum colatur, iuxta illud, Malach. 1. Ab ortu ſolis ad occaſum magnum erit meum nomen apud Gentes, & in omni loco ſuffitus (orationis) adolebitur, meoq́; nomini oblatio munda offeretur) De oratione autem quæ per CHRISTI nomen fieri debebat, ipſe CHRISTVS ſuos Diſcipulos, Iohan. 14. informat: Quicquid petieritis, inquiens, in meo nomine (in mei cognitione & per me, tanquam ſequeſtrum Dei & hominum) hoc (ego ipſe) faciam (uobis præſtabo) ut glorificetur Pater in Filio. Item 16. cap. Amen amen dico uobis, quæcunque meum Patrem in meo nomine petieritis, dabit uobis. Hactenus in meo nomine non petijſtis quicquam: petite & accipietis. Huc iam & dicta illa Dauidis pertinent, quibus is in ſpiritu de ſpiritualibus ueri Dei Templi atrijs ſic loquitur: Deſiderat anima mea atria DOMINI, Melior eſt dies unus in tuis (Domine) atrijs, quàm (alibi) mille. Malo in Dei mei Domo ad limen eſſe, quàm in impiorũ habitare tabernaculis, Pſal. 64. Adferte hoſtias, & uenite in (Domini) atria: adorate DOMINVM in ſanctitatis eius atrio, Pſal. 97. Ingredimini (Domini) atria cum hymnis eum celebrantes, eiusq́;

Chryſ. Veri adoratores ſunt, qui neq; loco circũcludunt Dei culturam, & Deum in ſpiritu colunt.

Rom. 8.

Ioan. 14.

Chryſo. Deus eſt incorporeus, oportet igitur & incorporeã eius eſſe culturam.

Hilar. 2. de Trin. Cũ in ſpiritu Deum Spiritum docuit adorandum, & libertatem ac ſcientiam adorantium & adorandi infinitatem oſtendit, ſecundũ illud Apoſtoli: Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.

1. Timot. 2.

Heb. 8. 9. 12.

Aug. in Ioan. Qui quod eſt de Chriſto, unico Dei filio, ſentiendũ ſentit, ipſe in eius nomine petit, & accipit quod petit, ſi non contra ſuã ſalutem æternam petit.

Cyrill. Orandum in nomine Saluatoris, ſi exaudiri uolumus.

eiusq; nomini benedicentes, Psal. 99. Vbi diuinus Psaltes sub atriorum nomine mysticôs aliud nihil intelligit, quàm ut CHRISTI corporis membrum esse queat, in quo corpore per ipsum CHRISTVM & eiusdem Spiritum Deus uerè obseruetur, & dignis afficiatur laudibus.

Sed ne singulis explicandis hoc caput longius ęquò producere uideamur, uno etiã attacto strictim loco cõcludemus: Quòd Salomoniũ Templũ uarijs sæpè modis uiolatum, & à Babylonijs prorsus destructũ, per Iudæos tamen aliquot post annos renouatum & instauratum est: id portendebat uerã ueri nostri Templi CHRISTI IESV cognitionem ante ipsius in carnem aduentum multis prophanandam rationibus, & ipsum iam in carne præsentem à Iudæis tradendũ Gentibus, quò crucis morte dissoluatur, sed mox rursus & sua propria & Patris uirtute excitandum, supraq; omnes cœlos in æternam gloriam euehendum esse: ac ea ratióne futurum, ut Scripturæ de ipso testantes, iuxta secretum Dei consilium perficiantur, æterna aũt mors cum suo Principe abolita dissoluatur, & nos per ipsius ex morte resuscitationẽ in uiuidam spem regeneremur, nouaq; Dei uiuentis templa fiamus. Hoc mysterium D. Hieron. in 1. Zach. cap. his uerbis persequitur: Templi Dei, quod aduersarij destruxerunt, potest & DOMINI uenerabile corpus intelligi, de quo ipse dicebat: Soluite Templum hoc, & ego in triduo suscitabo illud, quod in passione destructum, in resurrectione suscitatũ est, & omnium templorum seminarium atq; exordium fuit, de quibus & Apostolus loquitur: Vos estis Templum Dei, & Spiritus sanctus habitat in uobis. Hæc ille.

3. & 4. Reg. 2. Par. lib. 1. 2. 3. Esd. lib. Esa. 1. Ierem. 10. Oseæ 4. 6. Amos 8. Ioã. 2. Mat. 20. Mar. 10. Lu. 18 Act. 2. Ephe. 1. Phil. 2. Heb. 1. Luc. 24. Act. 3. Heb. 2. 1. Corint. 15. Col. 2. 1. Petri 1. 1. Timot. 3. 2. Corint. 6. Ioan. 2. 1. Cor. 6.

CAP. IIII.

QVOMODO TEMPLVM SALOMONIS POST IPSVM CHRIstum Christianam quoque Ecclesiam singulaq́; in eadem membra denotauerit.

ACTENVS pro largita nobis facultate, quẽadmodum Salomonium illud Templum unà cũ singulis ferè suis & ædificijs & ceremonijs CHRISTVM IESVM, præsertim iuxta assumptum eius humanum corpus adumbrârit, ex sacris libris & ueteribus præterea Doctorib. demonstrare cònati sumus: Verumenimuerò quia ijdem Christianam quoq; Ecclesiam CHRISTI nominant corpus, cuius is caput existit, eam ex seipso & assumpti sui corporis carne atq; ossibus regenerans, ac propter arctissimã utrorumq́; coniunctionem quæ in caput conueniunt, ea & de corpore, peculiari tamen modo, dici posse affirmãt, id quonã ab illis pacto fiat, hoc est, qua ratione Ecclesiã cũ suis omnib. membris & totius imagine templi generatim, & singularũ eiusdẽ partiũ figura speciatim repręsentatã esse perhibeãt, deinceps ex ordine recitabimus.

Ephes. 1. Coloss. 1. 2. 1. Corin. 11. Ephes. 1. 4. 5. Iohan. 1. Aug. Ecclesiæ caput humanitas Christi.

Ecclesia Templum.

D. Paulus 1. ad suum Timothæũ Epist. cap. 3. sic ait: Hęc tibi scribo, ut scias quomodo in Dei Domo uersari oporteat, quæ est Dei uiuentis Ecclesia, ueritatis colũna atq; firmamentũ. Vbi Theoph: Hoc loco Paulus cum Iudęorũ Tẽplo Ecclesiã confert, sic inquiens: Illud quidẽ figuras & umbras quasdã cõplectebatur, ueluti tintinnabula & mala punica, & cũ sacrificijs Sacerdotẽ. Hoc uerò ueritatis est firmamentũ & robur: Cuncta nanq; quæ illi inesse cõstat & peraguntur, certiora sunt & stabilia, nihilq́; in ea est uel fucatũ uel quod umbrã aliquã

præ

præ ſe ferat, cuiuſmodi legis ſunt omnia: Pro tintinnabulis nanque clariſsimum habet de CHRISTO præconium,& pro punicis malis uitam contractiorem & caſtigatam, & fructum interius aſſeruantem. Huic præterea &Pontifex preſidet,maximus Dei Filius,cuius diuinum corpus ſummum eſt ſacrificium. Adductus modò Apoſtolus,& 1.ad Cor.3.cap.inquit: An neſcitis quòd Dei eſtis Templum, Deiq; Spiritus in uobis habitet ? Si quis Dei Templum corruperit,corrumpet hunc Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, qui eſtis uos. Ac rurſum cap.6. An neſcitis quòd ueſtrum corpus Templum eſt ſancti Spiritus,qui in uobis eſt,quem à Deo habetis? Item 2.ad Cor.6. Quæ Dei Templo cum idolis conuenientia? Vos enim Dei uiuentis eſtis Templũ. Quæ uerba Ambroſius citans ſic explicat: Vnuſquiſque Domus aut Dei eſt aut Diaboli: itaque Domus ſpiritualis homo eſt ſpiritualis: Templum Dei eſtis, Renouatis dicitur & fidelibus,in quibus permanet Spiritus Dei, in carnalib. autem non permanet, Geneſ.6. Et Hilarius: Omniũ credentium corpora templum Dei eſſe Apoſtolus docet, Domum autem Dei etiam ipſum aſſumptũ à Filio Dei hominem intelligere permiſſum: noſtra igitur ſpes eſt, ut in bonis domus Dei repleamur, ut ſanctum & mirabile templum illius ſimus. Huc iam & aliorum Patrum teſtimonia pertinent; Eucherius in 3.Reg. Domus DOMINI,inquit, quam ædificauit Rex Salomon in Ieruſalem,in figura facta eſt ſanctæ uniuerſalis Eccleſiæ, quæ à primo electo uſque ad ultimum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quotidiè per gratiam Regis pacifici ſui, uidelicet Redemptoris, ædificatur: quæ partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim euaſis peregrinandi ærumnis, cum illo iam regnat in cœlis, ubi peracto ultimo iudicio tota eſt regnatura cum illo. Rabanus: Templum DOMINI ſancta Eccleſia eſt, quã dedicat CHRI

De huius dicti conuerſione uide Auguſt. contra Epiſt. Manichæi. cap. 39.

STVS, cum eam ſanguine ſuo mundat, Spiritus ſancti gratia ſanctificat, & uirtutibus multiplicat. Lactantius de uera Sapient. cap.30. Sola Eccleſia Catholica eſt quæ uerum cultũ (Chriſti) retinet. Hic eſt fons ueritatis, hoc eſt domicilium fidei, hoc templum Dei, quo ſi quis non intrauerit, uel à quo ſi quis exiuerit, à ſpe uitæ ac ſalutis alienus eſt: ſed tamen quia ſinguli quique cœtus hæreticorum ſe potiſsimum Chriſtianos & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant, ſciendum eſt illam eſſe ueram, in qua eſt Religio (cognitio Dei & CHRISTI) confeſsio fidei & pœnitentia, quæ peccata & uulnera, quibus eſt ſubiecta imbecillitas carnis, ſalubriter curat. Neminem ſibi pertinaci cõcertatione blandiri oportet: nam agitur de uita & ſalute, cui niſi diligenter & cautè conſulatur, amiſſa & extincta erit. Auguſtinus de Ciuitate Dei lib.10. cap.4. Dei Templum ſimul omnes & ſinguli Templa ſumus, quia & omnium cõcordiã (id eſt, Eccleſiam) & ſingulos inhabitare dignatur. Idem Enarra. 126. Pſalmi: Salomon ædificauerat Templum DOMINO, in typo quidem & in figura futurę Eccleſiæ & corporis DOMINI.

Idem Ench. ad Laur. Templũ Dei hoc eſt totius ſũmæ Trinitatis ſancta eſt Eccleſia.

Dauid in ſuis afflictionibus Templi apparatum fecit.

Quòd Dauid, ſanguinarius ille Vir, in medijs ſuis afflictionibus duriſque tribulationibus, omnia quæ ad umbratilis Templi ædificationem pertinerent, ante ſuam mortem præparabat, ſolerteſque ad eam rem artifices cogebat, & locum ædificationis conſtitutioni conuenientem ab Arauna Iebuſæo argenti Siclis quinquaginta emebat: typus fuit CHRISTI ſecundum priorem ipſius carnis Oiconomiam, in qua is Apoſtolos, ut ſpirituales Architectos, eligere: perque ſuæ Crucis paſsionem uniuerſa ad myſticum conſtruendum Templum neceſſaria acquirere, & proprij ſanguinis effuſione morteque amariſsima ipſam Eccleſiam redimere, eiuſ-

eiuſdemque diſperſa membra ad futuram molitionem in unum colligere atque congregare debebat. Id uerò quemadmodum ipſo rei euentu comprobatum ſit, ex nouo eſt colligere Teſtamento: De Apoſtolorum ſiqui dem & uocatione & conſtitutione manifeſta multa extant teſtimonia, Matth. 4.9.10.18.24.25.28. Mar. 1.2.3.16. Luc. 9.19.24. Ioan. 1. Et 15. eiuſdem Euangelij cap. CHRISTVS coactos ſuos Apoſtolos his uerbis alloquitur: Ego uos elegi, & (eò) uos conſtitui, ut abeatis & fructum feratis, ueſterque fructus maneat. CHRISTVM uerò per ſuam crucem uniuerſa ad myſticum extruendû Fanum neceſſaria, ſanctum uidelicet Spiritum unà cum omnibus cœleſtis regni theſauris atq; diuitijs acquirere debuiſſe, inde apparet quòd is ad Diſcipulos ſuos dicit: Ego regnum uobis diſpono, Luc. 22. Abeo (per crucis mortem) uobis paratum locum, Ioan. 14. Ego uobis ueritatem dico: Expedit uobis ut ego diſcedam, ſi enim non diſceſſero, Paracletus ille ad uos non ueniet: ſin autem diſceſſero, eum ad uos mittam, atque ille ubi uenerit, mundum arguet de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio, Ioan. 16. Amen amen dico uobis, niſi frumẽti granum in terram deiectum moriatur, ipſum ſolum manet: ſi uerò moriatur, multum fructum affert, Ioan. 12. At quomodo CHRISTVS Eccleſiam proprio ſanguine redemerit, eiusque diſperſa membra ſua morte in unum collegerit, id ſubſequentibus exprimitur teſtimonijs: CHRISTVS dilexit Eccleſiã, & ſemetipſum pro ea dedidit, ut eam ſanctificaret lauacro aquæ in Verbo mundatã, ut eam ſibi adhiberet glorioſam Eccleſiam, nullam habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiuſmodi, ſed ut ſancta & immaculata eſſet, Epheſ. 5. Attendite uobis & toti gregi, in quo uos ſanctus Spiritus poſuit Epiſcopos, ut Dei paſcatis Eccleſiam, quã is proprio ſanguine acquiſiuit, Actor. 20. Ego ſum bonus ille

Christus uerè bonus Pastor, suam animam pro palātibus dedit ouib. ut ex hac ratione uindicatæ in unum cogerentur ouile.

Pastor, animamque meam pono pro ouibus: & alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, illas quoque oportet me adducere, meamq; uocem audient, & fiet unum ouile, unus pastor, Iohan. 10. IESVS moriturus erat, ut dispersos Dei filios in unū cōgregaret, Ioan. 11. Ego si exaltatus fuero à terra, omnes ad meipsum traham, Iohan. 12. Quum sciatis non uos caducis rebus argento aut auro ex uana ista uestra patriæ traditionis obuersatione redemptos esse, sed CHRISTI precioso sanguine, sicut immaculati & incontaminati Agni, 1. Pet. 1.

Dauid filio suo Salomoni templi cōstructionem iuxta propositum exemplar cōmittit.

Hieron. Christus Oriens dicitur quod in eius dieb. orta est iustitia.

Theo. Deus nos pro domo habet si modo ad finem usq; stabiles fuerimus, nec facile in præceps labamur.

Vbi uerò Dauid suo Filio de typico extruendo templo mandata dabat, eique exemplar, ad cuius normam omnia fierent, proponebat, ea parte is Deū Patrem designauit, qui suo Filio, uerò illi Salomoni, id est, pacis Principi, Esa. 9. ueri Templi fabricam cōmissurus erat, uelut is ipse Zachar. 6. sub Iesuæ figura de CHRISTO prędicit: Ecce uir ortus (seu oriens uel germen) est eius nomen, is DOMINI Templum ædificabit. Et Matt. 16. CHRISTVS de seipso testatur: Ego ædificabo meam Ecclesiam. Idem apud Iohannem: Pater, inquit, omnia Filio demonstrauit, ac quid facere debeat mandauit, Cap. 5. & 14. Iohannes etiam 13. cap. ait: IESVM sciuisse quòd Pater sibi omnia in manus dedisset. Et Apostolus ad Hebræos scribit: Omnis Domus ab aliquo conditur, qui autem omnia condidit, Deus est. At CHRISTVS ut Filius est eius Domui præpositus, cuius Domus sumus nos, si fiduciam & spei gloriationem ad finem usque firmam tenuerimus, Cap. 3. Item cap. 8. Talem habemus Pontificem qui consedit ad dexterā throni Maiestatis in cœlis, sanctorū λειτουργός, Administrator, ac ueri Tabernaculi quod fixit DOMINVS & non homo.

Salomon Templi fabricā aggreditur.

At Salomon qui confirmatus iam in Israelitico regno, post sui patris necem omnē ad Domus DOMINI ædifi-

ædificationem apparatum promebat,latomosq; ad po liendos lapides & fabros ad cædenda in monte Libano ligna emittebat,ingeniosissimis etiam quibusque artificibus uasorum conflaturam, tabularumq; sculpturam & uelorũ effectionem cõmittens: figuram CHRISTI iuxta alterum eius gloriȩ statum gessit,in quo is accepta omni in cœlo atq; terra potestate,Matth.28.gloriaq; & honore coronatus,Heb.2.ac Rex in spiritualium Israelitarum Sionem constitutus,Psal.2.cœpit per suum Spiritum cœlestes producere thesauros,mysticosq; artifices, Apostolos scilicet & Doctores,in totum amandare orbem,qui cunctos homines ad internã ipsius templi structuram sese,Domino secundo,habiles præbere monerent,id est,in ipsius illis nomine pœnitentiam ac peccatorũ ueniã,facto à Ierosolymis initio, prædicarent,hosq; ipse suo Spiritu adiuuans, eorumq; sermonem per subsequentia confirmans signa, multos qui salui fierent, quotidie Ecclesiæ addidit,Matth.28. Mar.16.Lucæ 24. Actor.2.3.14.Coloss.1.Zachariæ autem 6.cap.hȩc res in hunc prænunciatur modum : Ecce uir Ortus eius nomen,sub quo orietur,Idem & DOMINI Templũ construet,& gloriam portabit,sedebitque ac dominabitur in solio suo, & erit in solio suo Pontifex, eritque pacis consilium inter duos illos (Deum & Hominem in una persona) At cum ista Prophetia ipso iam euentu comprobaretur,Apostolus de CHRISTO Christiq; Ecclesiæ cõstructione ad Ephes. sic testatus est:Pater ille gloriæ Christum ad suam dexterã constituit in cœlestibus, longè supra omnẽ principatũ, & potestatẽ, & uirtutẽ, & dominatũ,&omne nomen,&eius pedib.omnia subiecit,eumq; super omnia ipsi Ecclesiȩ dedit caput ; quæ eius est corpus,complementũ omnia in omnib. cõplentis,Cap.3.Et 4.ca.Quũ(Christus)ascendisset in altũ,dona dedit hominib.& idem dedit alios quidẽ Apostolos,

alios uerò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores ac Doctores ad sanctorum instaurationẽ, in ministerij opus, in CHRISTI (inquam) corporis ædificationem, donec perueniamus omnes in unitatem fidei cognitionisque Filij Dei in uirum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi.

Lapides & ligna ad fabricā Templi præparata.

Lapides & ligna ex Libani montis latumijs atq; syluis succisa, ibidemque quadrata dedolataque, & postea in Ioppico mari auecta, ac Ierosolymā in montem Moriam, ut illic ex ipsis sic præparatis Templum erigeretur, deportata: præsignificârunt electos illos Dei homines, qui sub diuini Spiritus & ipsorum Apostolorũ Catechismo de alto huius mundi ueterisq; Adami monte execti, lapideisque cordibus ac cunctis alijs rebus, eos à cœlestis regni ingressu remorātibus, exonerati per mare lauacri aquæ in uitæ Verbo existentis traducti sunt, inq; Ierosolymam illam superiorem deducti, ut illic super DOMINI monte, uniuersum implẽte mundũ, Christo nempè Iesu, in Ecclesiæ ædificium suo singuli loco collocarentur, de quibus Esaiæ 51. sic dicitur: Attendite ad petram ex qua excisi estis, & ad laci cauernam unde effossi estis. Et apud eundem Prophetam cap. 49. DOMINVS suum CHRISTVM ita alloquitur: Ego te seruaui, & in (credentis) populi fœdus dedi, ut diceres ijs qui uincti sunt (peccatorum astricti funibus) exite, & ijs qui in tenebris (& mortis umbra sedent) reuelemini (ut magnam uideatis lucem) In uijs (iustitiæ) pascentur, & omnibus in iugis eorum pascua erunt (ut nihil eos deficiat) non esurient neque sitient, nec æstu aut sole (ullarum aduersitatum) percutientur, quia eorum miserator reget (atq; consolabitur) eos, eosq; ad aquarum (uitalium) fontes ducet, ponamque montes meos omnes in (planam) uiam, & meæ semitæ exaltabuntur (ut expeditum

Ezech. 11. 36. Matth. 5. Ephes. 5. Galat. 4. Daniel. 2. Matth. 4. Psal. 22.

peditum

peditum iter atque campestre habeant) Ecce isti longè uenturi sunt,& ecce illi ab aquilone & mari,& hi ab au strali terra. Approperãt tui (Ecclesia) structores, Eleua circunquaq; tuos oculos & uide, omnes isti congregati tibi uenerunt (quò tua rura ad messem alba metãt) Da- Iohan.4.
uid quoque Ecclesiam sub sponsæ nomine, Psal.45. hoc modo affatur: Audi Filia (DOMINVM te uocantem) & uide (eum fidei oculis) inclina tuam aurẽ (ad ea quæ Deus tuus in te loquetur) & tuum populum patriamq; obliuiscare domum (renuncians carni, sanguinique & ueteri tuo parenti) Ac cũ in regenerationis lauacro ab- Titi 3.
luta, spiritualique hyssopo niue candidior effecta eris, Psal. 51.
(tunc) tuam pulchritudinẽ cõcupiscet Rex (Christus) Esaiæ 1.
is enim tuus est Dominus, quem adorabis (Regina) adducetur Regi in uestibus Phrygijs, eamq; uirgines eius sodales (fideles animæ) sequentur, & in Regis templum adducẽtur (ei per fidem inserendę) Pro tuis parentibus (Regina) erunt tibi liberi. In hunc ferè modum & Paulus 2. ad Corint. 11. scribit: Ego, inquiens, uos uni uiro adiunxi, ut (ceu) uirginem castam (uos) sisterem (seu addu cerem) ipsi CHRISTO. De Apostolici muneris efficacia, qua, DOMINO adiuuante, homines CHRISTO lucrifacti, eiusque obsequio subiugati sunt. Idem Apostolus eiusdem Epist. 10. cap. testatur: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed Deo potentia ad munitionũ destructionẽ (quibus armis) consilia demolimur, & omnem sublimitatem extollentẽ sese aduersus Dei cognitionem & omnem intelligentiã ad obediendũ Christo captiuam ducimus, & omnem ulcisci inobedientiã in promptu habemus, cum impleta fuerit uestra obedientia. Cõmemoratam modò huius loci interpretationẽ Eucherius in 3. Reg. his illustrat uerbis: Serui qui præcidebant cedros Salomoni de Libano, Doctores sunt electi, quorũ officij est eos, qui in hoc mundo reb. & gloria

lætabantur, dominicæ increpationis securi à superbiæ fastu corrigendo sternere, & ad redemptoris sui transferre uota. Ac paulò post: Idem lapidũm cæsores, quod & lignorum figuratè designant, hoc est, sanctos prædicatores, qui homines insipiẽtes de labore uerbi Dei exercent, & eos ab ea qua inquinati sunt turpitudine ac deformitate (diuina fauente gratia) transmutare contendunt, ac regulariter institutos, unitati fidelium ædificio, uidelicet Domus Dei, aptos reddere curant. Dolantur, inquam, lapides preciosi, cum electi quique (& sancti Spiritus instructione &) pręcedentiũ eos sanctorũ instantia, quicquid in se habent noxiũ & inane relinquunt, atque ante conspectum sui conditoris, solam iustitiæ regulam, quasi stabilem quadraturę formã, ostendunt. Quòd igitur & ligna & lapides in monte cędun-tur, & cæsa ac præparata utraque materia ad montem Domus DOMINI transfertur, patet sensus, quòd omnes homines in mõte superbiæ nati sumus, quia de pręuaricatione primi hominis, quam superbia fecit, originem carnis traximus. Quicunq; autem gratia Dei præordinati ad uitam excidimur, renascendo, catechisando, & sacramenta fidei percipiendo, de monte superbię ad montem Domus DOMINI transferimur, qui eruti de potestate tenebrarum, diaboloque renunciantes, ad Arcem uirtutum, quæ est in unitate sanctæ Ecclesiæ, peruenimus, & in monte montiũ, in ipso uidelicet Saluatore, ædificamur. Hæc ille.

Salomõ in mõte Moria templum construxit.

Dictum illud, 2. Paral. 3. quo Salomon templi fabricam Ierosolymis in monte Moria cepisse scribitur, eo ipso in loco qui eius patri Dauidi monstratus, & huic rei ab eodem præparatus fuerat, citatus modò Eucherius in hanc ferè explicat sententiam: Domus DOMINI Ierosolymis, id est, in pacis uisione ædificatur, quia dilatata

dilatata per orbem Ecclesia in una eademq; fide & ueritatis Catholicæ societate consistit: In mentium enim scissura Deus non est, sed eius locus in pace factus est eiusq; habitatio in Sione. In monte ædificatur Ecclesia, in ipso uidelicet DOMINO Saluatore, de quo Esaias ait: Et erit in nouissimis dieb. præparatus Domus DOMINI mons in uertice montium. Et ipse de se in Euangelio: Non potest, inquit, Ciuitas abscondi super montem posita: Ipse enim est mons montium, qui in terra quidem carnem assumpsit, sed omnium terrigenarum potentiam ac sanctitatem singularis dignitatis culmine transcendit. In hoc nimirum monte Ciuitas siue Domus DOMINI constructa est, quia si nō in illo radicem figat, spes & fides nostra nulla est. Hic idem rectè mons Moria, id est, uisionis uocatur, quia suos electos, quos ad æternam suę claritatis uisionem conseruat, in hac interim uita laborantes uidere & adiuuare dignatur. Quòd Dauidi monstratum fuerat in monte Moria ædificandum Templū, significat ei ostensum fuisse, sicut & cæteris Prophetis, uenturum in carnem DOMINVM, qui uocatā de Iudæis & Gentibus Ecclesiam per suæ incarnationis atq; passionis Sacramenta à peccatis ablueret, suæque resurrectionis à mortuis ascensionisque in cœlum uirtute, in Domum sibi fidelem & dilectam consecraret. Benè quoque additur, Dauidem hunc locum Templi ædificationi parauisse: ipse enim psallendo, alij autem Prophetæ uaticinando parauerunt locum DOMINO, uero utique Salomoni, in quo loco is Domum ædificaret: quia suos auditores ueritatis fide instituerunt, sedulò admonentes, ut uenientem in carne Dei filium fideli ac deuota mente susciperent. Hinc quoque DOMINVS de paratis ad credendū sibi populis ait Discipulis: Leuate uestros oculos, & regiones uidete, quia iam albę sunt ad messem, & qui metit mercedē accipit,

Psal. 76.

Hier. Anima quę non habet pacē, sciat se nō esse locum Dei: pax enim Saluatoris hæreditas.

Esaiæ 2.

Mich. 4.

Matth. 5.

Daniel. 2.

Chrys. Hæc Ciuitas Ecclesia sanctorū est, de qua dicitur: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas. Ciues eius sunt omnes fideles, de quibus Apostolus: Vos estis ciues sanctorum. Hæc ciuitas posita est super montē Christum, de quo Daniel: Lapis sine manibus abscisus est mons magnus factus.

Ioan. 4.

August. Disparis tẽporis labores habuerunt Apostoli & Prophetæ, sed gaudio pariter perfruentur mercedem simul accepturi sunt uitam æternam.

&(qui serit) fructum congregat in uitam æternam: ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. Quasi alijs uerbis de Templi ædificatione diceret: Leuate uestros oculos, & locũ uidete, quia paratus est iam ad ædificandam in eo DOMINI Domum, & qui docendo ædificat mercedem accipit, inq; æternam uitam preciosos congregat lapides: ut & qui parat locum ædificio simul gaudeat, & qui ædificat, id est, Propheta prædicens uenturum, & Apostolus uenientẽ prędicans DOMINVM, una simul in illo mercede potiantur.

Fundamentum Templi.

Salomon fundamenta sui ædificij iaciebat in altissimam terræ profunditatem, è saxis ualidissimis atque pretiosissimis, quæ tum contra omnem temporum iniuriam resistere tum quancunque superpositã molem sustinere facilè possent. Noster Salomon de sui Templi fundatione 54. apud Esaiam cap. sic loquitur: Ego tuos lapides in Carbunculo collocabo, teque Sapphiris firmabo, & tuos terminos omnes ex desiderabilibus lapidibus, in iustitia fundaberis. Et Matt. 16. Ego super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam, & portæ inferorũ aduersus eam non pręualebunt. De cuius dicti genuina intelligentia Augustinus Retract. 1. cap. 21. in hunc pronunciat modum: In libro contra Epistolam Donati dixi de Petro, quòd in illo tanquã in petra fundata sit Ecclesia: sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à DOMINO dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam, ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus, dicens: Tu es CHRISTVS, &c. ac si Petrus ab hac petra appellatus, personã Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur. Non enim dictũ est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus, Petra autem erat CHRISTVS, quem confessus Simon, sicut eũ tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. CHRI-

1. Cor. 10.

STVM

STVM uerò unicum fundamentum eſſe quod Eccleſiæ ſubſtruendum ſit, ſi modò firmiter ea conſiſtere & legitimè exædificari debeat, ſolertiſsimus ille CHRISTI adminiſter Paulus prioris ad Corint. Epiſt. cap. 3. fatetur: Nos Dei ſumus συνεργοί, id eſt, adiutores, inquiens, uos Dei agricultura, Dei ędificatio eſtis. Ego ſecundum Dei gratiam, quæ mihi data eſt, ut ſapiens Architectus, fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat, porrò quiſque uideat quomodo ſuperædificet: Nam fundamentum aliud ponere nemo poteſt pręter id quod poſitum eſt, quod eſt IESVS CHRISTVS. Idem 2. ad Epheſ. cap. Ergò nō iam hoſpites eſtis & inquilini, ſed ſanctorum conciues ac Dei domeſtici, ſuper Apoſtolorum & Prophetarum fundamentum ſuperſtructi, ſummo angulari lapide ipſo IESV CHRISTO, in quo omnis ædificatio coagmentata creſcit in ſanctum Templum, in DOMINO, in quo & uos coædificemini in Dei habitaculum in Spiritu. Hæc de Templi fundamento interpretatio licet ſacrarum Literarum conſenſu ſatis firmata uideatur, tamen ex abundanti duo uel tria Catholicorū teſtimonia Patrum ſubijciemus, ne quis nos ſcripturæ & iam productis Apoſtoli uerbis aliquam uim inferre uelle ſuſpicari meritò poſsit. Hieronymus in 7. cap. Matt. Fundamentū quod Apoſtolus Architectus poſuit, unus eſt Dominus noſter IESVS CHRISTVS: ſuper hoc fundamentum ſtabile & firmum, & per ſe robuſta mole fundatum ædificatur CHRISTI Eccleſia. Sedulius: CHRISTVS eſt fundamentum Apoſtolorū, quia in ipſo & fundatur & conſummatur Eccleſia. Eucherius in 3. Reg. Fundamentum Templi nullum eſt aliud intelligendum myſticè, quàm illud quod oſtendit Paulus, 1. Corinth. 3. dicens: Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitū eſt, CHRISTVS IESVS: Qui propterea rectè Fundamentum

August. de Ciuit. Dei lib. 21. ca. 26. Quiſquis ſic habet in corde Chriſtum, ut ei terrena & temporalia, nec ea quæ licita ſunt atq; cōceſſa præponat, fundamentum habet Chriſtum.

Domus DOMINI poteſt uocari, quia ſicut ait Petrus, Actor.3. Non eſt aliud ſub cœlo datum hominibus nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Idem paulò poſt: Si CHRISTVS Templum Dei per aſſumptam humanitatem factus eſt, & nos Templum eius per inhabitantem eius Spiritum efficimur, ut teſtatur Scriptura Ioannis 2. & 1. Corint. 6. conſtat utique, quia figuram omniũ noſtrûm & ipſius DOMINI uidelicet, & membrorum eius, quæ nos ſumus, Templum illud materiale tenuit: ſed ipſius tanquã lapidis Angularis ſingulariter electi & precioſi in fundamento fundati: noſtri aũt tanquam lapidum uiuorum ſuperædificatorum ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarũ, hoc eſt, ſuper ipſum DOMINVM.

Superſtructio Templi.

Reliqua Salomonij Templi ſtructura fundamento impoſita, ex politiſsimis albis marmoreis lapidibus conſtabat, ita ad unquem inter ſe quadrantibus, ut natura ſic iuncti potius quàm arte congeſti uiderẽtur. De ſpiritualis Fani lapidibus D. Petrus 1. ſuæ ad peregrinantes ſparſim Electos Epiſtolę cap. 2. ſic ſcribit: Accedentes ad DOMINVM (ut ad) lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobatum, apud Deum uerò electum & honoratum, ipſi quoque tanquam uiui lapides ſuperædificemini, ſpiritualis Domus, ſanctum Sacerdotiũ, &c. Item Auguſtinus: CHRISTVM uenire oportebat, qui ædificaret Domum DOMINO, non de lignis & lapibus, ſed de hominibus fidelibus, de quibus Apoſtolus: Templũ Dei eſtis uos. Et Beda: Salomon interpretatur pacificus, ipſum Redemptorem noſtrum typicè deſignat: Templum quod ædificauit, Catholica eius eſt Eccleſia, quam de uniuerſis per orbem credentibus, quaſi de uiuis lapidibus in unam ſuæ fidei & charitatis compagem aggregauit. Candor in Marmoreis Salomonij Templi lapidibus oſtendebat uiuos illos Lapides, qui

Orig. Omnes qui in Chriſtum credimus, lapides uiui eſſe dicimur.

qui CHRISTO per fidem inſerentur, puro puto ipſius ſanguine mundandos, & ab omni peccatorum macula prorſus luſtrandos eſſe, uelut Pſalm. 51. dicitur: Aſpergas me DOMINE hyſſopo, & mundabor, laua me, & niue ero candidior. Ac 1. Eſa. cap. ait DOMINVS: Lauamini, mundamini, auferte ueſtrarum cogitationum malum de meo conſpectu. Etiamſi ut coccinum fuerint peccata ueſtra, quaſi nix dealbabuntur: Et ſi fuerint rubra uelut oſtrum, tanquam lana alba erunt. Ad Epheſ. etiam 5. inquit Apoſtolus: CHRISTVM Eccleſiã mundaſſe lauacro aquæ in Verbo, ut eam ſibi adhiberet glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam uel quicquam eiuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & inuiolata, Idem 1. ad Corinth. 6. Abluti eſtis, ſancti & iuſti facti eſtis, per nomen DOMINI IESV, perq; Dei noſtri Spiritum. Iohannes Apoc. 7. uidit plurimam hominũ turbam, qui ſtolis albis amicti, eas in Agni ſanguine abluerunt, ideoque ſunt ante Dei ſolium, & ei dies ac noctes in eius Templo ſeruiunt. De hoc myſterio Eucherius ita loquitur: Marmor Parium ſeu candidũ, ex quo Domus DOMINI conſtructa eſt, mundam electorũ actionem ſimul & conſcientiam ab omni næuo corruptionis caſtigatã deſignat: quales uoluit eſſe ſapiens ille Architectus eos quos ſuper fundamentum CHRISTI locabat, lapides pretioſos auro argẽtoq; redimitos: Cariſſimi, inquit, mundemus nos ab omni inquinamẽto carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. Quòd uerò ad congruentem myſticę Domus lapidum compagem attinet, de ea Apoſtolus ad Epheſ. 4. huiuſmodi uerba facit: Veritatẽ ſectantes in caritate per omnia in illum adoleſcamus, qui eſt caput, nempè Chriſtus, ex quo totum corpus (congruenter) coagmentatũ & compactum per omnem ſubminiſtrationis cõmiſſuram, ſecundũ operationem in menſura uniuſcuiuſque

Hier. Eccleſia eſt non habens maculã ſcilicet peccati mortalis, neque rugã ſcilicet erroris: & ideo quicunq; eſt aliqua grauiori ſorde peccati pollutus, de Eccleſia dici nõ poteſt, neq; Chriſto ſubiectus

2. Cor. 7.

membri facit corporis incrementũ, in ædificationem ſui ipſius, in caritate. Idem Coloſſ. admonet, ut in Chriſto radicati ſuperſtruantur, nec ſe à quoquam qui caput non obtineat, ex quo totum corpus per cõmiſſuras & compagines ſubminiſtratũ & cõpactum in Dei creſcit augmentum, ſupplantari aut ſeduci ſinant, Cap. 2. Huc & illud Ambroſij, Epiſtola ad Demet. ſcriptũ, referendum eſt: Eccleſia Dei quæ eſt corpus Chriſti, ita eſt multimoda uarietate contexta, ut in unum decorem etiam quæ non ſunt paria concurrant, & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorũ, de omni menſura operũ, de omni qualitate uirtutũ fiat totius ædificationis inſeparabilis cõnexio & indifferẽs pulchritudo, nec deſit ſoliditati quod nõ defuerit portioni, tantaq; ibi eſt pax tantaq; cõcordia, ut nõ poſsit eſſe niſi omniũ quod eſt etiam ſingulorum. Athanaſius quoq; alicubi aſſerit: Qui Eccleſiæ nomen ſortiuntur, neceſſarium ut iuncti & unanimes ſint: quandoquidem Eccleſiam unitatem quandam & cõuentionem interpretantur, fideles omnes una ſunt Eccleſia.

Idem Ambr. Vnũ eſt corpus Eccleſiæ, diuerſa membra alterũ altero eget.

Nulli in tota Salomonij templi conſtructione uel ſecures uel mallei ſunt auditi: In cœleſtis quoque templi compoſitione nullus aſper ferramentorũ ſonus audietur, neque uiolenta ulla contuſio uſurpabitur, ſed ut ſcriptum eſt de puellis, ſponſæ CHRISTI pediſſequis: Adducentur cum lætitia & exultatione, Regis ingredientur templum Pſalm. 45. Et Pſal. 110. Chriſtiani uoluntarius populus appellantur. Zachariæ etiam quarto cap. DOMINVS non per exercitum, neque per uim, ſed per ſuum Spiritum ſuæ Domus ſtructuram perficiendam eſſe præſignificat. De placido autem & pacifico ſtructorum CHRISTI miniſterio Eſaiæ 52. Nahum 1. Rom. 10. cap. ſic dicitur: Quàm ſpecioſi pedes Euan-

Nulla in erigẽdo Templo ferramẽta audita

Hier. in 23. Ierem. De Eccleſiaſticis uiris ſcriptũ eſt, quòd malleus & ſecuris non ſunt audita in Domo Domini.

Euangelizantium pacem, euangelizantium bona. In huius explicationis ſententiam ueteres quoque Doctores eunt: Tertullianus, Sed nec religionis eſt cogere religionem, quæ ſpontè ſuſcipi debet, non ui, cum & hoſtię ab animo lubenti expoſtulentur. Lactantius: Non eſt opus ui aut iniuria, quia religio cogi non poteſt, uerbis potius quàm uerberibus res agenda eſt, ut ſit uoluntas. Gregorius Nazianzenus: Vi adigi, nequaquam legis eſt noſtræ: uolentium enim & non coactorum ſalutis eſt myſterium. Hilarius: Chriſtiani Principes nullum cogentes, ne ſit incerta uoluntas fidei, omnibus, quibus placuerit in regno CHRISTVM colere, permittitur.

In Salomonis Templo intrinſecùs cuncta cedrinis oleaginisq; tabulis, uarijs Cheruborum atque florum ſculpturis ornatis, ac auro inſuper incruſtatis, obducta atque decorata fuêre. In noſtri Salomonis Templo omnia intrinſecùs noui hominis uirtutibus, uarijsque ſancti Spiritus donis ac uiuis ueræ fidei fructibus nitent & polita ſunt, ſiquidem Pſal. 45. de CHRISTI Sponſa dicitur: Aſtat ad tuam (CHRISTE) dexteram in auro ophirio Regina, omnis Regis filiæ gloria interna, ex ueſtibus auro intertextis eius eſt indumentum. Ac Pſal. 128. Vxor tua (CHRISTE) ſicut fructifera uitis, in penetralibus Domus tuæ: filij tui ſicut oliuarũ plantulæ in tuæ menſæ circuitu. Sic D. Petrus 1. ſuæ Epiſtolæ cap. 3. Chriſtianas admonet mulieres, ut earum ornatus non ſit externus, in capillorũ nodis & auri circumpoſitu aut palliorum amictu poſitus, ſed occultus ille cordis homo in lenis ac quieti Spiritus incorruptione ſitus, qui ſit coram Deo pretioſus. Paulus quoque 3. ad Coloſſ. capite ſcribit: Induite igitur (ut Dei electi ſancti ac dilecti) uiſcera miſerationum, benignitatem, modeſtiam, manſuetudinem, lenitatem, ſed ſuper hæc omnia caritatem

Interior Templi ſpecies.

Hier. Eccleſia Regina dicitur, quia regit ſua uitia et peccata.

Hier. Caritas multa membra in unum colligit corpus.

(induite) quæ perfectionis compages est, palmamq; ferat Dei pax in ueſtris cordibus, ad quam & in unũ corpus uocati eſtis. Item 12. prioris ad Corint. Epiſt. cap. Diſcrimina (quidem) ſunt donorum ſed idem Spiritus, & diſcrimina ſunt miniſteriorum idem autem DOMINVS, & diſcrimina ſunt operationum, ſed idem Deus, qui omnia operatur in omnibus: datur autem unicuiq; manifeſtatio Spiritus ad id quod (Eccleſiæ ædificationi) expedit: nam huic quidem per Spiritũ datur ſermo ſapientię, alij uerò ſermo cognitionis ſecundũ eundem Spiritum, alij uerò fides per eundem Spiritum, alij dona ſanationũ per eundem Spiritum, alij uirtutum operationes, alij prophetia, alij Spirituum diſcretiones, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum: ſed hęc omnia unus ille & idem Spiritus efficit, diſtribuens priuatim ſingulis ut uult. Apoc. 3. CHRISTVS Laodicenſis Eccleſiæ Angelum, ut ab ipſo ad myſtici ſui Fani ornatum ſpiritualem ſumeret decorem, his commonefacit uerbis: Suadeo tibi ut à me (in quo omnes cœleſtes theſauri repoſiti ſunt) aurum igne candens (ignitũ Dei Verbum flagrantemq; fidem) emas, quò diteſcas (ueris abundes bonis) & ueſtimenta candida (iuſtitiæ loricam nouiq; hominis amictũ tibi à me compara) quò induaris, ne appareat tuæ nuditatis (natiuæ uitioſitatis tuæ) dedecus, & collyrio (Spiritus uitæ unctione, quæ omnia docet) inunge tuos (interiores) oculos, ut uideas (ea quæ Dei ſunt rectè perſpicias, omniaque legitimè dijudicare queas.) Internum Templi ex marmoreis lapidibus conſtructi, cedroque inaurato obducti ſplendorem Eucherius in hunc explanat modum: Lapis parietis ſiue pauimenti, & tabulæ, & aurum, Sanctorum in Eccleſia uitam omnia deſignãt: ſed ea diſtinctione, cum pariter ponuntur, ut lapides uiui ſint ſancti, fortitudine fidei in unam eandemque regulam ſibimet adglutinati:

Coloſſ. 2. 1. Pet. 1. Epheſ. 6. 1. Ioan. 2. 1. Cor. 1. & 3.

nati: Tabulæ cedrinæ siue abiegnæ sint sancti, latitudine uariarum uirtutum, secundum donationes sancti Spiritus, in una eademque fide sibimet alterutrum connexi: Auri laminæ sint sancti, supereminentem scientiæ caritatem habentes: hi sunt qui fulgore gratissimo ad inuicem congaudent. Quæ tria beatus Apostolus una sententia complexus est, dicens: Nam in CHRISTO IESV neque Circumcisio aliquid ualet, neque Præputium, sed Fides, quæ per dilectionem operatur: Fidei nanque inuictæ lapis figuram tenuit, cedrus sanctionis odoriferæ, aurum transcendentis omnia dilectionis: uestiturque lapideus paries Tabulis cedrinis, cum professio fidei bonis ornatur operibus, ne sine operibus ociosa iudicetur aut mortua. De uerò autem ueri Templi interiore ornatu Hieronymus in septimū Ieremiæ caput huiusmodi uerba facit: † DOMINVS & olim populo Iudæorum præcepit, & hodie nobis qui uidemur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ędificiorum splendore, auratisque laquearibus, & uestitis parietibus marmorum crustis, Et dicamus: Templum DOMINI, Templū DOMINI, Templum DOMINI: Illud enim Templum DOMINI est, in quo habitat uera fides, sancta conuersatio, omniumque uirtutum chorus. Cui Lactantius subscribit: Dei Templum est non lapides, inquiens, aut lutum, sed homo ipse, qui figuram Dei gestat, quod Templum non auro, aut gemmarum donis corruptibilibus, sed æternis uirtutum muneribus ornatur. Et Eustatius: Qui (oleo lætitiæ) unctus est, acquisitam uirtutem accepit, egregio Templi opificio ornatus, ex habitante in eo diuinitate:

Hier. ad Eustoch. de Paula: Nolebat in his lapidibus pecuniā effundere, qui cum terra & sœculo trāsituri sunt: sed in uiuis lapidibus qui uoluuntur super terrā; de quibus in Apoc. Ioannis: Ciuitas magni Regis extruitur: quos in saphiriū, & smaragdū, & iaspidem, & cęteras gemmas esse uertendos, scriptura commemorat.

† Idem Hieron. ad Nepot: *Multi ædificāt parietes & columnas Ecclesiæ substrüunt, marmora nitent, auro splendēt laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorū Christi nulla est electio. Neq; uerò mihi aliquis opponat, diues in Iudæa Templū, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacer-*

dotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum. Quanquam hæc omnia præcesserint in figura: Scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorū deuenerunt. Nunc uerò cum paupertatem Domus suæ pauper Dominus dedicârit, cogitemus crucem eius & diuitias lutum putabimus. Alioquin si tantum literam sequimur, & in auro atq; diuitijs simplex nos delectat historia, cum auro obseruemus & cætera, figamus septimo mense tabernaculum, & solenne ieiunium buccina concrepemus. Quamuis bonæ mentis sit qui cicatricem habuerit, & deformis est priuetur sacerdotio, lepra corporis animæ uitijs præfratur. Quòd si hæc omnia spiritualibus spiritualia comparantes, scientesq; cum Paulo quòd lex spiritualis est & Dauid uerba cantantis: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: sic intelligimus, ut Dominus quoq; noster intellexit, & interpretatus est sabbathum, aut aurum repudiemus cum cæteris superstitionibus Iudæorum: aut si aurum placet, placeant & Iudæi, quos cum auro aut probare nobis necesse erit aut damnare.

Fenestræ Templi.

Fenestræ terreni Fani extrinsecus angustæ, intrinsecus autē laxiores erant, quò scilicet transiens per eas lumen magis intra parietes sese diffunderet, atq; ita omnibus qui intus essent cuncta ad uisendū manifestò patescerent, at foris stantes ex profanis locis ad ipsa usque sacra prospicere minus possent: Qui in cœlesti Templo degunt eorum menti tantum per internam Spiritus illustrationem præfertur lumen, ut uniuersa regni Dei arcana, quantū quidem ad eorum salutem satis sit, perspicere possint, id quod foris & in mundo adhuc uersantibus nō similiter accidit, attestante nobis CHRISTO, & suis Discipulis, cur populum per similitudines alloqueretur, ipsis uerò suos explicaret sermones, ita respondente: Vobis cœlorum regni mysteria nosse datum est: illis autem qui foris sunt non datum est, sed in parabolis omnia fiunt, ut uidentes uideant, & non cernant: uestri uerò beati sunt oculi qui cernunt, Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8. Et 1. ad Corinth. 2. inquit Apostolus: Nobis Deus ea quæ suis amatoribus præparauit per suum Spiritum reuelauit: Spiritus enim omnia scrutatur, etiā Dei profundissima: nam quis hominum scit ea quæ hominis sunt, nisi hominis spiritus qui in eo est? Sic & ea quę sunt Dei nemo nouit nisi Dei Spiritus. Nos uerò non mundi Spiritum accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quę à Deo nobis donata sunt (&) spiritualia spiritua-

ritualiter dijudicamus. Animalis autem homo nõ percipit quæ Dei ſunt Spiritus: ſtultitia enim ei ſunt, & non poteſt (ea) cognoſcere quòd ſint ſpiritualiter dijudicanda. At ſpiritualis dijudicat quidẽ omnia, ipſe uerò à nemine dijudicatur. Quis DOMINI mentem nouit, ut eum inſtituat? At nos CHRISTI mentem habemus. In hac interpretatione Eucherius, ſtudioſiſsimus ille ueterum Doctorum cõcinnator, non modò non eſt contra nos, ſed maiore ex parte noſtram confirmat ſententiam: Feneſtræ Templi, inquiens, Doctores ſunt docti & ſpirituales quique in Eccleſia, quibus mente excedentibus Deo, arcana ſecretorum cœleſtium ſpecialius cæteris uidere conceditur, qui dum ea quæ in occulto uident, publicè fidelibus pandunt, quaſi ſuſcepto lumine ſolis feneſtræ, cuncta Templi penetralia replent, Vnde benè eædem feneſtræ obliquæ, id eſt, intus latiores & foris anguſtiores fuiſſe perhibentur: quia nimirum neceſſe eſt, ut quiſquis iubar ſupernę contemplationis uel ad momentum percepit, mox ſinum cordis amplius caſtigando dilatet, atque ad maiora capeſſenda ſolerti exercitatione præparet.

Hieron. Animali homini ſtultitia uidetur, quòd ille qui paſſus & mortuus eſt & reſurrexit, totius creaturæ nunc Dominus prædicetur.

Ambroſius: Animalis, homo pecoribus eſt ſimilis, ſenſum ſuũ in terram deprimit, ideoq; non aſſequitur niſi quod uidet, nec putat aliquid fieri poſſe quàm quomodo ſcit. Ideo quicquid aliter audit quàm nouit, ſtultitiã iudicat, nihil enim æſtimat poſſe fieri ſine commixtione.

Templum Salomonium certas altitudinis, profunditatis, longitudinis & latitudinis habebat dimenſiones. CHRISTI quoque Templum ſuas continere debuit altitudines, de quibus Paulus Epheſijs cap. 3. ſcribens, ut præeminenti ſcientiæ atq; cognitionis CHRISTI caritate impleantur optat, quò nempè una ſecum parati ſint, quẽadmodũ & 3. ad Phil. ca. teſtatur, omnia damnũ ducere propter cognitionis CHRISTI IESV ſui DOMINI eminentiã, & cuncta pro excrementis habere, ut ſaltẽ Chriſtum & ipſius reſurrectionis uirtutẽ cognoſcãt. Habet item hoc templũ ſuas profunditates, quòd in eo Spiritus omnia, etiam Dei profundiſsima,

Hiero. in Ezech. Nihil in Templo Domini reperitur, quod abſque mẽſura & ſapientia conſtitutũ ſit.

Ambr. Qui Chriſtum cognoſcit, is cũctorum quæ ſunt uidetur cognitionẽ habere. Idem: Qui Chriſtum agnoſcit, is nihil ultra requirat nec ſapientiã nec uirtutẽ, quia agnoſcit eum in quo perfecta uirtus perfectaq; ſapientia eſt.

ſcrutatur, 1. Corint. 2. Habet latitudines, quod Catholicum & per totum orbem diffuſum eſt. Habet longitudines, quia à condito mundo ſe uſque ad extremum iudicij diem, imò in omnem uſque ęternitatem extendit, cumque hic in fletus ualle peregrinetur, ſuam obuerſationem in cælis habet, Philip. 3. Cuius & Auguſtinus his uerbis recordatur. Corpus CHRISTI eſt Eccleſia, non iſta aut illa, ſed toto orbe diffuſa, non ea quæ nunc eſt in hominibus tantum, qui pręſentem uitam agunt, ſed ad eam quoque pertinent, ſi qui fuerunt antè nos, & hi qui futuri ſunt poſt nos uſq; ad finem ſeculi. Eucherius uerò eam de iſtis Templi dimenſionibus, quã modò ſubijciam, affert tropologiam: Longitudo Domus, longanimitatem deſignat ſanctę Eccleſię, quæ in exilio peregrinationis huius patienter aduerſa quęque tolerat, donec ad patriam quam expectat perueniat. Latitudo inſinuat caritatem, quæ dilatato ſinu mentis non ſolum amicos in Deo, ſed & inimicos gaudet diligere propter Deum, donec ueniat tempus, quando ſiue ad pacem ſuam conuerſis ſiue funditus extinctis, cum ſolis gaudeat amicis in Deo. Altitudo ſpem denunciat futuræ retributionis, cuius intuitu libenter infima quęque ſiue quæ demulcent, ſeu quæ aduerſantur contemnit, uſq; dum utriſque tranſcenſis, ſola mereatur uidere bona DOMINI in terra uiuentium.

Pſal. 83. — Matt. 5.

Oraculare. De Oracularis eiusq; constructionis, nec non Cheruborum atque Arcæ in eodem repoſitorum ſpirituali Sacramento, Hieronymus in 2. ad Epheſ. caput breuem quidem ſed non inelegantem infert ſermonem: Quòd ſi uniuerſa, inquiens, corporis CHRISTI ædificatio cõpaginata, creſcit in Templum ſanctum DOMINO, iuxta Pauli doctrinam, omni labore nitendum eſt, ut fiamus illi lapides, de quibus ſcriptum eſt: Lapides ſancti uoluun-

Epheſ. 4.

uoluuntur ſuper terram. Et cum fuerimus uiui lapides ex omni parte dolati, leues, politi, nullam habentes ſcabredinem, ædificemur in Templum, & fiamus habitaculum Deo: condaturq; in nobis Arca Teſtamenti, cuſtos legis DOMINI, & Cherubim, id eſt, ſcientiæ multitudo, & interiora pectoris noſtri in nouum uocabulũ tranſeant, dicamurque דביר quod nos Oraculum ſiue Reſponſum poſſumus appellare: & ut cõtentioſius uerbum exprimamus è uerbo λαλητήριον, id eſt, Locutorium dicere, ut cum Apoſtolo erumpamus in uocem: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur CHRISTVS? 2. Corinth. 13.

Ambr. de uocat. Gent. Dominus locutus eſt in Apoſtolo.

Arce ex lignis Sittim facta & inaurata prorſus, antiquum Teſtamentum ſeu Moſaicam incluſam habens legem, poſt ipſum CHRISTVM CHRISTI corpus, ſanctam ſcilicet Eccleſiam, deſignauit, in qua nouum Teſtamentum uiuaque & immaculata Lex inuenitur, non atramento, ſed uiui Dei Spiritu, non in lapideis, ſed in carneis cordis tabulis deſcripta, 2. Cor. 3. Cuius quidem legis & 8. ad Hebr. cap. huiuſmodi mouetur mentio: Ecce dies uenient, dicit DOMINVS, & cõſummabo ſuper domum Iſraelis & ſuper domũ Iudæ nouum Teſtamentum, non ſecundum illud Teſtamentũ quod eorum patribus feci in die, qua eorum apprehendi manum ut eos ex Aegypto educerem, quoniam illi in meo Teſtamento non permanſerunt, & ego eos neglexi, inquit DOMINVS, (Sed) hoc eſt Teſtamentum quod Iſraelis Domui poſt illos dies diſponam, dicit DOMINVS: Inditas meas Leges in eorum mentem & in eorum cor inſcribam, & ero eis ipſis Deus, & ipſi mihi populus erunt. Et non docebunt ſinguli ſuum proximum, & ſinguli ſuum fratrem, dicentes: Cognoſce DOMINVM, nam omnes, ab eo qui puſillus

Arca fœderis.

Ierem. 31.

Teoph. Conſtat Apoſtolos in ſcriptis nihil accepiſſe, ſed Spiritus legem cordib. admiſiſſe, & ideo Chriſtus his uſus eſt uerbis: Paracletus ueniẽs ſuggeret uobis omnia, & docebit uos omnia.

inter eos fuerit uſque ad eum qui inter eos eſt magnus, me cognoſcent: Quoniam eorum iniuſticijs placatus ero, & eorum peccata non amplius recordabor. Dum nouum dixit, prius antiquauit. A noſtra hac interpretatione ſunt Orthodoxi Scriptores: ſic enim Hieronymus ad Euſtochium ſcribit: Sponſa CHRISTI Arca eſt Teſtamenti, intrinſecùs & extrinſecus deaurata, cuſtos legis DOMINI. Sicut in illa nihil aliud fuit, niſi tabulæ Teſtamenti: ita & in te nullus ſit extrinſecus cogitatus. Item Gloſſa Ordinaria in Leuiticum: Poteſt in Arca Eccleſia figurari, quæ de ligno imputribili, id eſt, nouis hominibus & ſanctis animabus ædificatur, quæ coronam uitæ à Deo expectat, habens in ſe tabulas legis, legem Spiritus uitæ.

Duo Cherubi.

Aug. Quæſt. ſuper Exodũ: Duo Cherubi duo Teſtamenta figurãt.

Cyril. ad Neſtor. Petrus & Ioãnes æquales inter ſe ſunt honore, quẽadmodum & reliqui Apoſtoli & ſancti diſcipuli.

Duo Cherubi eadem menſura & modo præditi, quomodo duas Chriſti Naturas repræſentarint, ac quẽadmodum Eccleſiaſtici Doctores per eos quoque duo accipiant Teſtamenta, iam ante lib. 2. cap. 9. & hoc ipſo 2. libro cap. 3. declaratum eſt. Iidem pręterea non ineptè duos prædicatorũ ordines uidentur præfiguraſſe, quorum cum alter ad Iudæos alter ad Gentes ablegaretur, utrique æquali pollebant dignitate, & eodem ſimul agitabantur Spiritu, uelut Paulus de ſe & Petro atq; item alijs 2. ad Gala. cap. teſtatur: Qui (de Apoſtolis inquiens) in precio eſſe uidebantur, mihi (quidem) nihil contulerunt: ſed è contrario quum uidiſſent mihi creditũ eſſe præputij Euangelium, quemadmodum Petro circuncíſionis, nam qui in Petro (id) operatus eſt ut circuncíſionis eſſet Apoſtolus (idem) in me quoq; operatus eſt, ut in Gentibus (eſſem Apoſtolus) Quum (inquam) cognouiſſent gratiam quæ mihi data eſt, Iacobus, & Cephas, & Iohannes, qui columnæ eſſe uidebantur, dexteras mihi & Barnabæ dederunt ſocietatis, ut nos in Gentibus

tibus

tibus, ipsi uerò in circuncisis (Apostolatu fungerentur) tantum ut pauperum mememores essemus. Quum uenisset autem Petrus Antiochiam, & ego uiderem quòd non rectò pede ad Euangelij ueritatem incederent, coram omnibus Petro restiti, quoniam reprehendendus erat, &c. Quòd Cherubi alteris alis parietes hinc atque hinc attingebant, alteris sese supra Arcam mutuo contingebant, uultus autem suos ad exteriorem uertebant Domum: id concordem uniformemq; Apostolorũ de CHRISTO prædicationem significauit, quæ prædicatio in omnes totius orbis fines pertinuit, cunctosq; homines ad ipsum CHRISTVM rectà intendit, Dauide id futurum esse his uerbis prædicente: Cœli (id est, Apostolici uiri, in quibus Deus per fidem habitat) enarrant Dei gloriam (CHRISTVM, qui uera Dei gloria est, prędicant) Dies diei eructabit Verbum (illud æternum) & nox nocti indicabit scientiam. Non est sermo, neq; (ulla sunt) uerba (ubi) non audiatur eorum uox. In omnem terram exiuit eorum linea (cursus seu prædicationis sonus) & in orbis terræ fines eorum loquelæ. Paulus uerò 10. ad Rom. hanc prophetiam suo tempore perfectam esse ostendit: An non audierunt? inquiens, Atqui in omnem terram exiuit eorum sonus, eorumq; uerba in fines orbis terrarũ. Cherubi etiam illi apud Ezechielem, pleni oculis, & alis suis per uniuersum currẽtes terram, Apostolos in terrarum orbem amandatos denotant. Quomodo etiã Apostoli Cherubi sunt, in quibus DOMINVS uehi & uolare, Psal. 79. 98. Esa. 37. dicitur, propterea quòd ij eum in cordium suorum uasis habitantem circumferãt, ut is ipse de Paulo 9. in Actis testatur: Iste mihi electionis est uas, ut meum nomen portet coram Gentibus, & Regibus ac filijs Israelis. Et 2. Cor. 4. Paulus de se suisq; symmistis testatur: Habemus thesaurum hunc in testaceis (nostrorum cordium) uasculis.

Tertul. de præsc. Hæret. Cæteri Apostoli dexteram Paulo dederunt signũ concordiæ & conuenientiæ, & inter se distributionem officij ordinauerunt, nõ separationem Euangelij, nec ut aliud alter, sed ut alijs alter prædicarent. Petrus in circumcisionem, Paulus in Nationes. Cæterum quod reprehẽsus est Petrus quòd conuixisset Ethnicis, postea se à conuictu eorum separabat personarũ respectu; utiq; cõuersationis fuit uitium, non prædicationis.

Aug. Cœli sancti sunt Apostoli, eleuati à terra portantes Dominũ. Idem de Consen. Euang. Cœlorum nomine Apostoli Christi significati sunt, quòd in eis Deus præsideret, ut Euangeliũ annunciarent.

Aug. Ideo sonus in omnẽ terram exijt, ut tu in cœlum intres.

Hier. Damas. Apostolorum prędicatio in omnẽ terram porrecta per uoces Seraphim denotatur.

Dominus ſe in Templo habitaturũ dixit.

Aug. de Ciuitate Dei lib.18. ca.48 Et Epiſt.102. Omnia ſignificãtia uidentur earum rerum quas ſignificant, accipere nomen.

De Templo Salomonio DOMINVS typicôs ſe eò ſuum nomen poſiturum, & ibidem habitaturum eſſe pronunciauit, rei nimirum ſignificanti, eius rei quam illa ſignificabat nomẽ aſsignans: At de CHRISTI Templo, quod & ipſius aſſumptum eſt corpus, & Chriſtiana Eccleſia unà cum ſingulis Eccleſiæ membris, Pſal.11. uerè ſic dicitur: DOMINVS in ſanctitatis ſuæ eſt Templo. Et 2. ad Corint.6. Paulus de Eccleſiæ membris ſcribit: Vos Dei uiuentis eſtis Templum: quemadmodum dixit Deus: Habitabo in eis & inambulabo. Item 2. ad Epheſ. cap. In ſummo Angulari lapide ipſo IESV CHRISTO & uos coædificemini in Dei habitaculum in ſancto ſpiritu. Hunc locum Iuſtinus alicubi producens, ait: Paulus hac diſciplina docuit, CHRISTVM, Deum (Patrem) & Spiritũ ſanctum, qui una diuinitate continentur, reipſa in nobis, qui gratia digni iudicamur, habitare. D. etiam Petrus prioris ſuæ Epiſt. cap.2. fideles ſic admonet: Accedentes ad DOMINVM ipſi ueluti uiui lapides ædificemini, ſpiritualis Domus. Quòd diximus Templum illud lapideum typicôs Dei Domum uocitatum, Eccleſiam uerò cum ſuis ſingulis membris uerum Templum, ubi Deus à CHRISTO & per CHRISTVM habitare uoluerit, uerè eſſe, id Auguſtinus libro Octoginta trium Quæſtionum confirmat: Locus Dei, inquiens, abuſiuè dicitur Templum DOMINI, non quòd eo contineatur, ſed quòd ei præſens ſit, Id autem nihil melius quàm anima munda intelligitur. Et Epiſtola quinquageſima ſeptima idem ad Dardanum hæc ferè uerba facit: Aliter dicitur Templum Dei in ſignificatione, quum fit per manus hominum de rebus inanimis, ſicut Tabernaculum lignis, uelis, pellibus, atque huiuſmodi mobilibus, ſicut etiam per Salomonem Regem Templũ lapidibus, lignis, metallis cõſtructum. Aliter uerò reipſa uera, quę illis ſignificationib. figurata eſt.

Amb. lib.3. de Fide, cap.5. Cui alij niſi Verbo Dei incarnato conuenit dici: Crura eius columnæ marmoreæ fundatę ſuper baſes aureas: Chriſtus enim inambulat animis, & graditur in mẽte ſanctorum.

Hinc

Hinc est quòd cum CHRISTVS Iudæis signum peten tibus dixisset: Soluite Templum hoc, Euangelista quid hoc esset exponens, ait: Hoc autem dicebat de Templo corporis sui. Alibi quoque dicitur: Et uos tanquam lapides uiui ædificamini domus spiritualis. Item: Nos enim Templa Dei uiui sumus. In manufactis igitur Templis Deus non corporaliter sed umbraliter habitauit, id est, præfigurantib. signis. De ipso uerò capite nostro CHRISTO IESV Apostolus ait: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Sed & cum filij Dei in unum CHRISTI corpus congregentur, & talis cõgregatio sit ædificatio templi Dei, habitat Deus quoque in eorum singulis, tanquã in templis suis, & in omnibus simul in unum congregatis, tanquam in templo suo. Quomodo autẽ hæc congregatio in Dei templum ædificetur, quíue ad id ipsum Templum propriè pertineant, ibidem hoc modo explicatur: Talem congregationem non generatio carnalis, sed regeneratio spiritualis facit. Ac paulò ante: In cõpagem corporis CHRISTI tanquam structuram templi Dei, quæ eius est Ecclesia, nati homines non ex operibus iustitiæ quæ fecerunt: sed renascendo per gratiam transferuntur, tanquam de massa ruinæ ad ædificij firmamentum: prẹter hoc enim ædificium, quod beatificandum construitur ad ẹternam habitationem Dei, uita hominis omnis infelix & mors est potius appellanda quàm uita. Quisquis ergò inhabitabitur à Deo, ne ira Dei maneat super eum ab hoc corpore, ab hoc templo, ab hac Ciuitate non erit alienus. Omnis autem non renatus alienus est. At sicut nemo nascitur (in hanc corporalem uitam) nisi operante concupiscentia carnali, quæ tracta est ex primo homine qui est Adam, sic nemo renascitur, nisi operante gratia spirituali, quæ data est per secundum hominem, qui est CHRISTVS. Ad illum nascendo pertinemus,

1.Pet.2.

2.Cor.6.

Coloss.2.

Iohan.11.

Idem: Excepto lapide Angulari Christo non uideo quomodo ędificantur homines in domũ Dei, ad habendum in se habitantẽ Deum, nisi cum fuerint renati.

ad hunc renaſcendo. In eadẽ Epiſtola idem quoq; indicat, quidnã ſit Dei in nobis habitatio: Nos ipſi, inquiens, Templũ Dei eſſe debemus, & in quantũ ſumus, in tantũ ad eius ſocietatẽ & adoptionis familiã pertinemus: non in omnib. aũt habitat, atq; etiam in quibus habitat non æqualiter habitat: Vnde nanq; in omnib ſanctis alij alijs ſunt ſanctiores, niſi abundantius habendo habitatorem Deum? Et illi ab eo longè eſſe dicuntur, qui diſsimilimi facti ſunt: & illi ei appropinquare, qui eius ſimilitudinẽ piè uiuendo recipiũt. Et rurſus: In eis Deus habitat quos efficit beatiſsimũ Templũ ſuum, uel beatiſsima Templa ſua, eruens eos à poteſtate tenebrarũ, & transferẽs in regnũ filij caritatis ſuæ ꝙ incipit à regeneratione. Hęc ille.

Idem: Deus eſt ubiq; per diuinitatis præſentiã, ſed non ubiq; per habitationis gratiã, ſed in ſolis tantũmodo fidelibus.

Altare aureum ſuffimentis cõſecratum.

In medio Salomonij Templi Sanctuario Ara ex inaurato cedro facta cõſiſtebat, ubi Sacerdotes odoratum ſuffimen manè & ueſperi DOMINO incendere ſoliti ſunt. De Eccleſiæ Ara deq; eiuſdẽ Sacerdotibus & ſuffimento, quod ij DOMINO aſsiduè adolebunt, D. Paulus 13. ad Heb. ſcribit: Habemus Altare ex quo edendi poteſtatem nõ habent qui Tabernaculo deſeruiunt: quorum enim animaliũ ſanguis in Sancta infertur per Pontificem, eorũ corpora cremantur extra caſtra. Quapropter & IESVS, ut per ſuum ſanguinẽ populum ſanctificaret, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra eius opprobriũ portantes: Non enim habemus hic manentẽ ciuitatem, ſed futurã inquirimus. Per ipſum ergò aſsiduè offeramus laudis hoſtiam Deo, hoc eſt labiorum fructum, eius nomini confitentiũ. Beneficentiæ aũt & cõmunicationis ne obliuiſcamini: talibus enim hoſtijs propitiatur Deus. Et Ioannes Apoc. 5. Quũ Agnus librum de dextera ſedentis in throno accepiſſet, quatuor animalia & 24. Seniores ciderunt ante Agnũ, habẽtes ſinguli citharas aureasq; phialas, ſuffimentorũ plenas, quę ſunt ſanctorũ Orationes, & cecinerũt, dicen-

Chryſ. ſuper Geneſ. Sacrificium precũ ſi quid incepturi ſumus Domino prius offerendum.

Teoph. Per Chriſtum tanquã noſtrum Põtificem offeramus laudis hoſtiam Deo Patri, hoc eſt, gratiarũ actiones, agendę nanq; per nos ſunt gratiæ Patri, quia Filium ſuum tradiderit ut nobis ſanctimoniã largiretur.

Beda: Incenſum uel thymiama orationem ſignificat.

dicentes: Dignus es qui librum accipias,& eius ſigilla aperias: quoniam occiſus es, nosque Deo in ſanguine tuo redemiſti ex omni tribu, & lingua, & populo, & gente: nosq; feciſti Deo noſtro Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Ac rurſus cap. 8. Alius (quidã) Angelus uenit, & ante Altare ſtetit, thuribulum habens aureum, eique data ſunt multa ſuffimenta, ut de Sanctorũ omnium orationibus daret ſuper aureum Altare, quod eſt ante thronum: Aſcenditque fumus ſuffimentorum de orationibus Sanctorũ ex Angeli manu coram Deo. Eucherius Aræ illius aureæ, in medio Sanctuario ſuffimentis conſecratæ, myſteria hunc ferè in modum perſequitur: Altare aureum corda ſignificat perfectorum iuſtorum (uero illi noſtro Altari CHRISTO conſecrata, &) internæ caritatis atq; caſtitatis luce coruſca: quorum ſublimitati ſignificandæ etiã locus conuenit eiuſdem Altaris, ſtabat enim ante oſtium ſancti ſanctorum. In quo uidelicet Altari, non hoſtiarum ſanguis neq; libamina, ſed thymiamata tantum incendebantur, quorum fumus ad ſuperiora aſcendens, operiebat Arcam atque Oraculum, & ſuauitatis odore implebat: In quo figuram exprimebat ſanctorũ, qui dum neglectis temporalium rerum cupiditatibus, tota intentione cœleſtia quærunt, uelut intùs in uicinia Oraculi ſunt poſiti, nec longè ſunt remoti à Velo, quo Templum & Sancta ſanctorum dirimuntur: quia corpore tantum terram incolunt, cæterum ſecundum interiorem hominẽ totam habent conuerſationem in cœlis. Aſcenditque ab huiuſmodi Altari fumus incenſorum in Sancta ſanctorum, ubi Arca eſt repoſita, cum orationes ſanctorum flamma caritatis (& diuini Spiritus igne) excitatę ad cœlum uſque perueniunt, ubi CHRISTVS eſt, ad dexteram Dei ſedens: Non enim in hoc Altari ſanguis hoſtiarum, ſed thymiamata tantum incenduntur, quia tales

Christus eſt Angelus ille qui ſanctos & per ſuum Spiritũ uera adolere ſuffimenta, id eſt, preces fundere docet, & eorum orationes ad Patris deferens conſpectũ, ut exaudiantur ſua intercesſione perficit.

Philip. 3.

Coloſſ. 3.

Tert. ad Scapul. Deus cōditor uniuersitatis non eget odoris; cui nos eo modo sacrificamus, quo modo præcepit, pura scilicet prece.

uiri non peragunt amplius mortalia opera carnis & sanguinis, quæ in Ara sui cordis (super CHRISTO) immolantes DOMINO mactent, sed lachrymarum orationisq; uota & spiritualium desideriorum odoramenta in conspectu sui Conditoris offerunt. De spiritualibus fidelium suffimentis per CHRISTVM Deo adolendis & reliqui Patres testantur: sic enim Tertullianus contra Marc. Samarites à CHRISTO curatus, per fidem intellexit, ueram se Deo omnipotenti oblationē, gratiarum scilicet actionem, apud uerum Templū & uerum Pontificem eius CHRISTVM facere debere. Et Augustin. Quæst. Euang. Quando DOMINVS dixit, quid enim maius aurum, an Templum per quod significatur aurum? Et item dixit: Quid enim maius est donum, an Altare quod significat donum? Intelligendum templum & Altare ipsum CHRISTVM: Aurum & donum laudes & sacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus: non enim ille per hæc, sed ista per illum sanctificantur.

Lucæ 10.

Vide Lact. de uero cultu cap 25. & Epito. cap. 2.

Matth. 23.

Aureum Candelabrum cum decem alijs in Sanctuario aureis Candelabris.

In Salomonij templi Sanctuario præter ingens illud solidum aureum Candelabrum, alia quoq; decem candelabra, foculis, lilijs & lucernis bellè exornata, hinc atq; hinc posita erant. Si nos remota umbra ipsam propius ueritatem contemplemur secundū ipsum caput, CHRISTVM inquam, spiritualibus conspicuum lampadibus, eius subiectum occurret corpus, Catholica nimirū Ecclesia unà cum particularibus singulis suis cœtibus: Quæ ut à CHRISTO uero illo Candelabro & propria luce per sanctum Spiritum illustratur, sic quoque eiusdem nomina assumit. Id quod ex subiectis patebit exemplis: Zacharias in 4. suæ Prophetiæ cap. Ecclesiæ renouationem sub Ierosolymæ figuratam instauratione, prospiciens ait: Vidi Candelabrum totum aureum, & eius in capite Lampas (erat) & super id septem

eius

eius lucernæ, & ad ſeptē in eius capite lucernas ſeptem infundibula. Vbi Hieronymus: Candelabrum auro puriſsimo Eccleſiam Eccleſiaſtici Viri intelligunt (auro diuinæ gloriæ decoratam) Lampadē, id eſt, flammam in uertice Candelabri lucentē atq; fulgentē, Chriſtum, qui de ſeipſo dicebat: Nemo lucernã accendit, &c. Lucernas ſeptem & effuſoria earum ſeptem gratias ſancti Spiritus, per quas oleum miſericordię Dei cunctarumque uirtutum Eccleſia ſuſcipit. Apocalypſeos uerò 1. ipſe DOMINVS particulares Eccleſiæ cœtus expreſſe Candelabra uocat, atteſtante nobis Iohanne his uerbis: Vidi ſeptem aurea Candelabra, & in medio ſeptē Candelabrorũ ſimilē Filio hominis (qui) habebat in ſua dextera ſeptem ſtellas, & dixit mihi: Scribe quæ uidiſti: Sacramenta ſeptem Stellarũ, quas in mea dextera uidiſti, & ſeptem aureorũ Candelabrorũ (eſt hoc) Septem Stellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarũ, & ſeptem Candelabra quæ uidiſti, ſeptē Eccleſiæ. Sed & Eccleſiæ Doctores ſingulaq; in eadem membra à Chriſto Chriſtiq; Spiritu lucernæ & lumina appellãtur: CHRISTVS enim qui Apoc. 21. lucerna Ciuitatis Dei uocatur, & Ioan. 8. ſeipſum lucem mundi appellauit. Ioan. 5. coram Iudæis de Baptiſta teſtatur: Ille ardens lucensq; lucerna erat, uos autē in eius luce ad horam exultare uoluiſtis. Idem ſuos Apoſtolos in hũc allocutus eſſe modũ dicitur: Vos eſtis lux mundi, Nunquid accenditur lucerna, ut ſub modio ponatur aut ſub lecto? nōne ut in candelabro ponatur? ut intrantes uideant lumen, & (idem) omnibus qui in domo ſunt luceat? Sic luceat ueſtra lux coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentque ueſtrum Patrem qui eſt in cœlis, Matth. 5. Mar. 2. Luc. 8. 11. & Matt. 25. eoſdem per ſimilitudinē de decem Virginibus, quę ſumptis ſuis lucernis profectę ſunt obuiã Sponſo, ut ad Domini ſui aduentum expediti ſint, admonet.

Matth. 5.

Auguſt. In medio Candelabrorũ ſimilis Filio hominis Chriſtus eſt in medio Eccleſiæ.

Cyrill. illud ex Pſal. 131. Paraui lucernam Chriſto meo, de Iohanne Baptiſta accipit.

Chryſ. Accēdentes Lucernã ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Candelabrum eſt Eccleſia, quæ baiulat Verbum uitæ, & omnis Eccleſiaſticus uir.

Lucæ autem 12. apertius sic fatur: Sint lumbi uestri præcincti & ardentes lucernæ. Quinetiam Paulus singula Philippensis Ecclesiæ membra luminaria uocat: Omnia facite sine murmurationibus ac disceptationibus, inquiens, ut irreprehensi sinceriq́ue Dei filij sitis, inculpati in medio prauæ peruersęq́ue nationis (hominum) quos inter lucete tanquã in mundo luminaria. At subijciat quis quónam pacto hæc distinguenda sint, uel qua ratione tum CHRISTVS, tum ipsius Apostoli cæteriq́ue sancti Viri lux, lucernæ atque luminaria simul denominari queant? Respondet Cyrillus lib. 1. in Iohan. Quamuis & Baptista & cęteri omnes sancti uiri lux esse à Scriptura dicuntur, non ignoramus tamen unde gratiam largitionemq́ue luminis consecuti sunt: non enim propria illi luce illuminati, nec proprium lucerna possidet lumẽ: sed illuminatione ueritatis splendẽtes, quasi luminaria mundi sunt, uitæ uerba retinentes. Vita uerò cuius uerba retinentes lux efficiuntur, nulla profectò alia est quàm ille qui dicit: Ego sum uita. Vita igitur uerè lux est, cuius participatione, non consecutione naturæ, cętera lux esse profecto uidentur. Et lib. 5. Vnusquisque Apostolorum lux quidem erat per gratiæ participationem & spiritualis splendoris communicationem, CHRISTVS uerò substantialiter & sua natura lux est uera & immensa. Apostolos uerò cæterosq́ue in Ecclesia sanctos uiros ab ipso Christo spirituale suæ lucis intùs habere lumẽ: id & Macarius Aegyptiacus Hom. 43. indicat, dicens: Christiani diuino igne, Dei scilicet Filio, accensi ardentes in suis cordib. habent lucernas, & coram Deo adhuc in terra uersantes (in partibus) lucent, sicut ipse Christus (in toto) Ait enim Propheta ad Christum: Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, indicans eum CHRISTVM uocatum esse, ut eodem, quo ipse est unctus oleo, & nos uncti Christi simus, eiusdem

Phil. 2. | Iohan. 14. | Iohan. 1. | Psal. 109.

iuſdem(ut ita dicam)eſſentiæ &unius corporis.Rurſus enim Scriptura dicit: Sanctificans ipſe & ſanctificati ex uno omnes.Sin in ipſis ex lucerna deitatis non relinquitur aliquid,nihil ſunt. Et Lactantius: Non mentis ſuæ cõpos putandus eſt, qui auctori & datori luminis Candelarum aut cereorum lumen offert pro munere,aliud uerò ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidũ, ſed limpidum ac clarum,mentis ſcilicet,quod exhibere non poteſt,niſi qui à CHRISTO acceperit.

Heb. 2.

In Salomonij Templi Sanctuario Sacerdotes de panibus in aurea Menſa propoſitis ueſcebantur, ijdẽ quoque in Exhedris extra interius atrium conſtitutis,& puri Iſraelitæ cum mundis mulieribus in cœnaculis ad angulos exterioris Atrij muri poſitis ſacroſancta atque uictimas pollucebant: In noſtri Salomonis Templo ſpirituales illi Sacerdotes atque ueri Iſraelitæ iugiter pro eo pane qui propoſitionis panibus adumbratus eſt, iuxta ſui DOMINI inſtitutionem,hoc modo ſupplicant:Panem noſtrum τὸν ἐπιούσιον, (id eſt, † ut Auguſtinus atq; Hieronymus tum transferunt, tum interpretando explicant, ſuperſubſtantialem ſeu peculiarem illum de cœlo deſcendentem panem, qui internam noſtræ animæ ſubſtantiam fulciat)da nobis hodie, Matthæi ſexto,Lucæ undecimo cap. Hic cœleſtis Sionis populus omneſque laſſæ atque afflictæ mentes DOMINI bonitate replentur, Ieremiæ trigeſimo prmio cap. Hic pauperes (illi Spiritu æterno) uictu paſcuntur, Pſalmo 132. Hic qui eſuriunt ſitiuntque iuſtitiam, ſaturantur, Matthæi quinto cap. Hic comedunt manſueti, eorumque cor (ex comeſto uitæ cibo confirmatum) uiuet in perpetuum, Pſalmo uigeſimo tertio, & centeſimo tertio. Hic Deum timentes prudentiæ pabulo ſuſtentantur, Syrach. decimo quinto cap. Hic CHRISTVS ſuam

Mãducatio panum propoſitionis & uictimarum in Templo.

Hier. in Epiſt. ad Tit. Tantũ intereſt inter propoſitionis panes & corpus Chriſti, quantũ inter umbrã & corpora, inter imaginẽ & ueritatẽ, inter exemplaria futurorũ, & ea ipſa quæ per exemplaria præfigurabantur.

Ecclesiam nutrit, suisq; spiritualibus uictoribus abscondito Manna & ligno uitæ quod in medio est Dei Paradisi dat uesci, Ephes. 5. Apoc. 2. Hìc, dico, idem omnes fideles cibum in omnem perennitatem permansurum quærentes, seipso & propria sua carne, quæ uerè est æternus cibus, pascit, Iohan. 6. Hìc credentes donum cœleste, & quàm bonus atque suauis sit DOMINVS gustant, Psal. 34. 1. Pet. 2. Hebr. 6. Hic perfectiores per habitum sensus ad boni malique discretionem exercitatos habentes solido cibo nutriuntur, Hebr. 6. Hìc demum rudes sermonis iustitiæ & recens nati infantes τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα rationale illud & infraudulentum lac appetunt, ut in eo succrescant, 1. Pet. 2. Heb. 5.

Aug. Manna absconditum est panis qui de cœlo descendit (Christus nempe) cuius figura fuit Mãna in eremo. Idẽ est etiam lignum uitæ in medio Paradisi. i. Ecclesia.

Aug. in Ioan. Epistolã: Lac nostrũ Christus humilis est, cibus noster idem ipse æqualis Patri.

† *Augustin. de uerbis* Domini, *Serm. 28.* Christus *in oratione* Dominica *docuit orare panem nostrum: panem quidem dixit, sed* ἐπιούσιον, *hoc est, supersubstantialem:* Non *iste (est) panis qui uadit in corpus, sed ille panis uitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Hieron. *Commen. in* Matt. *6. cap. lib. 1.* Q*uod nos (in* Dominica *oratione) supersubstantialẽ expreßimus, in* Græco *habetur* ἐπιούσιον, *quod uerbum* LXX. Interpretes περιούσιον *frequentißime transferunt.* Con*sideravimus ergo in* Hebræo, *& ubicunq; illi* περιούσιον *expresserunt, nos inuenimus* סגלה *quod* Symmachus ἐξαίρετον, *id est, præcipuum uel egregium transtulit: licet in quodam loco peculiare interpretatus sit.* Q*uando ergò petimus ut peculiarem uel præcipuum nobis* Deus *tribuat panem, illum petimus qui dicit:* Ego *sum panis uiuus qui de cœlo descendi.* Idem *3.* Comment. *lib. in* Epist. *ad* Titum: *Illud quod in* Euangelio *secundum* Latinos *interpretes scriptum est:* Panem *nostrum quotidianum da nobis hodie, melius in* Græco *habetur, panem nostrum* ἐπιούσιον, *id est præcipuum, egregium, peculiarem: eum uidelicet qui de cœlo descendens ait:* Ego *sum panis qui de cœlo descendi.* Ab*sit quippè ut nos qui in crastinum cogitare prohibemur: de pane isto qui post paululum concoquendus & abijciendus est in secessum, in prece* Dominica *rogare iubeamur.* Q*uidam* ἐπιούσιον *existimant in oratione* Dominica *panem dictum, quòd super omnes* οὐσίας *sit, hoc est, super uniuersas* Creaturas. Q*uod si accipitur, non multũ ab eo sensu differt, quem exposuimus:* Q*uicquid enim egregium est & præcipuum, extra omnia est & super omnia.*

Sacerdotes & Leuitæ.

In terreno ueteris Testamenti Fano typici Sacerdotes atque Leuitæ erant, qui & pro seipsis & pro populo supplicabant, suffimentisq; ac sacrificijs umbraticis operabantur. In spirituali noui Fœderis templo & alij spirituales atque ueri sub summo & præcipuo illo Sacerdote CHRISTO IESV deprehenduntur Sacerdotes ac Leuitæ, de quibus Esaiæ 61. huiusmodi extat prophetia: Vos DOMINI Sacerdotes uocabimini, Dei nostri ministri

nistri dicemini. Et 66. cap. Filij Israelis munus in uase mundo in DOMINI Domũ inferent, & ex eis ego Sacerdotes & Leuitas assumam. Vbi Hieronymus: Quomodo in abscondito Iudæus est, qui Spiritu circuncidi- Rom.2. tur: de quo scriptum est, Nos sumus circuncisio, qui spi- Phil.3. ritu Deo seruimus, & offerimus spirituales uictimas placentes Deo, psallimusq; spiritu & sensu: Sic & Sacerdotes & Leuitæ in abscondito sunt, qui non seriem generis sequuntur, sed ordinem fidei. Et per eos primũ Apostolici uiri ex populo Iudæorũ intelliguntur, de quibus unus ex ipsis loquebatur: Sic nos reputet homo quasi 1.Cor.4. ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorũ Dei. Et Lucas Euangelista: Sicut tradiderunt (inquit) nobis, Luc.1. qui à principio uiderunt, & ministri fuerunt Sermonis. Deinde Gentes & Aphrycæ, Libiæ, Cappadociæ, Italię, Græciæ, cunctarumq; Insularum habitatores, qui primũ non audierant DOMINVM, nec uiderant gloriam eius, & postea uertentur in Sacerdotes. Porrò in uase mundo usq; hodie offerunt in Domo Dei, quę est Ecclesia, filij Israel, qui mente conspiciunt Deum, hostias spirituales, cum fructibus atq; uirtutib. animæ suæ in uasis mundis, hoc est in sanctis corporibus, de quibus Apostolus scribit: An ignoratis quia Tẽplũ Dei estis, & Spiritus 1.Cor.3. sanctus habitat in uobis. Spirituales illos noui Testamẽti Sacerdotes D. Petrus his appellat uerbis: Accedentes 1.Pet.2. ad Dominũ ipsi quoque ueluti uiui lapides ędificemini spiritualis Domus, sanctũ Sacerdotiũ ad offerendũ spirituales hostias Deo per Iesum Christũ acceptas. Et paulo post: Vos electũ genus (estis) regale Sacerdotiũ, sancta gens, populus qui in lucrũ accessit, ut uirtutes prędicetis eius, qui uos ex tenebris in suã lucẽ admirabilẽ uocauit. Ioannes quoq; in Apoc. de ijsdẽ ad septẽ Asianas Ecclesias aliquoties sermonẽ infert, ut cap.1. Gratia uobis & pax à Iesu Christo, q nos dilexit, suoq; sanguine à nostris

peccatis abluit, & nos Reges ac Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Et cap.5. Quatuor animalia & uiginti quatuor Seniores prociderunt ante Agnum, habentes ſinguli citharas aureasq́ue phialas ſuffimentorum plenas, quæ ſunt Sanctorum orationes, & cecinerunt, dicentes: Dignus es qui librum accipias, & eius ſigilla aperias, quoniam occiſus es, nosq́ue Deo in ſanguine tuo redemiſti ex omni tribu, & lingua, & populo, & gente, nosq; feciſti Deo noſtro Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Item 20. Beatus & ſanctus qui in prima reſurrectione partem habet, in eos ſecunda mors poteſtatem non habet, ſed erunt Dei & Chriſti Sacerdotes, & cum eo regnabunt mille annos. Hęc iam citata dicta Ambroſius reſpiciens, & quaſi in tranſcurſu explicare uolens, lib.4. de Sacramentis cap.1. ſic inquit: Vnuſquiſque ungitur in Sacerdotium, ungitur in regnum. Sed ſpirituale regnum eſt, & ſacerdotium ſpirituale. Item lib.5. in Lucam: Omnes filij Eccleſiæ Sacerdotes ſunt: ungimur enim in Sacerdotiũ ſanctum, offerentes noſmetipſos Deo hoſtias ſpirituales. Et lib.7. Omnes ſumus iuſtitiæ Sacerdotes, qui unctione lætitiæ in regnũ & Sacerdotium conſecramur. Hieronymus quoque in Malachiam commentatur: Genus ſacerdotale & regale ſumus omnes qui baptizati in CHRISTO, CHRISTI cenſemur nomine.

Lineæ atq; biſſenæ Sacerdotum ueſtes.

Sacerdotes & Leuitæ ad interius Atrium uel Sacrarium ſubituri, ibidemq́ue legales perfecturi Ceremonias, profanũ ſuum amictum antè in Exhedris, in eum uſum aptis, exuebant, ſacrasq; lineas atque biſſenas induebant ueſtes: Si nos ueros illos Dei Sacerdotes & Miniſtros, qui per IESV ſanguinẽ liberum ad cœleſte Sacrarium nacti aditum, illic Patrem in ſpiritu & ueritate adorabunt, grataq; ei facient ſacra, reſpiciamus: quænam ij

Hebr. 10.
Iohan. 4.

nam ij uestimenta exuent, quibúsue contra se induent, Bibliorum monumenta sparsim declarant, ut 1. Pet. 2. Deposita omni malitia, omniq; dolo & simulationibus & inuidijs, & omnibus obtrectationibus, ædificemini ut spiritualis Domus, sanctum Sacerdotium, ad offerendas spirituales hostias Deo per IESVM CHRISTVM acceptas, Ephes. 4. Vos non ita CHRISTVM didicistis, siquidem eum audiuistis, & in eo edocti estis ueterē hominem deponere, mentis autē uestræ spiritu renouari, & nouum hominē induere, qui secundū Deum creatus est in iustitia & ueritatis sanctitate, Col. 3. Nunc uos omnia deponite, iram, indignationē, malitiam, maledicentiam, sermonis turpitudinem ex ore uestro, nolite alij in alios mentiri, exuti ueterem hominē cum suis factis, indutiq; nouum qui renouatur in cognitionem iuxta eius imaginem qui ipsum creauit, ubi nō est Græcus & Iudæus, circuncisio & præputiū, Barbarus, Scytha, seruus, liber, sed (&) omnia, & in omnibus CHRISTVS. Induite igitur ut Dei electi, sancti ac dilecti uiscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, mansuetudinē, patientiam: sed super hæc omnia caritatē, quæ perfectionis uinculum est. Psal. 132. Tui Sacerdotes iustitia induantur. Rom. 13. Induite DOMINVM IESVM CHRISTVM, néue carnis curam in concupiscentijs peragite. Gal. 3. Quicunq; in CHRISTVM baptizati estis, Christum induistis. Quòd uerò DOMINVS Sacerdotibus interdixerat, ne sacras uestes extra interius Atriū usquā ad populum efferrent, id Hieron. in Ezech. huiusmodi explicatione interpretatur: Quando procedendum est ad eos, qui non possunt Templi adita penetrare, nec diuinæ scientię arcana cognoscere, Sacerdotes nequaquā ad eos foràs egrediantur cum his uestimentis, quib. intrinsecùs induti erant, uiscera uidelicet misericordię, & DOMINVM Saluatorem, de quibus scriptū est: Indui-

Hier. Veterē hominē deponimus cum pristinos huius mūdi errores deponimus, & non mēbris corporis, sed mente & conuersatione mutamur.

Ambr. Hic induit Christum, qui se ab omni errore & turpitudine separat.

Idem. Credentes dum immutantur Christū induunt, quando hoc appellantur quod credunt.

Coloss. 3.

Rom. 13.

mini DOMINVM IESVM CHRISTVM, nec his utantur ſermonibus, de quibus loquitur Deus: Myſteriũ meum mihi & meis: ne incurrãt in illud quod Saluator prohibet, dicens: Nolite dare Sanctũ canibus, nec proijciatis margaritas ante porcos: Sed ponent ueſtimenta ſua intrinſecùs, quibus induuntur quando miniſtrãt in Templi aditis: ſancta enim ſunt, & ad eos qui perfectam non habent ſanctitatẽ, non debent proferri, accipientq; alia ueſtimenta, & ſic procedent ad populũ, inquit DOMINVS, acſi diceret: Sic loquentur ad populũ, quomodo poteſt audire popul9. Vnde & Apoſtolus Corinthijs loquebatur, in quibus audiebatur fornicatio, & talis fornicatio, quæ nec inter Gentes quidẽ: Lac uobis potum dedi, nõ eſcam, id eſt, ſolidũ cibum, necdũ enim capere poteratis. Ad quos rurſum dicit: Filioli mei, quos iterũ parturio, donec Chriſtus formetur in uobis: Paruulis enim atq; lactentib. nõ ſolũ nõ prodeſt ſolidus cibus, ſed interficit eos, qui perfectę ętatis hominib. congruit. Idẽ aduerſus Pelag. & aliã huius myſterij affert rationẽ, inquiens: Sacerdotes Templi myſtici, quod interpretatur Eccleſia, filij Sadach cũ ueſtimentis miniſterij non egrediuntur ad populũ, ne humana conuerſatione ſanctificati maculentur.

Matth. 7.

Ezech. 42.

1. Corint. 5.

Sacerdotes & Leuitę dum in interiori uerſabantur Atrio, neceſſe erat ut puri & ſobrij exiſtentes, ſe à coniugibus & mero prorſus abſtinerent. Sic Paulus ab ijs qui in ſpirituali Sacro pio Deũ cultu atq; honore dignabuntur, hoc in primis requirit, ut fidei myſteriũ in pura habeant conſcientia, 1. Tim. 3. puraſq; manus ſuſtollant, 1. Tim. 2. Idem bonũ homini eſſe teſtatur mulierẽ nõ tangere: cõiugatis uerò auctor eſt, ut ex mutuo ad tempus conſenſu à cõgreſsibus, quò tantò rectius ieiunijs & precationib. uacare poſsint, abſtineant, 1. Cor. 7. Verũ 3. ad Tit. cap. nominatim de hac re nos omnes ſic cõmonet: Appa-

Hier. In ueteri lege qui pro populo hoſtias offerebant nõ ſolum in domibus ſuis nõ erant, ſed purificabantur, ad tempus ab uxoribus ſeparati. & uinũ atq; ſiceram non bibebant, quę ſolent libidinẽ prouocare.

Apparuit Dei gratia, cunctis hominibus salutaris, quæ nos erudiat, ut impietate mundanisque cõcupiscentijs abnegatis, sobriè & iustè pieque uiuamus in hoc seculo, expectantes beatam illam spem & apparitionẽ gloriæ magni Dei & Seruatoris nostri IESV. Et ꝑducto iamiam prioris ad Corint. Epist. 7. cap. ait: Cæterũ hoc dico fratres, Tempus contractum est, reliquum est ut & qui uxores habent, perinde sint acsi non habeant: & qui plorant, acsi non plorent: & qui gaudent, acsi non gaudeant: & qui emunt, acsi non possideant: & qui utuntur hoc mundo, acsi non utantur: præterit enim species huius mundi, ego autem uos sine sollicitudine esse uellem.

In interiore Salomonij Templi Vestibulo uaria indies pura animantia mactabantur, æreęq; imposita Arę illic in subiecto igne, futurarũ rerum exemplo, DOMINO pro holocaustis urebantur. Quales uerò ipse DOMINVS cum à Iudæis, sub eorundem holocaustorum umbra, litationes propriè exegerit, tum uerò maximè à Christianis hodie, postquã ij unica CHRISTI oblatione in perpetuũ sanctificati, umbræq; præsente ueritate omnes discussæ, abolitæq; & in spiritualẽ translatæ sint cultũ, requirat, sacri libri plurimis in locis palàm ostendunt: ut 1. Reg. 15. Nunquid DOMINVS uult holocautomata & uictimas, an uerò potius ut obediatur uoci DOMINI? Ecce obedientia melior est sacrificio, & obtemperatio arietũ adipe. Psal. 50. Audi mi populus (inquit Dominus) & loquar: Deus Deus ego tuus sum, Nõ (equidem) te propter sacrificia tua nec propter tua holocautomata, quòd ea non semper coram me fuerint, arguã. Non uitulos ex tua domo, non hircos è tuis caulis accipiã: nam meę sunt omnes syluarũ feræ, iumenta in montibus & boues. Omnia ego cœli uolatilia cognosco, agrestesq; feræ mecum sunt. Si esuriero, non est ut tibi dicam: quia meus est terrę orbis, & eius (tota) pleni-

Victimæ in ærea Ara factæ.

Heb. 9. 10.

Vide Iren. lib. 4. cap. 32.

Tertul. Vera Dei omnipotẽtis oblatio gratiarũ actio.

tudo. Nunquid ego taurorum carnem comedam, uel hircorum bibam ſanguinem? Immola Deo laudis ſacrificium, & redde Altiſsimo tua uota. In anguſtiæ die me inuoca, & ego te eruam, tumq; me glorificabis. Pſal. 51. Si ſacrificium uoluiſſes, dediſſem: holocauſtis utiq; non delectaberis. Sacrificia Deo (accepta) ſunt contritus ſpiritus, cõtritum humiliatumq; cor Deus non deſpicies.

Hieron. Offerentium uoluntatem & fidem Deus quærit, non externa & hoſtiarum multitudinem.

Eſa. 1. Quid mihi uictimarum multitudinẽ offertis? inquit DOMINVS. Satur ſum arietũ holocauſtis, & pinguium uictimarũ adipe, uitulorũ, agnorumq; & hircorum ſanguinẽ non uolo. Quum ueneritis ad cõparandum coram me, quis hæc è ueſtris manibus quæſiuit, ut atria mea cõculcaretis? Lauamini, mundamini, ueſtrarum cogitationũ malũ ab oculis meis auferte, oppreſſo ſubuenite, iudicate pupillo, defendite uiduam. Rom. 12. Obſecro igitur uos per Dei miſericordiam, ut præbeatis corpora ueſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam, Deo acceptam, rationalem ueſtrum cultũ. Heb. 13. Per IESVM aſsiduè offeramus laudis hoſtiam Deo, hoc eſt, labiorũ fructum, eius nomini confitentiũ. Beneficentiæ autem & cõmunicationis ne obliuiſcamini: talibus enim hoſtijs propitiatur Deus. Rom. quoq; 15. Ethnicorum conuerſio hoſtia Deo accepta, Et Phil. 4. ſubſidium Paulo miſſum, bonæ fragrantiæ odor & gratum Deo ſacrificium appellatur. Huc nunc ex Eccleſiaſticis nõnulla Patribus aſcribemus teſtimonia, quæ & allatos modò locos clariores reddẽt, & quomodo legales uictimæ, præter CHRISTVM, in eiuſdem corporis membra collimârint, liquidò demonſtrabunt. Lactantius Epitom. cap. 2. Sequitur ut oſtendam, quid ſit uerũ ſacrificium Dei, quis iuſtiſsimus ritus colendi: ne quis arbitretur, aut uictimas, aut odores, aut dona præſentia deſiderari à Deo: à quo ſi fames, ſi ſitis, ſi algor, ſi omniũ rerum terrenarũ cupiditas abeſt, non ergò utitur ijs omnibus,

Rationalis cultus eſt ſpiritualis ille cultus, qui iuxta noui hominis rationem ex diuina profectam ſapientia peragitur.

quæ

quæ Templis alijsq; fictilibus inferuntur: sed sicut corporalibus corporale, sic utique incorporalibus incorporale sacrificium necessariũ est. Illis, quæ in usum tribuit homini Deus, ipse non indiget, & est omnis terra sub potestate ipsius: non indiget templo, cuius domiciliũ mundus est: non indiget simulachro, qui est & oculis & mente incomprehensibilis: non indiget terrenis luminibus, qui solem cum cęteris astris in usum hominibus potuit accendere. Quid igitur desiderat Deus, nisi cultũ mentis, qui est purus & sanctus? Nã illa quæ aut digitis fiunt, aut extra hominẽ sunt, hoc sacrificium uerum non est: nec quod ex arca, sed quod ex corde profertur: nõ quod manu, sed quod mente libatur. Hæc acceptabilis uictima est, quam de seipso animus immolat. Nam quid hostiæ? quid thura? quid uestes? quid aurum? quid argentum? quid pretiosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est? Sola ergo iustitia est, quam Deus expetit: in hac sacrificium, in hac Dei cultus est. Cyrillus contra Iulianum: Illi qui ex sanguine Israel erant, offerebãt Deo boues & oues, turtures & columbas, & ex fructib. & similam oleo sparsam, & lagana, & thura. Nos autẽ tam crasso ministerio relicto, præceptum habemus, ut tenue ac spirituale & subtile perficiamus: Offerimus enim in odorem suauitatis Deo uirtutes omnigenas, fidem, spem, caritatem, iustitiam, cõtinentiam, obedientiam, facilitatẽ, perpetuas laudes & alias uirtutes: Istud enim sacrificium minimè carnale, simplicem & secundum naturam incorporeum decet Deum. Et mentalis fragrantię oblationes sunt uerè honestę uitæ modi. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 10. cap. 5. Quòd ab antiquis Patribus sacrificia facta sunt in uictimis pecorum, quæ nunc Dei populus legit & non facit, aliud nihil intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas quæ aguntur in nobis, ad hoc ut inhæreamus Deo, & ad eun

Idẽ de Cultu cap. 25. Duo sunt quæ offerri debẽt, donum & sacrificiũ: donum est integritas animi. Sacrificium laus & hymnus.

dem finem proximo consulamus. Sacrificium ergò uisibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est. Et eodem lib.cap.4. Deum unigenito eius Sacerdote placamus, ei cruentas uictimas cædimus, quando usq; ad sanguinẽ pro eius ueritate certamus, ei suauissimũ adolemus incensum, cum in eius conspectu pio sanctoq; amore flagramus, ei dona eius in nobis nos que ipsos uouemus & reddimus, ei sacrificamus hostiã humilitatis & laudis in ara cordis igne feruidę caritatis. Origenes: Habeat in se anima defixum Altare, in quo orationũ hostias & misericordiæ uictimas Deo offerat, in quo ueteris hominis superbia quasi taurus immoletur, iracundia, quasi aries iuguletur, luxuria tanquã hircus & hœdus secetur. Ambros. in Epist. ad Rom. Apud ueteres ideò oblata occidebatur hostia, ut homines pec cati causa morti subiectos significaret: Nunc uerò quoniam per donũ Dei purificati sunt homines, & à morte secunda (per Christum) liberati, uiuam hostiam debent offerre, ut signum sit uitę æternæ: non enim sicut tunc corpora pro corporib. immolantur, nunc uerò nõ corpora, sed corporis uitia sunt perimẽda. Beda: Altare holocausti uitam designat iustorũ, qui carnem suam quotidie crucifigere cum uitijs & cõcupiscentijs, atq; in hostiam uiuentem Domino offerre consueuerunt. Idem rursus: Carnaliter natus necesse habet in Altari cũ Christo mori, renasci & Spiritus eius igne mundari. Et iterũ: Ante omnia in cor nostrum IESVM crucifixũ collocemus, in quo holocausta nostra offeramus, & sic cũ tremore salutẽ operemur, nec cedamus hostibus, sed manè & uesperi, hoc est, à principio cõuersionis usq; ad finem uitæ perseueremus.

Mare fusile duodecim incumbens bubus.

Mare illud fusile ad Septentrionale interioris Atrij latus consistens, CHRISTVM IESVM: aquam uerò in idem

in idem deriuatã, ſanctum deſignaſſe Spiritũ, ſupra auditum eſt. Quòd uerò Sacerdotes inde manus & pedes abluebant Sacrariũ ingreſſuri, aut etiam ad Altaris miniſterium acceſſuri, & DOMINI rem diuinam crematuri, præfigurabatur, ueros Dei Electos (quos, teſte Eucherio, cõſtat Sacerdotes eſſe, eo quòd membra ſummi Sacerdotis DOMINI IESV CHRISTI ſint) neceſſe habere, quoties in cœleſti Sanctuario puras leuabunt manus, Chriſtoq́; , certo illi ſuo Altari, in ſanctitate & iuſtitia adſiſtent, & ſeipſos Deo in uiuã offerẽt hoſtiam, ut cum Dauide: Ablue me Deus à mea iniquitate, & à meo peccato purga me, Pſal. 51. ſupplicent. Siq́; hęc eorũ precatio ex animo & uera fide fiet, tunc uerè cũ eodem Dauide dicere poterunt: Aſpergas me Domine hyſſopo, & mundabor, laua me, & niue ero candidior, Pſal. 51. Odi malorum Eccleſiam, cum impijs non ſedeo. Lauo in innocentia meas manus, tuã Domine Aram circundabo. Pſal. 24. Et cum Sponſa: Laui meos pedes, quomodo eos inquinabo? Cant. 5. Tum quoq; ea Scripturæ loca in illos propriè cadent, quę ſic habent: Qui in iuſtitia ambulat, & manus ſuas, ne munera ſuſcipiat, excutit, is in excelſis habitabit, eiusq; aquę ueraces erunt, Eſa. 33. Quis aſcendet in montẽ Domini, & quis in eius ſanctitatis loco ſtabit? mundus manibus & mundus corde, hic à Domino benedictionem, & à Deo ſuę ſalutis iuſtitiam accipiet, Pſal. 24. 68. Qui lotus eſt, non opus habet niſi ut pedes lauet, quin totus mundus eſt, & uos mundi eſtis, Ioan. 13. Quænam uerò hìc manus intelligendæ ſint, Hieronymus libro in Matthæum ſecundo demonſtrat: Manus, id eſt opera, inquiens, non ſaltem corporis, ſed animæ præſertim lauandę ſunt, ut fiat in illis Verbũ Dei. Quos etiã pedes lauabimus, ex Auguſt. 56. Tract. in Ioan. his uerbis planũ fit: Quid fratres mei quid putatis? niſi quia homo in ſancto quidẽ Baptiſmo (Chriſti, per

1. Tim. 2.
Lucæ 1.
Rom. 12.

Idẽ de uera & falſa Pœnit. aſſerit, pedum ablutionẽ peccatorum quotidianã remiſsionem ſubindicare. In Pſalmi aũt 94. Explicat. ait, pedes in itinere ad Deũ affectus noſtros eſſe.

Spiritum & ignem) totus abluitur, non præter pedes,
ſed totus omninò : Veruntamen cum in rebus huma-
nis poſtea uiuitur, utique terra calcatur. Ipſi igitur hu-
mani affectus, ſine quibus in hac mortalitate non uiui-
tur, quaſi pedes ſunt, ubi ex humanis rebus afficimur,
1. Iohan. 1. & ſic afficimur, ut ſi dixerimus, quia peccatum non ha-
bemus, noſipſos decipiamus, & ueritas in nobis non ſit.
Rom. 8. Quotidiè igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro
nobis : & quotidiè nos opus habere, ut pedes lauemus,
id eſt, uias ſpiritualium greſſuum dirigamus, in ipſa ora-
Matth. 6. tione Dominica confitemur cum dicimus: Dimitte no
bis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus
noſtris: Si enim confiteamur, ſicuti ſcriptum eſt, pecca-
ta noſtra, profectò ille, qui lauit pedes Diſcipulorũ ſuo-
rum, fidelis eſt & iuſtus qui dimittat nobis peccata no-
ſtra, & mundet nos ab omni iniquitate, id eſt, uſque ad
pedes, quibus conuerſamur in terra. Iam quòd Mare il-
lud duodecim Bubus incumbebat, quorum tres ad ſe-
ptentrionem ſpectabant, tres ad occidentẽ, tres ad me-
ridiem, tres ad orientem: qui mari ſuppoſiti poſteriora
tota intus habebant, id inquam omne Eucherius hoc
Hier. in Eſa. Boues operãtes terram myſticè Apoſtoli & uiri Apoſtolici ſunt. modo declarat : Per Boues Apoſtolos & Euangeliſtas,
imò omnes Verbi miniſtros debere intelligi, Apoſtolo
docente cognoſcimus, qui exponens mandatum legis,
Deut. 13. quo dictum eſt, Non alligabis os boui trituranti, nun-
1. Corint. 9. quid de bubus, inquit, cura eſt Deo? an propter nos uti-
1. Tim. 5. que dicitur: nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam de-
Aug. in Pſal. 65. Apoſtolus de annunciatoribus Euangelij dixit intelligendũ, quod ſcriptum eſt: Boui trituranti os nõ infrenabis. bet in ſpe qui arat arare, & qui triturat, ſpei ſuę fructum
percipere. Duodecim ergò Boues duodecim ſunt Apo
ſtoli, & omnes qui uice eorum regendam Eccleſiam in
CHRISTO ſuſceperunt : qui nimirum boues Mare ſi-
bi ſuperimpoſitum portant, cum Apoſtoli Apoſtolo-
rumque ſucceſſores iniunctum ſibi Euangelizandi of-
ficium prompta implere deuotione ſatagunt: Tresque
Aqui-

Aquilonem,tresq; ad Occidentem, tres ad Meridiem, & tres ad Orientē reſpiciunt,cum in uniuerſi quadrati orbis partibus fidem prędicant ſanctæ Trinitatis: Nam Apoſtoli eo myſterio XII.hoc eſt,ter quaterni ſunt electi,ut fidem & confeſsionem ſanctę Trinitatis per quatuor mundi partes euangelizantes, baptizarent omnes Gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: Quorum Apoſtolorū ſucceſſorumq; eorum uerba, actus & paſsiones perfacilè in præſenti uidere uel legēdo cognoſcere poſſumus, quæ uerò illos in futuro maneat gloria retributionis,necdum uidere ualemus. Vnde aptè ſubditur: Quorum poſteriora uniuerſa intrinſecùs latebāt: Intrinſecùs nanque latitant uniuerſa boum poſteriora, quia qua mercēde ſancti Prædicatores in perpetuū donentur,in interni Arbitris examine iam diſpoſitum eſt, ſed nobis qui adhuc foris ſumus,manet omnimodo occultū,quod tūc eſſe occultū nullatenus poteſt. Hęc ille.

Eſa.64.1.Cor. 2. Nec oculus uidit,nec auris audiuit, quæ præparauit Deus ſuis amatoribus.

De decem æneis Lauacris iam antè generatim pauca quędam uerba facta ſunt. Quòd uerò eadem lauacra decem æneis baſibus,ſingula ſingulis, ita impoſita erāt, ut quinq; baſes cum ſuis lauacris ad ſiniſtrū ſeptentrionale,& quinq; ad dextrum auſtrale interioris atrij latus conſiſterent, quò inde inteſtina ac pedes animantium ad holocautomata deſtinatorum purgarentur. Eucherius ſingulas ſpeciatim attingens partes, in hanc interpretatur ſententiam: Multifariam multiſque modis una eademque noſtræ ſalutis Sacramenta præfigurantur: Nam ijdem Apoſtoli uiriqueApoſtolici,qui per Boues Mare portantes deſignati ſunt, deſignantur etiam per Baſes, quæ portandis erant luteribus præparatæ, quomodo ipſi luteres eiuſdem lauacri ſpiritualis, quo in remiſsionem peccatorū emundamur, cuius & Mare,typum gerebant. Holocauſtum autem DOMINI

Decem ænea lauacra totidem æneis baſib. impoſita.

Acto.9.de Paulo dicitur: Iſte electionis eſt mihi uas,ut meum nomē portet coram omnib. Gentibus.

generaliter omnis electorum multitudo potest intelligi, quæ iuxta uocem percursoris baptizata est ab ipso in Spiritu sancto & igne. Sicut ergò Sacerdotes qui in mari lauabantur, formam exprimunt eorũ qui per CHRISTI baptisma in spiritu efficiuntur summi cõsortes Sacerdotij, quod est in ipso Domino IESV CHRISTO: ita etiam holocausta eorundem figuram aptisime prętendunt, cũ sub ablutione baptismi gratia Spiritus sancti implentur. In utraque parte Templi sunt bases positæ luterûm, ut utrique Dei populo sacri fontis gratia signaretur esse pandenda. Sicut autem in uno Mari super duodecim boues posito, unitas exprimitur Baptismatis CHRISTI, quæ per Apostolos toto erat orbi prędicanda: ita & per duos ordines luterûm mysticè ostenditur, quia Gentilitas cum Iudæa in unum fidei consortium post baptismatis erat undam colligenda: Nam etsi in geminis luteribus hostiæ lauabantur, quædam quidem à dextris Atrij, quædam uerò à sinistris, uno tamen igne consumebantur altaris, ut holocaustũ fierent: quia siue quis in parte circuncisionis siue præputij lauacrum susceperit, uno omnes Spiritu, ut filij Dei fieri posint, sanctificantur. Hinc etenim Apostolus: Sed accepistis, inquit, spiritum adoptionis, in quo omnes filij adoptionis efficiamini, in quo nimirum Spiritu clamamus: Abba Pater. Vnum, inquit, Spiritum accepistis, in quo omnes filij adoptionis efficiamini, in quo nimirum Spiritu clamamus: Abba Pater. Abba uidelicet, qui ex Hebręis uenimus ad fidem: Pater, qui ex Gentibus, uarijs quidem linguis pro diuersitate nationum, sed unum eundemq; Deum Patrem per unius donum Spiritus inuocantes.

Rom. 8.

Cum Sacerdotes iuuencũ marem holocausto destinatũ in ærea interioris Atrij Ara facturi erant, id huiusmodi ex Mosaico pręscripto peragebatur ratione, ut

scilicet

ſcilicet primò eum iugulatum excoriarent, eiusq; ſanguinem ſuper Aram circumſpergerent, & fruſtulatim ipſum in Menſis eodem in Atrio cõſiſtentibus diſſecarent. Deinde ignẽ ſuper Aram ſtatuerent, ligniq; ſtruem in igneni excitarent, & de fruſtis caput ac ſebum ſuper ligna igni impoſita congererent. Sub hæc inteſtina & pedes ex æneis decem Lauacris eluerent. Tumq; demũ omnia fruſta ſimul in Ara adolerent: cuius crematæ uictimæ odore, ſi quidem ea ueritatis reſpectu rectè fiebat, DOMINVS delenitus eſſe dicitur. Is certè legis durante pædagogio mos fuit, ſed hodiè CHRISTVS, uerus ille ſecundum Melchiſedechi ordinem Sacerdos, in ijs, quos à legis umbra in ſuam ſtatuit transferre ueritatem, terreſtria perditæ iuuentutis membra uiuo ſuo Sermone, quouis ancipiti gladio acutiore, enecat, ueterisq; hominis pellem deglubit, & in fruſta eos conſcindit, fracta nempè demiſſaq; mente collata. Eorum uerò inteſtina & pedes, id eſt, interiores affectus peccatorũq; reliquias iam inde à priore natiuitate carni tenaciſsimas, in lauacro regenerationis ſuiq; ſanguinis aſperſione abluit: Ac ſic cunctas ex illis partes animam ſcilicet & peccati carnẽ, crucis ligno ſuper Aram, quæ ipſemet eſt, imponit, adhibitaq; Spiritus ſancti flamma perurit, ut ſolida fiant ſacrificia, & in alios omnino decoquantur homines, quorum iuuentus quaſi aquilæ renouata, Deum reipſa deleniat, & uerè ſuauem ad eius nares admoueat odorem. His non multùm diſsimilem Cyrillus in Leuiticum tropologiam proponit, dicens: Si ea quæ de uitulo à Moſe præſcribuntur immolando, ad moralem uelis inclinare locum, habes & tu uitulum, quem (in CHRISTO) offerre debeas. Vitulus eſt, & quidem ualdè ſuperbus, Caro tua, quam ſi uis munus DOMINO offerre, maſculina ſit, quæ fœminam neſciat, concupiſcentiam reſpuat, fragilitatem refugiat;

Menſæ in quibus ſolidæ uictimæ mactabantur atque diſſecabantur.

Leuit. 1.

Pſal. 110. Heb. 5. 6. Rom. 6. 7. Gal. 4. Eph. 2. Ioan. 8. Pſal. 25. Col. 3. Hebr. 4. Ephe. 4. Col. 3. Pſal. 51.

Geneſ. 6. Ier. 17. Pſal. 51. Tit. 3. 1. Pet. 1.

Galat. 5.

Pſal. 103.

Hiero. Caro noſtra uitulus laſciens, laſciuiens ad oſtium tabernaculi, id eſt, ad crucem Chriſti eſt ducenda.

nihil diſſolutũ requirat aut molle. Iugula illam coram Coloſſ.3. Rom.12. DOMINO, mortificans ſine dubio membra tua, quæ ſunt ſuper terram, & rationabili ſenſu eam Deo offeras, operamq́ue des ut ea prorſus oblata, corpore ſis caſtus, mente rectus, corde mundus, moribus emendatus ad proficiendũ in bonis operibus in ſcientia uigilans, fide & actibus, geſtis & intellectu perfectus, ut ad ſimilitudi Rom.8.12. nem hoſtiæ CHRISTI per ipſum CHRISTVM conformari merearis.

Duæ æreæ Columnæ. Duæ æreæ Columnę ad interioris Veſtibuli introitum hinc atque hinc poſitæ, quarum dextera Iachin, id eſt firmitas, ſiniſtra Boaz, id eſt fortitudo dicta eſt, quidnam præter CHRISTVM præfigurare potuerint, Hieronymus & in Ezechielem & in Epiſtolam ad Galatas ſcribens, hoc modo demonſtrat: Columnæ ſunt Eccleſiæ Apoſtoli, & maximè Petrus, Iacobus & Iohannes, ex quibus duo cum DOMINO aſcendere merentur in montem: quorum unus in Apocalypſi Saluatorem in- Apoc. 2. troducit loquentem: Qui uicerit, faciam eum Columnam in Templo Dei mei: docens omnes credentes qui Aduerſarium uicerint, poſſe Columnas Eccleſiæ fieri, 1.Tim.3. Ad Timotheum uerò Paulus ſcribens, ait: Vt ſcias quomodo oporteat te in Domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei uiui: Columna autem & firmamentum ueritatis. His & cæteris inſtruimur, tam Apoſtolos omneſq́ue credentes, quam ipſam quoque Eccleſiam columnã in Scripturis appellari, & nihil intereſſe de corpore quid dicatur, an membris, cum & corpus diuidatur in membra, & membra ſint corporis. Beda uerò in 3.Reg.lib. ſic commentatur: De duabus illis Columnis Galat.2. in porticu Templi Paulus ait: Iacobus, & Iohannes & Cephas, qui uidebantur Columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentibus, illi autem

autem in Circumcisionem (Euangelium prędicarent) Quibus uerbis quasi exponere uidetur mysterium Columnarum materialiũ, & quid uidelicet figurauerint, & quare duę sint factæ: Apostolos nanque & Doctores cunctos spirituales significant, fortes nimirum fide & opere, & contemplatione ad superna erectos. Duę sunt autem, ut & Gentes & circuncisionem prædicando in Ecclesiam introducant. Stabant in porticu ante fores Templi, & ingressum illius suo decore ac pulchritudine mirabiliter ornabant. Ostium autem Templi DOMINVS est, quia nemo uenit ad Patrem nisi per ipsum: Ioan.14. & sicut alibi dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Ioan.10. Quod uidelicet ostium, columnę ab utroque latere coram positæ circumstant, cum minister Sermonis utrique populo introitum regni cœlestis ostendit, ut si à luce scientiæ legalis quisque seu ex rigore Gentilitatis ad fidem Euangelij uenerit, habeat paratos eos qui sibi iter salutis & uerbo demonstrant & exemplo. Vel certè dextera Columna eos significat, qui uenturum in carne DOMINVM prophetando prædixerant: sinistra illos, qui hunc iam uenisse, & mundum sanguine suo redemisse testantur. Et aptè uocabulo simili ambæ censebantur columnæ, cum una firmitas, altera robur (seu fortitudo) dicta est: ut una fidei & operis fortitudo cunctis inesse doctoribus monstraretur, nostrisq; temporibus inertia taciturnitatis notaretur: Vbi se nonnulli Doctores, Sacerdotes & columnas Domus Dei uideri atq; appellari uolunt, cum nihil in se prorsus firmæ fidei, ad contemnandas seculi pompas, ac desideranda bona inuisibilia, nihil roboris ad corrigendũ, nil industriæ saltem ad intelligendos eorum quibus prælati sunt errores, habeant. Porrò quia de his Columnis in libro Paralypomenon ita scriptum est: Ipsasq; Columnas posuit in Vestibulo Templi, unam à dextris & alte-

ram à ſiniſtris poteſt fieri, ut ideò factæ ſint duæ columnæ, atque ita diſpoſitæ, ut nobis in proſperis & in aduerſis ingreſſum patrię cœleſtis antè oculos mentis habendum eſſe doceant: Hinc etenim Paulus, columna utiq; Domus DOMINI excellentiſsima, per arma iuſtitiæ nos à dextris & à ſiniſtris communiendos eſſe ſuis ſuorumq; ſedulis hortatur exemplis, ut nec proſperis delectati, neq; fracti aduerſis, à Regia uitæ uia, qua ad promiſſam nobis hæreditatē patriæ cœleſtis gradiendum eſt, ulla in parte declinemus. Hæc Beda, & item Eucherius ijſdem uerbis.

2. Cor. 6.

Sacerdotes in interiori, puri autem Iſraelitæ in exteriori Veſtibulo uerſabantur.

Legali uigente pædagogio, carnales Iudęi uni certò loco, Templi puta Atrijs, aſtricti erant, ubi ſacrificare, Deoq; ſupplicare, & decumas atque uictimas pollucere debebant, quemadmodum Moſes Deut. 12. edixerat: Caue, inquiens, ne tua holocauſta in omni loco ſacrifices, ſed in eo (duntaxat) loco, quē DOMINVS in una tuarū tribuum elegerit, holocauſta ſacrificabis, & illic omnia, quæ ego tibi præcipio, facies. Ac paulò poſt: Quæ ſanctificaueris & DOMINO uoueris, ea ad locum, quem DOMINVS elegerit, afferes (ibiq;) holocauſtorum ſanguinem in Aram effundes, & ipſam carnem comedes. De abolenda autem hac in decretis ſita pædagogia, uero illo, poſt CHRISTVM, diuino Templo, CHRISTI inquā corpore (quod ſacroſancta eſt Eccleſia) extructo, deq; ſpiritualium Iudæorū, in litando orandoq;, futura libertate, ipſe CHRISTVS non ſolū Samaritanæ apud Iohannem prædixit mulieri, ut ſuperiori proximo audiuimus capite: ſed & pridem antè per Malachiam Prophetam typicis Sacerdotibus, Templo & Sacrificijs externis miſerè abutentibus, in hunc uaticinatus eſt modum: Non eſt mihi in uobis uoluntas, nec munus è ueſtra manu ſuſcipiam: Nam ab ortu Solis ad occaſum magnum erit meum nomen apud Gentes, & in omni loco

Chryſ. aduerſus Iud Orat. 1. In ipſis feſtis Iudaicis non tempus ſolū, uerum & locum obſeruare iuſsit Lex.

Iohan. 4.

Euſeb. Hic prædicitur recuſatio gētis Iudaicę, & corporalis ex lege Moyſi adorationis reiectio, adiecta Gentium uera per Chriſtum adoratione.

loco ſuffitus adolebitur, meoq; nomini oblatio munda offeretur, Vbi Hieronymus: Iſte DOMINI ſermo ad Sacerdotes Iudæorũ fit, ut ſciant carnalibus uictimis ſpirituales uictimas ſucceſſuras. Et nequaquam taurorũ hircorumq; ſanguinem, ſed thymiama, hoc eſt ſanctorum orationes DOMINO offerendas, & non in una orbis prouincia Iudæa, nec in una Iudęæ urbe Ieruſalẽ: ſed in omni loco offerri oblationem: nequaquam immundã, ut à populo Iſrael: ſed mundam, ut in cæremonijs Chriſtianorũ. Eundem Tertullianus adducens locum, tum libro aduerſus Iudæos, tum 4. cõtra Marcionem, ſic dilucidat: Cũ per Moſen in Leuitico lex ſacerdotalis conſcriberetur, inuenimus præſcriptum populo Iſraeli, ut ſacrificia nullo in loco offerrentur Deo, quàm in terra promiſsionis, quã DOMINVS Deus daturus eſſet populo Iſraeli, & patribus eorum. Et introducto Iſrael, illic celebrarentur ſacrificia & holocauſta, tàm pro peccatis, quàm pro animabus, & nuſquam alibi niſi in terra ſancta. Cur itaque poſtea per Prophetas prædicit Spiritus futurum, ut in omni terra, aut in omni loco, offerantur ſacrificia Deo, ſicuti ipſe per Malachiam Angelum, unum ex duodecim Prophetis, dicit: Non recipiam ſacrificium de manibus ueſtris, quoniam ab oriente ſole uſque ad occidentem nomen meum clarificatum eſt in omnibus Gentibus, dicit DOMINVS omnipotens. Et in omni loco offerentur ſacrificia mũda nomini meo? Indubitatè quòd in omni terra exire habebat prædicatio Apoſtolorũ, & DOMINVS alia officia, ac quidem apud Nationes, deſtinârit, quæ Iudęorum ſacrificijs potiora futura ſint, nempè ſpiritualia ſacrificia: Nanque quòd nõ terrenis ſacrificijs, ſed ſpiritualibus Deo (propriè) litandum ſit, ita legimus: Cor contribulatũ hoſtia eſt Dei. Et alibi: Sacrifica Deo ſacrificiũ laudis, & redde Altiſsimo uota tua. Sic itaq; ſacrificia ſpiritualia laudis

Iren. lib. 4. ca. 33. Nomẽ quod per uniuerſum mundum glorificatur in Eccleſia, eſt Ieſu Chriſti nomẽ.

deſignantur, & cor contribulatum acceptabile ſacrificium Deo demonſtratur. Itaque quomodo carnalia ſacrificia reprobata intelliguntur, de quibus DOMINVS dicit: Sacrificia non accipiam de manibus ueſtris: ita ſacrificia ſpiritualia accepta prædicātur, de quibus (idem ſtatim) addit, dicens: Et in omni loco ſacrificia munda offerentur nomini meo, id eſt, ſimplex oratio de conſcientia pura. Cum uerò explicata modò ex Malachia prophetia, ipſo rei euentu confieret, D. Paulus 1. ad Timot. 2. cap. huiuſmodi eſt uſus adhortatione: Volo ut orent uiri omni in loco, ſuſtollentes puras manus, ſine ira & diſceptatione (ſeu praua & aliena cogitatione) Hācq; ipſam adhortationē Hieronymus tali enucliauit modo: Magiſter Gentium dat legem orandi, ut auctoritate Saluatoris, neq; in monte, neq; in Ieroſolymis aliquis orandi eligat locum (nouo patefacto Teſtamento) ſed in ſpiritu, qui ubiq; nobiſcū eſſe intelligitur. Sanè de hoc loco & hac cauſa à Iudæis mota fuit quæſtio, qui in Templo ſolūmodo in Ieroſolymis orare cupiebant. Item Theophylactus: Paulus uiros depoſcit omni in loco orare, ut Iudæorum orandi ritum à noſtro ſeiungeret, illi nanq; ſtatuto quodā ad id loco, hoc eſt templo, quod Ieroſolymis eſt, orandū cenſent, nos uerò quibus nullus eſt prędicandi pręſcriptus locus, longè aliter illud exequimur: Nam ut nobis mos eſt, qui Chriſtianū ſumus nomē ſortiti, pro uniuerſis orare, ſic & ubiq; fundimus preces. Itē Ambroſius: Paulus ſic in omni loco orandū pręcipit, ut cōpetens locus intelligatur, nō utiq; importuno aut ſordido loco, ſed hoc monet, ne in ſola Eccleſia putarēt orandum.

Hiero. Nemo aliquid impetrare poteſt alia cogitando.

SAtis iam ſatis nos demonſtraſſe confidimus, quomodo ſecundū ipſum CHRISTVM, ut caput, eiuſdem corpus (Chriſtiana ſcilicet Eccleſia) cum omnibus ſuis mēbris, & totius tēpli imagine generatim, & ſingularū partium

Exædificatio, dedicatio, deſtructio & inſtauratio Templi.

partium figura ſpeciatìm repręſentari potuerit: hoc igitur caput nunc licet Bedæ Presbyteri in 1. Eſd. librum adductis uerbis concludamus, quibus non tantum ſuperiora quaſi una paucis complexione repetentur, ſed etiam quo pacto Templi exædificatio, dedicatio, uariędque deſtructiones atque inſtaurationes (hæ enim ſolæ partes, uel aliquam adhuc declarationẽ exigere uidentur) in Eccleſiam Eccleſiæq; membra conueniant, ſimpliciter quidem, ſed tamen pro tropologia non ita malè, indicabitur: Domus igitur uel Templum Dei, ait ille, in ſanctis Scripturis quilibet Doctorum & tota ſimul Eccleſia ſolet appellari, quia is in cordibus credentium, ſperantiumq́ue & ſeſe diligentium habitare conſueuit, unde dicitur: Si quis me diligit, meum ſermonem ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, ac manſionẽ apud eum faciemus. Vnde etiam Apoſtolus ait: Templũ Dei ſanctum eſt, quod eſtis uos. Et alibi: CHRISTVS uerò in Domo ſua eſt tanquã Filius, quæ domus nos ſumus, &c. In figuram huius ſeu domus ſeu Templi ſpiritualis, Salomon Ieroſolymis DOMINO Templum fecit: Salomon quippè pacificus interpretatur, eum figurans, de quo dicitur: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. De quo etiam Apoſtolus ait: Et ueniens pacem euangelizauit uobis qui longè fuiſtis, & pacẽ his qui propè, &c. Quòd uerò Salomon Templum ſeptem annis ædificauit, octauo autem conſummatũ dedicauit, ſignificat ipſum DOMINVM toto huius ſeculi tempore (quod ſeptem circuit diebus) Eccleſiam, collectis ad cœleſte ædificium fidelibus, conſtruere, in futura autem uita apparente reſurrectionis gloria (cunctis rebus omnibusq; numeris) perficere, & in immortalis uitæ gaudium, in æterna uiſionis ſuæ claritate, ſuſtollere: quandoquidem enim ipſe octaua die, id eſt, poſt Sabbathi ſeptimam reſurrexit, rectè octona-

Iodn. 14.
1. Cor. 3.
Heb. 3.
Eſa. 9.
Epheſ. 2.

rio numero nostræ etiam resurrectionis tempus exprimitur. Quòd autem insequente æuo quædam Templi ædificia uetustate solui cœperunt, sed tamen Regum & Sacerdotum diligentia sunt instaurata: id quotidianos fidelium lapsus denotat, de quibus dicitur: Septies cadit iustus & resurgit, Qui nimirum quotidiana temporum solertia per præcedentium iustorum & exempla & cohortationes, quasi per Sacerdotum & Regum (Domino secundo) corriguntur industriam: Reges enim & Sacerdotes omnes perfecti uocantur, cum summi Regis & Sacerdotis sint membra, & se benè regere suaq; corpora uiuentē Deo hostiam exhibere didicerint. Quòd postea crescentibus malis Templum idolorū sordibus prophanatum, & tandem à Chaldæis destructum prorsus ac incensum est, eorum grauiores lapsus adumbrare potest, qui cum prius (per ipsum Dominum) & fidei sanam confessionem Ecclesiæ membris adunati rectè fuissent, postea dæmonum fraude (falsaq; malorū Prophetarum doctrina) à fidei statū deiecti, uitiorumque (ac carnaliū uoluptatū) flamma sunt combusti. Quòd dirupto Templo & Vrbe Ierosolyma eius ciues in Babylonem deportati, sed post septuaginta annos, acta pœnitentia, ad patriam, DOMINO miserante, remissi, rursus Templū & Vrbem grandi restaurarunt labore, eos designat, qui à Diabolo (& impijs doctorib.) decepti, nō solùm (puram doctrinam) fideiq; sinceritatem & boni operis integritatem perdunt, sed etiam per scelerum acerbitatem Gentilibus & publicanis assimilantur, unde dicitur: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, &c. quorū tamen aliqui per diuinam resipiscentes gratiam ad Ecclesiam (postliminio) reuertuntur, cum scilicet sancti Spiritus illustratione excitati (doctrinam) & sana Dei præcepta, quæ reliquerant, denuò audiunt atque custodiunt. Septem nanq; Spiritus sancti sunt dona: Decem

Rom. 12.

uerò

uerò pręceptis summa diuinæ legis (de dilectione) compræhenditur, & decies septem septuaginta sunt, Vnde nō ita malè qui per mala opera in Babylonicam fuerant deportati captiuitatem post septuaginta annos liberantur, & Dei Domum sanctamq; Ciuitatem restaurant: quia nonnunquam accidit, ut qui per sua peccata ab Ecclesiæ communione separati, infidelium numero copulabantur, rursus per Spiritus sancti donũ bona opera exerceant, ut sic fidelium consortium, Domus scilicet & Ciuitatis Dei, de qua fuerant eiecti, recipiant, diuinaque habitatione digni efficiantur. *Sic ferè Beda*, cuius quidem de Templi exædificatione, dedicatione, destructione & instauratione qualemqualem prophetiã pro hoc tempore asscribere placuit, donec dies illucescat, & maior in corde nostro exoriatur lucifer, edocti à D. Petro, nullam Scripturę prophetiam, hoc est, interpretationẽ, priuatæ debere esse explicationis: quippe quòd non hominis uoluntate allatæ sint olim prophetiæ, sed à Spiritu impulsi sancti Dei homines locuti, diuinasq; Literas interpretati sint, 2. Pet. 1.

Hoc uerò unum nunc omnibus nobis in difficilimo isto & ultimo tempore etiam atque etiam, si salui aliquando fieri, & æternos declinare ignes desideramus, necesse erit, ut ex adducti modò Diui Petri iterato aliquoties consilio ad DOMINVM, uiuum illum Lapidem, accedentes, ipsi quoque ut uiui ædificemur Lapides, quorum mentes in spirituales ædificatæ Domus, cœlesti consecrentur ratione, ad faciendas spirituales Hostias Deo, appositæ: Id quod tum accidet, quando sanctus Spiritus in Regeneratione alios ex nobis in CHRISTO, nouos inquam homines, ad imaginem Conditoris sui, cum iusticia ueritatisque pietate renouatos, creabit, nosque ipsos ab omni prorsus

Quomodo nostra mens ad tẽplum Dei ædificari atq; dedicari queat.

1. Pet. 2.

Ephes. 4.
Coloss. 3.

2.Cor.7. & carnis & ſpiritus labe expurgans, ueteris fermẽti im-
1.Cor.5. probitate malitiaq́; priuabit: Tum deinde cordis noſtri
1.Cor.3. templum ad æternam Dei habitationẽ pura puta luce,
2.Cor.6. uita & cognitione dedicabit, fidem ſcilicet, ſpem & di-
Rom.5. lectionem infundens: poſteaq́; CHRISTVM, uerum
noſtrum Altare, imponet, in quo laudis ſacrificia, hoc
Heb.13. eſt, labiorum fructum, eius nomini confitentium, no-
Rom.13. ſtraq́; corpora, cum omnib. nos attingẽtibus, hoſtiam
uiuentem, ſanctam, acceptam Deo Patri litemus, eun-
Iohan.4. demq́; in ſpiritu & ueritate adoremus, ac eius Chriſtiq́;
Heb.13. nominis gratia beneficentiam & communicationem,
qualibus ipſe ſacrificijs propitiatur, in alteros conferre
Pſal.84. non obliuiſcamur: habituri hoc pacto cum in fletus iſta
Rom.5. ualle ſub medijs etiam calamitatibus gaudium, paca-
Matth.5. tamque mentem & bonam conſcientiam, tum, ubi ter-
Actor.3. reſtris noſtræ domus Tabernaculum diſſoluetur, ædi-
Epheſ.2. ficationem à Deo ſempiternam in cœlis, per IESVM
1.Tim.1. CHRISTVM, uerum illum & benedictum in ſempi-
Hebr.13. ternum Deum, cui unà cum Patre & ſancto Spiritu
2.Cor.5. laus, & honos, & gloria, & imperium ad om-
Rom.9. nem omnium ſeculorum perpe-
1.Ioan.5. tuitatem, Amen.
Apoc.1.5.
1.Tim.1.

CAP.

CAP. V.

בבז ביה בירושלם.

Οἰκοδόμησις τοῦ ἱεροῦ ἐν Ἱερουσαλήμ.

Inſtauratio Ieroſolymitani Templi.

Triſtia poſt duræ Babylonis uincula, ſtatim
Iudæi Templum reſtituere ſacrum
Denotat iſte labor nobis, Eccleſia quòd ſit
Ex Antichriſti libera facta manu.

HISTORIA.



ANNO primo Cyri Perſarũ Regis, qui fuit deportationis Iudęorum in Babylonem ſeptuageſimus, miſeratus eſt Deus captiuitatem & calamitatem ærumnoſi ſui populi, & ſicut illis per Ieremiam Prophetã ante dirutam Vrbem prędixerat, quòd poſtquã ſeruierint Nebuchadneſari eiusq; poſteris per annos ſeptuaginta, rurſum eos reſtituturus eſſet in patriam, & ædificato Templo ad felicitatẽ priſtinam eſſent redituri, ita eis omnia præſtitit: Excitato enim ad id Cyri animo, effecit ut ille per totum ſuum imperiũ in hanc ſcriberet ſententiam: Quoniam uideret DOMINVM Deum cœleſtem ſibi uniuerſa orbis terrarum regna dediſſe, & inſtaurandum Ieroſolymis in Iudæa Templum mandaſſe, ea re ſe cunctis Iudæis, qui regionem ſuam habitarẽt, permittere, ut aſcendant in patriam, & Dei Templum, eodem quo prius loco, inſtaurent, ubi ſacrificia fiant, & perpetuus incendatur ignis, cuius altitudo, iactis fundamentis impoſita, ſit cubitorum 60. latitudo totidem, faciantque trinos è marmoreis politis lapidibus ordines, & unum ligneum è recenti cedrina materie quam ferret ea regio.

Ier. 25. & 29.

Cyrus Iudæos ad Templũ inſtaurandum emittit.

Quinam ad instaurationem Templi redierint.

Tum Iudaicæ & Beniamiticæ tribus familiarũ primarij, & Sacerdotes atq; Leuitæ, omnesq; à DOMINO instincti, sese ad ascendendum Ierosolymam parârunt, ad instaurandum DOMINI Sacrum: multi autem manere apud Babylonem maluerunt, non sustinentes suas relinquere possesiones.

Rex sumptum confert, & Tẽpli uasa remittit.

Rex autẽ Syriæ & Phœniciæ procuratoribus scripsit, ut non modò Fanum in sua sede construi sinerent: sed & promouerent, ac sumptus tum ad fabricã tum ad sacrificia necessarios omnes, de regio Fisco, id est, de tributis quæ in Cœlesyria & Phœnicia penderentur, sine ulla dubitatione subministrarent. Templi insuper uasa, siue aurea siue argentea illa essent, quę Nebuchadnesar Ierosolymis exportata in Dei sui Templo posuerat, deprompsit per Mythridatis Gasparis manũ, qui ea Sesbasari Iudęæ atq; Phœnices pręsidi numero adferret, reddenda porrò per eundem, Templo exædificato, Sacerdotibus atque Magistratibus populi, ut suum singula in locum restituerentur.

Instauratur Ara, fiuntq; sacrificia.

Cum igitur Israelitæ in Iudæam redijssent, instante iam à captiuitatis dimisione septimo mense, qui Septembri nostro ferè respondet, conuenit omnis populus, quasi uir unus, Ierosolymã, & Iesua Iosadaci filius, eiusq; fratres Sacerdotes, & Zerubabel Sealthielis filius cum suis fratribus Aram Dei, in quo prius fuerat loco, ædificârunt, & in ea holocautomata matutina atq; uespertina, quemadmodum in Mosis Dei Viri lege præscriptum est, obtulerunt.

Incipit instaurari Templũ.

Deinde Templi ædificationem aggresi, pecuniam dederunt lapicidis, & cæmentarijs, & fabris, cibũ quoque potionemque & oleum Sidonijs atque Tyrijs, qui cedrinam materiem ex Libano ratibus in portum Ioppicum

picum adueherent, ut eis à Cyro Persarum Rege literis fuerat imperatum.

Et anno à reditu eorum ex Babylone secundo, Zerubabel & Iesua, reliquiq; eorum fratres, Sacerdotes & Leuitæ, ac quotquot Ierosolymam ex captiuitate aduenerant, fundamenta Templi iecêre, prima die Mensis, qui nobis December est. *Fundamenta iaciuntur.*

Leuitas eos, qui uigesimũ ætatis annũ excesserant, in DOMINI operibus constituerunt. Iesua etiam cum suis filijs ac tribus fratribus, item Cadmiel eiusq; filij, ac filij Iudæ, tanquã uir unus, pariter ad instandum ijs, qui in Sacro opus faciebant, intenti erant. *Qui operas urserint.*

Cumque extructio ab Architectis fieret, dispositi sunt Sacerdotes aliquot, sacerdotalibus induti uestibus, tubasq; habentes, ac cum ijs Leuitæ filij Asaphi tenentes cymbala, qui DOMINI bonitatem & æternam erga Israelitas clementiam laudantes, Psalmos à Dauide quondam institutos, decantarent. Atque his uniuersus ingenti strepitu populus acclamabat. *Sacerdotes in extructione tubis personant, uulgus acclamat, Seniores autẽ lacrymantur.*

Sed multi ex Sacerdotibus & Leuitis prçcipuisque Patribus, qui & illud prius Templum uidere cõmeminerant magnũ & opulentum, & hoc recens pro prçsentium fortunarum tenuitate deterius fieri animaduertebant, reputantes quantũ ab illa prisca fœlicitate abesset, oborta inde mœstitia temperare à lacrymis non poterant: alij autem nulla priorum temporum comparatione seipsos cruciantes, nec ullum detrimentũ factum animaduertere ualentes, multis tubis personabãt, magnumq; cum lçtitia clamorem ædebant: contra Seniorum ac Sacerdotũ multò deteriore conditione res suas esse existimantiũ gemitus uix lætitiæ sonitu, quantumuis procul audito, obscurari poterat.

Aduerſarij uolunt ad ædificationis Templi ſocietatem admitti.

Circùm finitimæ autem Gentes, præcipuè Samaritæ & reliqui Iudaicæ atq; Beniamiticæ tribus aduerſarij auditis tubis & lætantium atq; dolentium promiſcuis uociferationibus accurrerunt, uolẽtes cauſam cognoſcere: Ac cognito captiuitatis filios ex Babylone poſtliminio reuerſos, DOMINO Iſraelitarũ Deo Templum inſtaurare, Zerubabelem ac Ieſuam cæteroſque familiarum principes adeunt, & ad ædificationis ſocietatem admitti poſtulant: ſeſe enim eundem cum ipſis Deum quærere, eiq; iam inde ab illo tempore, quo per Eſarchadonem Aſſyriæ Regem è Chutia & Media ea in loca tranſlati fuiſſent, ſacrificare.

Non admittuntur Aduerſarij

Ad quæ poſtulata illi de cõmuni ſententia reſpondent: Non eſſe ſui Dei Domum ab ipſis ſimul & à ſe ædificandam, ſed unos ſe DOMINO Iſraelitarum Deo pariter eſſe ædificaturos, quemadmodum eis fuiſſet à Cyro Perſarum Rege præceptum.

Aduerſarij acceptа repulſa dolo & clam impediunt ædificationem.

Hac accepta repulſa, Aduerſarij Iudæorũ quidem populum omni modo inſtiterunt ab ædificatione auertere, in eoſque conſultores, qui cuncta eorum diſſoluerent conſilia & factiones conflarent ſubornare, Regios autem Satrapas & eos quibus ædificationis promotio à Cyro erat commiſſa, pecunijs corrumpere, ut ſuam illis circa demandatum officium negligentiam uenderent. Itaque exædificatio toto uitæ Cyri tempore impedita eſt, ipſo inſciente, utpote in alia diſtracto negotia.

Aduerſariorũ in Iudæos criminatio.

At ubi Cyrus Maſſagetico bello perijt, & Cambyſes (quem ſacræ Literæ Achaſuerum ſeu Aſſuerum & Artachſaſtam uel Artaxerxem denominant) in paternum ſucceſsit principatum, Mithredates, Thabeel, Rechymus, Simſais, reliquiq; eorundem conſilij, & præſides in

des in Samaria, Cœlesyria ac Phœnicia illi aduersus Ierosolymitanos criminationem scripserũt: Eos Vrbem ob defectionem merito deletam instaurare, & Templi fundamenta iacere, quod si ita pergere sinantur, nec tributa persoluturos amplius, nec imperata facturos, quippè qui natura rebelles sint homines, & defectionis iam olim auctores, fore insuper ut ipsi Regi in Cœlesyriam & Phœniciam omnis intercludatur uia.

Ad hæc Cambyses, cum alioquin etiã à paterna degenerans pietate, ad malitiã natus uideretur, rescripsit: Se lectis, quas miserint, literis iussisse suorum maiorum inspici commentarios, & inuentum esse, Vrbem istam antiquitùs Regibus fuisse contrariam, eiusque habitatores perpetuò studuisse concitandis bellis & rerũ nouitatibus, quodq; Reges habuerint potentes atq; acres, quibus Cœlesyriæ & Phœniciæ imperantibus tributa, uectigalia, portoriaq; soluta sint. Idcircò se ipsis imperare, ut Edicto proposito homines illos ab ædificatione impediant, ac ne quid prætereà ad Regum detrimentũ fiat, cauere uelint.

Cambyses iubet ædificationem impediri.

Quam simulatq; obtinuerunt à Rege potestatem Rechymus & Symsais eorumq; gregales, Ierosolymam celeriter cum equitatu & agmine tumultuario properârunt, Iudæosq; per brachiũ & uim, ne ædificare pergerent, prohibere cœperunt: iacuitq; Domus DOMINI opus usque ad secundum annum regni Darij Persarum Regis, qui etiam Artaxerxes dictus est.

Aduersarij apertè per uim impediunt.

Herodot. lib. 6. Arthaxerxes idẽ quod magnus bellator.

Is adhuc priuatus, ut Iosephus auctor est, Deo uouerat, si regnum adipisceretur, se Fanum Ierosolymitanum, quod Idumæi incendissent tum cum à Chaldæis Iudæa uastaretur, instauraturum, omniaq; sacra Vasa, Ierosolymis olim exportata, eò remissurum esse. Zeru-

Darij uotũ de Templo instaurando.

babel autem huius uoti maximè conſcius & teſtis exiſtens, cum Darium regni iam potitum eſſe audiſſet, ad eum Ieroſolymis uenit, & quia eius uetus erat amicus, in corporis ipſius ſtipatorem unà cum alijs quibuſdam duobus iuuenibus aſſumptus, ſperatum accepit honorem.

Zerubabelis cum ſuis collegis diſputatio de uini, & Regis, & mulierum & ueritatis uiribus.

Accidit non multò poſt, ut Rex his tribus ſuis ſtipatoribus totidem publicè perſoluendas quæſtiones poneret, primo quidem num uinum maximè polleat, ſecundo num Reges, Zerubabeli aũt, ut tertio, num mulieres, an fortè ueritas magis quàm hæc omnia: utque Zerubabel, cunctis auditoribus ipſisque etiam Regijs ſummatibus arbitris, omnium ſapientiſsimè dixit, grauiſsimisque docuit argumentis, mulieres certè uino & Regibus potentiores eſſe, ſed ueritatem hæc omnia uincere: Rex eum petere quiduis iubet, & id ſe ei libenter daturum recipit. Hîc ille oblata cõmodùm occaſione quam diu captauerat: Se nihil aliud poſtulare reſpondit quàm ut Rex idipſum præſtet, quod cœleſti Regi de inſtaurando Ieroſolymitano Templo uouerit. Hoc audito, & recordatus Darius, ſe omninò tale quid uouiſſe, Zerubabelem deoſculatus eſt, moxque ſcripſit ſuis Præſidibus, Ducibus & Satrapis, ut eum omnesque eius comites ad inſtituendam abſoluendamque Templi fabricam proficiſcentes, deducerent, Omnes ètiam Iudæos, qui ex Babylonica in patriam redire captiuitate uellẽt, liberos pronũciauit. Adhęc per epiſtolas Idumæis mandauit, ut ad Fani conſtructionem quotannis uiginti talenta conferrent, uſquedum abſolutum foret, Itemque ad hoſtias in Ara adolendas (quas ſeptenaſdenas immolare ex præcepto haberent) alia talenta decem in ſingulos annos. Ipſas inſuper ſacras Veſtes, in quibus Pontifex atque cæteri Sacerdotes rem diuinam facerent, de ſuo

Darius Iudæis facultatẽ Templũ perficiendi concedit.

de ſuo uoluit præberi. Deniq; de remittēdis ſacris uaſis deq́; Iudæorum reſtitutione confirmauit omnia quæ prius Cyrus decreuerat. Zerubabel aūt eiuſmodi à Rege conſecutus honorem actis cœleſti Regi pro felici rerum auſpicio gratijs, Babylonem contendit, & hunc lętum ſuis conſanguineis (uel ibi adhuc à prima hærentibus deportatione, uel eo cum Templi exædificatio intercepta eſſet reuerſis) nuntium attulit. Qui & ipſi ingentibus patrium ſuum Deum ob cōceſſam rurſus dimiſsionem, & quòd Sacrum, ipſius inſignitū nomine, perficiendum nunc demùm eſſet, per cōtinuos ſeptem dies laudibus atq; gratijs uenerati ſunt.

Poſtea generatìm delecti ſunt ad profectionē familiarū principes, cōparatis etiam iumentis, quæ illorum uxores ac liberos ueherēt. Cum his iam profectionem inſtituentibus, miſit Darius equites mille, qui eos Ieroſolymā uſq; incolumes deducerent. Leuitæ aūt & Cantores toto itinere tibijs & cymbalis perſonabant, ita ut hilares omnes emetirētur uiā, & ludibundi ſimul, abſq; ulla moleſtia aut defatigatione, in patriam reuenirent. *Iudæi in patriā ad abſoluendū Templum contendunt.*

Anno igitur regni Darij ſecundo, cum Haggæus & Zacharias Hiddonis filius, ambo Prophetæ, ad Iudæos, qui uel in Iudæam uel Ieroſolymam redierant, in DOMINI Iſraelitarum nomine de Templo exædificando uaticinarētur: cœpêre Zerubabel & Ieſua intermiſſam pridem cōtinuare fabricam, DOMINI Prophetis ipſis præſentibus, eoſq́; adiuuantibus. *Iudæi incipiūt Templum abſoluere.*

Id Aduerſarij uidentes indignè tulerunt, & quemadmodum ſub Cyro primùm, ac mox ſub Cambyſe fecerant, ita quoq; nunc conſtructionē interturbare moliuntur, omnibus Satrapas precibus orantes, ut Iudæorum conatus & diligentem circa hoc opus molitionem *Aduerſarij ædificationē Templi impedire conantur.*

quoad eius fieri poſſet de induſtria remorarentur.

Prætorũ Darij de inſtauratione Templi inquiſitio.

Per idem tempus aſcendit Ieroſolyma Thattenais Syſinnes Syriæ & Phœniciæ prętor, & Setarboznais cũ quibuſdã alijs ſuis collegis, qui ex Iudæorũ Principibus quæſiuerunt, cuius mãdato Templũ conſtruerẽt, eiusq; muros reficerent, & qui ſint huius ſtructuræ auctores?

Redditur ratio Templi inſtaurationis.

Reſponderunt Zerubabel & Ieſua: Seruos ſe cœli terrarumq; DOMINI eſſe, Templũ uerò hoc quod inſtaurarẽt multis antè ſeculis à quodã ſuæ Iſraeliticę gentis maximo & in omni uirtute excellentiſsimo Rege conſtructum fuiſſe atq; abſolutum. Sed irritatũ maiorũ ſuorũ peccatis cœleſtem Iſraelitarũ DOMINVM, eos Nebuchadneſari Babyloniorũ & Chaldæorũ Regi dedidiſſe, qui & Templũ demolitum incenderit, & populum Babylonem captũ tranſtulerit. Verùm Cyrum Regem anno primo, quo Babylonię regnũ adeptus ſit, edictum de hoc eodem inſtaurando Templo propoſuiſſe, ſacraq; uaſa à Nebuchadneſare inde ſublata per Mithridatis Gaſparis manũ Sesbaſari miſiſſe, ut is illa in Templum exædificatũ redderet. Eidem quoq; Sesbaſari Regem imperaſſe, ut Fanũ eodem quo prius fundamento conſtruendũ, & primo quoq; tempore abſoluendũ curaret, Sesbaſarem aũt illũ acceptis regijs mandatis confeſtim Ieroſolymã ueniſſe, & quò fundamenta Templi iacerẽtur curaſſe, quod exinde hactenus ędificetur, necdum, inimicis obſtantib. Gentibus, ad perfectionẽ dedu ci potuerit. Quare ſi illis ita uideretur, ſcriberẽt Dario, ut inſpectis regijs librarijs manifeſtũ fiat uera ipſos omnia dicere.

Prætores inhibitionẽ extructionis ſuſpendent.

His auditis Thattenais & alij cũ eo ædificationẽ id temporis, Domino Iudæorũ reſpiciente Seniores, inhibere non potuerunt, ſed diſcedentes totã cauſam literis ad Dariũ referre, & eius ſuper hac re expectare reſponſum decreuerunt.

Iudæis

Iudæis autem ſolicitis,& metuentibus ne Darium pœniteat iuſsiſſe reparari Domum DOMINI, duo illæ Prophetæ, Haggæus, inquam, & Zacharias, bono eos animo eſſe iubebant, nec à Perſis quicquã metuere: quandoquidem ipſi compertam de hoc negotio Dei uoluntatem haberent: quibus credens populus, aſsiduus erat in opere, nulla id die intermittens.

Exædificatio, Prophetis urgentibus, diligenter procedit.

Tum Samaritæ Dario ſcripſerunt, accuſantes Iudæos, quòd Templum Arci quàm Fano ſimilius exſtruant: aſſeuerantes non eſſe hoc in rem Regis, & ſuis literis Cambyſis addentes epiſtolam, per quam is ædificationem illam impediuerat & uetuerat: ratus non eſſe rebus ſuis tutam aut utilem.

Samaritæ literis ad Darium ſcriptis cõſtructionem impedire conantur.

Poſtquam igitur & Thattenais eiuſdemque collegæ per idem tempus Regi de eodem ſcribentes negotio indicârunt, ingens Ieroſolymis Templum ex politis ſtrui lapidibus, lignisque eius parietes integi, utque ipſi ex captiuorum Iudæorum Senioribus ſciſcitati eſſent, cuiuſnam iuſſu ea opera fundarent? illos reſpondiſſe, de Cyri Regis ſententia: Tunc Rex iuſsit Regias inſpici tablinas, & inuentus eſt apud Ecbatana caſtrum Mediæ liber quidam, in quo & hæc & alia plura memorię prodita erant: Anno primo regni ſui Cyrus Rex decreuit, ut Dei templũ Ieroſolymis ex ſui fiſci ſumptu cõſtrueretur, ac ſacra eius uaſa reſtituerentur, utque cura eius negotij ſit penes Sesbaſarem Syriæ ac Phœnices præfectum, eiusq; collegas, qui abſtinerent quidem ab eis locis, ſeruos autem Dei Iudæos & eorum principes ſinerent templum ſtruere: ipſi uerò adiutarent eos in hoc opere de tributis ſuæ prouinciæ, & ad ſacrificia quoq; ſuppeditarent tauros, arietes, agnos, hœdos, ſimilam, oleum, uinum & cætera quæ Sacerdotes poſtulauerint, qui deprecaturi ſint Deũ pro ſalute Regis atq; Perſarũ.

Prætores Dario Templum inſtaurari per Epiſtolas demonſtrant.

Cyri decretum de inſtaurãdo Templo.

Darius Templum perfici mandat.

Hęc cum Darius in Cyri commentarijs inuenisset, misso eorum ad Thattenaionē & Setharboznaionem cæterosq; Syriæ præsides exemplari, rescripsit, se quoq; illa omnia quæ Cyrus sanxisset iam ante confirmasse, quò nimirum reuocati ex captiuitate Iudæi non modò non impediantur, sed & adiuuentur, donec DOMINI Templum sit absolutum, utq; tum ad constructionem tum ad sacrificia de Regio fisco omnis subministretur sumptus, quò & opus promoueatur, & Sacerdotes habeant unde cœlesti Deo litantes, pro Regis quoque & eius filiorum uita supplicent. Ac iam se de integro imperare: Thattenaim cunctiq; alij istinc facessant, istudq; Fanum fieri, & à Dei seruo Zerubabele Iudęæ prætore Iudæorumque Senioribus in sua sede construi sinant. Quisquis autem contra aliquid eorum quę iam dicta & scripta sint cōmiserit, ille in tigno ex ipsius ædibus detracto & erecto suspendatur, eiusque bona in Regium cædant fiscum, domus autem publicata complanetur: Se insuper DOMINVM, cuius nomen illic inuocetur, precari, ut is omnes, seu Reges seu priuati sint homines, perdat, qui ad istud Templum uel immutandū uel corrumpendum manum admouerint.

Perficitur Tēplum.

Ergo cognita ex his literis uoluntate Regis, Thattenais & reliqui decreuerunt eam per omnia diligenter exequi. Itaque suscepta sacræ fabricæ cura, Iudæos illorumque Magistratus & æditimos adiuuabant: cumque magnis omniū studijs ipsum opus & ex Dei iussu & Cyri atq; Darij Persarum Regum mandato, prophetantibus interim Haggæo & Zacharia, ita feliciter procederet, absolutum est Templi ædificium anno regni Darij sexto, ad diem tertiū mensis Adaris, qui nostro Februario plerunque respondet, à prima uerò sua sub Cyro inchoata fundatione quadragesimo quarto anno.

Tum

Tum Iſraelitæ, & Sacerdotes & Leuitæ reliquique è captiuitate reduces huius renouati Templi dedicationem ſumma cum lætitia egerunt, ad quam dedicationem immolauere tauros centũ, arietes ducentos, agnos quadringentos, capros caprinos, ad uniuerſorum Iſraelitarũ expiationem, duodecim, pro numero tribuum Iſraelitarũ, functiq; ſunt Sacerdotes & Leuitę generatim ueſtiti muneribus DOMINI Iſraelitarum Dei ex libri Moſis pręſcripto, conſtitutis etiam ad ſingulas Veſtibulorum portas ianitoribus: ædificauerant enim Iudæi porticus quoque, quibus Templum circunquaque includebatur. *Templi perfecti dedicatio.*

Inſtante deinde Azimorũ feſto, menſe primo, qui partim noſtro Februario, partim Martio reſpondet, cõfluxit totus populus ex oppidis in Vrbem, celebraueruntque id feſtum caſti ac puri, unà cum coniugibus ac liberis, ritu patrio, & uictimam Paſchalem immolantes decimaquarta luna, epulati ſunt per dies ſeptem, nullis parcentes ſumptibus, holocautomata etiam offerentes, & Deo agentes gratias, qui eos tandem aliquando antiquæ patriæ & eius ritibus reſtituerit, deflexo ad benignitatem & clementiam Regis Perſici corde, ad eos in opere Domus Iſraelitarum Dei iuuandos. *Paſcha poſt abſoluti Templi dedicationem peragitur.*

Poſt eas res Eſdras Sacerdos & iuſtus uir, qui apud uniuerſos Iſraelitas optimè audiebat, è Babylone Ieroſolymam ueniens, Regis donaria in Templum attulit, & tum Reipublicæ tum Templi iura omnia reformauit. De eodem quoque memoriæ proditũ eſt, quòd cum in Captiuitate ſacri Libri partim combuſti, partim deprauati fuiſſent, ipſum diuini Spiritus inſtinctu, quo dictante prius excepti fuerant, eos memoria repetijſſe, ac ijſdem ſermonibus licet alijs literarum characteribus deſcriptos populo propoſuiſſe, & in Templi *Eſdras mores reformat, & ſacros Libros de integro perſcriptos populo proponit.*

Archiuum reſtituendos tradidiſſe, unde etiã Scriba uelox & legis dictus eſt lector. Vide Irenæum lib.3.cap.25. Euſeb. Eccleſ. Hiſt.lib.5. cap.8. Auguſt.de Mirab. ſacræ Script.lib.2.cap.33.Hieron.Pręfatione in Regum libros. Bedam in 3.Eſdræ. Tuicenſ.de Verb.uict.lib.7.cap.32.

Vaſtatio inſtaurati Templi.

Iſtud uerò inſtauratum à Captiuitate ſecundũ templum deinceps ob Sacerdotum, Principumq; & populi ſcelera, itidem ut primum à Salomone conſtructum, uarijs eſt afflictum modis, & à Bagoſe, Artaxerxis præfecto, à Ptolomæis, maximè uerò ab Antiochis, necnon Romanis Imperatoribus, Pompeio atque Craſſo, prophanatum uaſtatumq́;, donec tandem ab Herode Maiore magnã partem deſtrueretur, immutaretur & ampliaretur, Anno ante CHRISTI Incarnationem duodeuigeſimo.

At quæcunque hactenus de huius ſecundi Templi ſtructura, dedicatione, infelicitate, gloria & uaſtationibus commemorata ſunt, pluribus deſcribuntur uerbis, 2. Paral. ultimo. 2. & 3. libris Eſdræ. Eccleſ. 29. cap. Apud Haggæum & Zachariam Prophetas. 1. & 2. Maccab. libris. Similiter apud Ioſephum Antiqui. à lib. 11. uſque ad 16. Et Bellor. lib. 1. Apud Egeſippum de Bello Iudaico libro 1. Ex quibus omnibus locis nos hoc qualequale compendium, ſi non apta uia atq; ratione, certè fideliter & accurata induſtria conatos eſſe facere, æquus Lector reipſa depræhendet.

CAP.

CAP. VI.

HISTORIAE DE TEMPLO A BABYLONICA CAPTIVITAte instaurato, mystica interpretatio.



De Israelitarũ ex Babylonica captiuitate emissionis, & secundi sub Cyro atq; Dario Persarũ Regibus instaurati Templi mystico sensu, Beda Presbyter 1. Esdrę enarrans librum in hanc loquitur sententiam: Sicut Cyrus destructo Chaldæorum imperio populum Dei liberauit, in patriamq; remisit, & Templum incensum Ierosolymis reædificari præcepit, ac hoc edictum etiã per literas manifestauit: Ita CHRISTVS destructo Diaboli regno suos Electos qui erant dispersi, ab eius tyrannide in Ecclesiam cõgregauit: quę in præsenti iustificata ex fide pacem habet ad Deum per CHRISTVM, & ad uisionem perpetuæ pacis festinat: Ierusalem quippè pacis uisio dicitur. Templum quoq; incensum idem restaurari facit, cum illos, qui insidijs Diaboli fidem perdiderant, ad salutem reducens, habitatione sua dignos efficit. Scripturas etiam sacras & secretas (sub fidelium suorum Apostolorũ ministerio) per uniuersum mittit mundũ, quibus fidem sui nominis & spem salutis cunctis qui ad regnum suũ pertinent, id est electis, prædicat.

Liberationis è Babylonica captiuitate, & Templi instaurati mysteriũ.

Ad summam hæc altera Templi instauratio Christianæ Ecclesiæ è spiritualis Babylonis captiuitate uindicationem, eiusdemq; ab Antichristiana ac falsarũ doctrinarum depopulatione reformationẽ, pijs mentibus inprimis exoptandam, deliniat atq; præsignificat. Eam aũt uindicationẽ reformationẽq; nisi ille ipse incipiat, promoueat, perficiat, in quo omnia instaurãtur, Ephe. 1.

qui principium, medium & finis omnium diuinarum est actionum, Apoc. 1. 1. Timot. 2. quiq; primitiuam Ecclesiam primitùs fundauit, eidemque multos quotidiè ut salui fierent adiecit, & sub Apostolorũ rigatione atq; plantatione incrementum dedit, Matt. 16. Acto. 2. 1. Corint. 3. parum feliciter illis res succedet, qui sua priuata industria multùm renouatum aut instauratum iri confidunt: attestante nobis 27. Psalmo his uerbis: Nisi DOMINVS domum ædificet, frustra laborant qui eam ædificant. Vbi Augustinus: Domus Dei est Ciuitas, Templum & populus Dei: nisi hanc Domum ipse DOMINVS IESVS CHRISTVS ædificet, frustra laborant qui ædificant eam. Qui uerò sunt isti laboratores? Omnes qui in Ecclesia prædicant Verbum Dei, ministri Sacramentorũ Dei. Omnes currimus, omnes laboramus, omnes ędificamus modò: & ante nos alij cucurrerunt, laborauerunt, ædificauerunt: Sed nisi DOMINVS ædificauerit Domum, in uanum laborauerunt ædificantes eam. Nos loquimur foris, DOMINVS ædificat intùs. Quomodò audiatis nos aduertimus, quid cogitetis ille solus nouit, qui cogitationes uestras uidet. Ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum uestrũ: & tamen laboramus & nos, tanquam operarij, sed nisi DOMINVS ædificauerit Domũ, in uanum laborauerunt ædificantes eam.

1. Cor. 6. Et Hieronymus: Nos sumus secundum Apostolũ Dei Templum, qui nisi per DOMINVM nostrum IESVM CHRISTVM ædificemur super fundamenta Apostolorum & Prophetarum, inanis erit Philosophorum & reliquorum secularium Doctorum ædificatio. Reformationis Ecclesiæ & Eusebius hoc modo cõmeminit: Ecclęsia iusto Dei iudicio & necessaria correptione ob Sacerdotum præcipuè & Seniorum impietates, odia, contentiones, ambitionẽ atque superbiam, necnon per

Reformatio Ecclesiæ.

falsos

falſos Chriſtianorũ illatores in tantam anguſtiam coarctata eſt, ut omni humana ope deſperata, ſolius miſerentis Dei ſit eam reſtituere atque reformare. Sed hæc uniuerſè de perſcriptæ dudũ hiſtoriæ myſterio dicta ſufficiant, nunc ad diſcutiendas ſingulas partes progrediamur, & quomodo in ijs etiã noſter CHRISTVS, pręter cætera, adumbretur, ipſo nobis prælucẽte, inquiramus.

Cyri nominis etymologia et myſterium.

Cyri nomen, quod Hebraicè כורש dicitur, Plutarchus in Anaxerxe Perſica lingua Solem ſignificare probat, alij Dominũ & Hæredem exponunt: Si nos CHRISTVM, cuius Cyrus hoc ſuo nomine figuram prætuliſſe creditur, intueamur, is Sapient. 5. Sol peccatoribus non lucens. Malach. 4. Sol iuſtitiæ. Actor. 10. Dominus omnium. Apoc. 17. Dominantiũ DOMINVS. Et 1. ad Hebr. cap. uniuerſorũ hæres appellatur. De quo & Ambroſius Serm. 16. in hunc concionatur modum: CHRISTVS nouus eſt Sol qui clauſtra penetrat, inferna reſerat, corda rimatur. Hic eſt Sol, qui Spiritu ſuo uiuificat mortua, corrupta reparat, ſuſcitat iam defuncta: uel qui calore ſuo purgat ſordida, exurit fluida, decoquit uitioſa. Ipſe, inquam, eſt, qui in cunctis actibus noſtris perſpicit omnia opera noſtra, & non tàm condemnat crimina quàm emendat. Hic plane eſt ſol iuſtus & ſapiens, qui non ſine diſcretione, ſicut iſtius Sol mundi bonis ac malis ſimiliter circumfertur, ſed quodam iudicio ueritatis ſancto lucet, occidit peccatori. Hoc autem inter utrunque intereſt Solem: Quòd ille iudicium metuit, hic iudicium comminatur: Quòd ille corruptionis miniſter eſt, hic æternitatis eſt DOMINVS: Quòd ille Creatura eſt, hic Creator. Iſtum mundi Solem, priuſquam oritur, ſolet Lucerna, propter neceſſarios hominum uſus, præcedere. Habet & CHRISTVS Sol Lucernam ſuam, quæ eius (in hoc mundo) ortum

Idem in Pſal. 118. Myſticus ille Sol Chriſtus nempe, omnibus quidem ortus eſt, omnib. uenit, omnib. paſſus eſt & omnib. reſurrexit. Si qs autem non credit in eum, generali eius beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat.

Psal.131. præcesſit, ſicut dicit Propheta: Paraui lucernam CHRISTO meo. Quæ autem iſta Lucerna ſit, oſtendit DOMINVS, dicens de Ioanne Baptiſta: *Ioan.5.* Ille erat lucerna ardens. At ſicut lucernæ claritas deſtruitur Solis aduentu: ita & Iohannis pœnitentiæ Baptiſmum ſuperueniente CHRISTI gratia uacuatum eſt. De CHRISTI autem dominatu ſic Irenęus: IESVS ille qui paſſus eſt ſub Pontio Pilato, DOMINVS eſt omnium, & Rex, & Deus, & Iudex ab eo, qui eſt omniũ Deus, accipiens poteſtatẽ.

Cyrus faſſus Deum ſibi orbis terrarũ regna dediſſe.

Cyrus in ſui Edicti, de Templo inſtaurãdo, ſcripto, DOMINVM Deum cœleſtem ſibi uniuerſa orbis terrarum regna dediſſe fatetur: Sic etiã noſter Cyrus, Pſalmo 2. ait: DOMINVS ad me dixit: Poſtula à me, & tibi Gentes in hæreditatem, terræ terminos in poſſeſsionem dabo, Eos tu ferrea conteres uirga. Et Matt. 28. Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. De eodem quoque Apoc. 11. ita ſcriptum eſt: Facta ſunt mundi regna DOMINI noſtri eiusq́ue CHRISTI, & regnabit in ſeculorum ſecula.

Cyrus aſſerit Dominum ſibi conſtruendum Templũ mandaſſe.

Quòd Cyrus aſſerit, DOMINVM ſibi mandaſſe, ut Templũ Ieroſolymis in Iudæa inſtauraret, hoc mandatum ei diuino quodã inſtinctu tunc datum eſſe, cum ei Eſdras Scriba Eſaiæ prophetiam, de eo nominatim teſtantem, legendam oſtendiſſet, Ioſephus & Hieronymus auctores ſunt: Nuncupatam uerò prophetiam Eſaias 45. ſuorum uaticiniorum cap. his conſcripſit uerbis: Sic dicit DOMINVS, Ego ſum DOMINVS qui Cyro dico: Meus tu es paſtor, meamq́ue omnem uoluntatem tu perficies, Quiq; Ieroſolymæ dico: ædificaberis, & Templo: fundaberis. Hæc dico DOMINVS Meſsiæ meo Cyro, cuius dexteram appręhendi. Ego te præcedam, æreasq́ue perfringam portas, & tibi abſconditos theſauros dabo, ut ſcias quòd ego ſum DOMINVS qui

tuum nomen uoco. Propter meum ſeruum Iacobum &electum meum Iſraelem tuo te nomine uocaui, cum tu me nõ cognoſceres. Sic dicit DOMINVS: Ego eum ad iuſtitiam ſuſcitaui, & eius omnes dirigam uias. Ipſe meam Ciuitatem ædificabit, meamque captiuitatem nec precio nec munere dimittet. Hæc, inquit Ioſephus 11. Antiq. cum Cyrus ex Eſaia legiſſet, Prophetæ, ducentis & decem annis ante ſuam ætatem de ſe ſcribentis, diuinitatem admiratus, &, Deo eius tunc mentẽ excitante, cupiditate exequendi quæ ſcripta legerat correptus eſt: conuocatisq; clarioribus apud Babylonem Iudæis, ait ſe illis permittere ut proficiſcantur in patriam, Vrbemq; Ieroſolymam & Dei Templũ ædificent denuò: nam & eum ipſum Deum, quem adorarent, quiq; ſuo nuncupato nomine ſe Templum eſſe ędificaturum per Vatem prædixerit futurum illis auxilio, & ſe uicinis Iudęæ ducibus, ut aurum atq; argentum ad Templi fabricam uictimasq; ad ſacrificia cõferant, ſcripturum. Hieronymus etiam Quæſt. in 2. Paral. librum teſtatur, Cyrum idcircò in ſuo edicto ſcribere, DOMINVM, ut ipſe ei Ieroſolymis Domũ ædificet, præcepiſſe, quia Eſdras Scriba ei prophetiam Eſaiæ oſtenderit, in qua contineretur: Hæc dicit DOMINVS Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi manum, &c. At ſi nos cœleſtis Cyri uelum ſubmoueamus, occurret CHRISTVS noſter benedictus, quẽ ut terrenus iſte Cyrus præfigurauerit, & Eſaiæ prophetia eiuſdem Cyri typo oſtenderit, ex ſubiecta utriuſque contentione planum fiet: DOMINVS ſiquidem Cyrum ſuum uocat Paſtorem, quòd more fidelis paſtoris carneos moderatus ſit Iſraelitas. Idem Michęæ 5. & Matt. 2. CHRISTVM Ducem nominat, qui ſpiritualem ſuum Iſraeliticum populum paſturus ſit. Et CHRISTVS Iohan. 10. de ſeipſo prædicat: Ego ſum bonus ille paſtor. Cyrum DOMINVS ſuam uolunta-

tem perfecturum esse ostendit, dum scilicet Iudæos captiuitate liberabit, & Ierosolyma atque Templum reficiet. CHRISTVS de se, Psalm. 94. & Hebr. 10. testatur: Ecce adsum, in capite libri scriptũ est de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Et apud Iohannem cap. 5. Ego meam uoluntatẽ non quæro, sed eius qui me misit Patris uoluntatem. Quæ opera mihi Pater dedit ut perficiam, ea ipsa opera de me testantur, quòd me Pater misit. Item cap. 8. Ego semper, quę Patri placita sunt, facio. Rursus cap. 6. Descendi de cœlo, ut eius qui me misit uoluntatem faciam: Hæc est autem eius qui me misit Patris uoluntas, ut quicquid mihi dedit (nihil) ex eo perdam, sed id in nouissimo die resuscitem. Cyrum DOMINVS terrenum Templum instauraturum esse profitetur. Idem de CHRISTO cœleste reparaturo Fanũ, Zachar. 6. sic inquit: Ecce uir, Ortus eius nomen, is DOMINI Templum construet. Et CHRISTVS de se Matthæi 16. Ego meam ædificabo Ecclesiam. Cyrum DOMINVS Messiam uocat, quòd ipso fortunante in Persię unctus sit Regẽ, quomodo 13. ad Rom. cap. Omnem potestatem à Deo constitutã esse, Apostolus perhibet: Christus autem uerus est Messias, læticiæ oleo in cœlestem inauguratus Regem, Hebr. 1. Qui & ipse Ioan. 4. se Messiam nũcupat. Cyrum DOMINVS dextera apprehendisse dicitur, suo nimirum nutu eum ad feliciter res gerendas dirigens: Christus Psal. 16. ait: Dominus mihi à dextera est ne cõmouear. Itẽ Psal. 139. Tua Domine me dextera tenebit. Ad Cyrũ Dominus ait: Ego te pręcedã ęreasq; perfringam portas: indicans omnia ei cessura & subijcienda esse. De Christo Dauid Psal. 97. canit: Eum pręcedet ignis qui eius inimicos in circuitu inflãmabit, Micãt eius fulgura, eũ ut terra uidit cõcussa est, montes ut cęra dissoluti sunt. Dominus se Cyro abscõditos thesauros daturũ esse ꝓmittit. De Christo Psal. 72. habetur: Reges

Cyrill. Cyrus nominatus est Christus, ideo ꝙ ueluti cœlesti suffragio in Regem unctus & à Deo ordinatus est, ut Babylonẽ uehementer expugnaret. Illud autẽ magis de Christo dici potest: cum enim propter Adæ pręuaricationẽ peccatum in omnes regnaret, & spiritus ab humana natura discessisset, ob eamq; causam in omnibus malis illa erat constituta: Idcirco unigenitus Dei Sermo homo factus est, ut & in eo solo natura hominis innocentiæ laudib. coronata, Spiritu sancto ditaretur, & sic reformaretur ad Deum per sanctificationem, Transit enim ad nos quoq; gratia à Christo correpta.

Reges Tharſis & Inſularum ei munera offerent, ei Arabes & Saba dona adducent, eumq́ue omnes Reges adorabunt. DOMINVS inquit ſe Cyri nomen nuncupaſſe antequam is ſe cognouiſſet: De CHRISTO Lucæ 2. ſcriptum extat: Vocatum eſt eius nomen IESVS, quod uocatum fuerat à DOMINI Angelo, priuſquam is in utero conciperetur. DOMINVS ait ſe Cyrum ad iuſtitiam ſuſcepiſſe, ut ſcilicet Iſraelitas liberans, & de eorum hoſtibus ultionē ſumens iuſtè agat: De CHRISTO Paulus 1. Corinth. 1. teſtatur, eum nobis à Deo factum ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem & redemptionem. Cyrum DOMINVS, ut ſemel finiam, nunciat ſuam captiuitatem nec precio nec munere dimiſſurum: De CHRISTO Paulus ſcribit: Serui eramus uenundàti ſub peccatum, ipſe ſeruus factus, gratis nos liberos fecit, precio ſui ſanguinis pro nobis perſoluto, Roman. 3. 7. 8. Gal. 4. Phil. 2. Hebr. 2. Et CHRISTVS de ſe ipſo Eſa. 61. Luc. 4. Spiritus DOMINI ſuper me, propterea quòd me unxit, me ad euangelizandum pauperibus miſit, ad medicandum corde fractis, ad prædicandum captiuis remiſsionem, & ad confractos in remiſſionem emittendos.

Cyrus cunctis Iudęis, qui Babylonicam habitarent regionem, permittit, ut Deo propitio in Iudæam aſcendant, & Ieroſolymis Dei Templum inſtaurent, in quo ſacrificia fiant, & perpetuus incendatur ignis, cuius altitudo, iactis fundamentis impoſita, ſit cubitorum 60. latitudo totidem, &c. Spiritualem quoq; Cyrum ſuos Iudæos, id eſt, puram ſui nominis cognitionem purè profitentes, ex myſtica huius mundi Antichriſtiq; regni liberatos Babylone, tandem aliquando emiſſurum, & ut collapſæ Eccleſiæ Templũ, ipſomet ſecundo, ad pręſcriptæ dimenſionis regulam inſtaurent, ubi laudis ſa-

Cyrus Iudæos ad Templũ Ieroſolymis in Iudæa inſtaurandum Babylone dimittit.

crificia fiant, & iugis feruentium precationum suffitus incendatur, mandaturũ, id inquam sancti Ecclesiæ Patres & intimis semper optauêre uotis, & ex D. Iohannis Apocalypsi ultima describentis tẽpora colligi non perperàm posse existimârunt: quippe quòd ille cum alijs sparsim capitibus spiritualem mysticę Babylonis captiuitatem deliniasset, ibidem 10. 11. 12. 14. 15. 18. 20. & 21. de fidelium liberatione futuraq; Ecclesiæ instauratione ea, quæ infrà posita sunt, uerba faciat: Vidi Angelum fortem de cœlo descendentem, amictum nube, facies eius erat ut Sol, & pedes tanquam ignis columnæ. Et habebat in sua manu libellum apertũ, posuitq; pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & magna uoce clamauit, quemadmodum rugit Leo, & quum clamasset, locuta sunt septem tonitrua suas uoces. Et audiui uocem de cœlo mecum loquentẽ, & (ita) dicentem: Vade accipe libellum apertũ, qui est in manu Angeli super mare superque terram stantis. Et ad Angelum abij, ei dicens, ut mihi libellum daret. Et dixit mihi: Accipe, eumque deuora. Et accepi libellũ. Tum (ille) mihi dixit: Oportet te rursus prophetare super populis, & Gentibus, & linguis Regibusque multis. Et datus est mihi calamus uirgæ similis. Et (Angelus stans) inquit: Surge, & Dei metire Templum, Aramque & in eo adorantes. Daboque duobus meis testibus, & prophetabunt dies mille ducentos sexaginta. Deinde septimus clanxit Angelus, & factæ sunt magnę uoces in cœlo, dicentes: Facta sunt huius mundi regna DOMINI nostri, eiusque CHRISTI, & regnabit in seculorum secula. Et uiginti quatuor Seniores prociderunt in suas facies, Deumque adorauerunt. Tum Dei Templum in cœlo apertum est, & uisa est Arca Testamenti eius in eius Templo, factaque sunt fulgura, & uoces, & tonitrua, & terræmotus, & magna Grando. Visum-

Areth. Cæsar. Calamus est cognitio rerum spiritualium.

Metiri Templũ est ex Dei uerbo definire ꝙ uerum sit templum. Et discernere quęnam ueritati sint consentanea, quæue minus.

Amb. in 1. Cor. 4. Enoch & Helias ultimo tempore mitti habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & muniendas oẽs Ecclesias ad resistẽdum Antichristo

Visumque est magnum signum in cœlo, Mulier amicta Sole, & Luna sub eius pedibus, & in eius capite duodecim stellarum corona: ea in utero gestans clamabat, & parturiens cruciabatur ut pareret. Peperit autẽ Filium marem, qui omnes Gentes ferrea uirga recturus erat, & raptus est ad Deum eiusque thronũ. Vidi (item) Angelum per cœli medium uolantem, Euangelium æternum habentem, ut terram incolentibus, omnibusque Gentibus, & linguis & populis euangelizaret. Postea uidi alium Angelum de cœlo descendentem, magnam habentem potestatem, & terra eius gloria illuminata est, isque magna uoce clamauit, dicens: Cecidit, cecidit magna Babylon, factaq; est dæmonũ habitatio, & omnis spiritus immundi, omnisque immundæ & inuisæ uolucris custodia. Item aliam uocem audiui de cœlo dicentem: Exite ex ea (Babylone) mi populus, ne eius peccatorum participes sitis. Deinde uidi apertum cœlum, & ecce albus Equus, cui qui insidebat uocatur Sermo Dei, Et exercitus, qui sunt in cœlo, eum in equis albis sequebantur, candido mundoque byssino induti. Et uidi nouum cœlum nouamque terram. Ego Iohannes uidi Ciuitatem sanctam, Ierosolymam nouam de cœlo descendentem, à Deo paratam, ut sponsam uiro suo ornatam: Audiuiq; magnam uocem de cœlo dicentem: Ecce Dei cum hominibus tabernaculum, qui cum eis habitabit, & ipsi eius populus erunt, & ipse Deus erit cum eis Deus eorum. Vbi Augustinus: Angelus de cœlo descendens, nube spirituali indutus, CHRISTVS intelligitur, amictus corpore suo, quod est Ecclesia. Legimus enim sanctos nubes, sicut Esaias dicit: Qui sunt hi qui ut nubes uolant? Pedes Angeli Apostolos dicit, per quos in uniuerso mundo doctrina CHRISTI discurrit. Vox de cœlo loquens, est imperiũ Dei, qui Ecclesiæ cor tangit, & iubet eam prædicatam percipere pacem. Quòd

Greg. Moral. lib. 34. cap. 7. Ecclesia quia superni luminis splendore ꝓtegitur, quasi sole uestitur, quia uerò cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.

Hier. in Es. Christus post resurrectionẽ albo equo insidebat, quãdo corpus immortale assumpsit.

Iohannes ait ſe abijſſe ad Angelum acceptum libellum, id in Eccleſiæ perſona dicit, quæ cupit à CHRISTO perdoceri. Quòd Templum & adorantes in eo metiri iubetur, ſignificat Eccleſiam recenſeri & ad ultimum præparari, unà cum ijs qui in ea adorant. Apertum eſt, inquit, Templum Dei in cœlo, id eſt in Eccleſia incarnationis CHRISTI myſteria patefacta ſunt: Cœlum enim Eccleſia eſt. Tonitrua, fulgura, terræmotus ſunt uirtutes prædicationis, & bellorum Eccleſiæ. Mulier cum cruciatu pariens filium qui mas erat, Eccleſia eſt, CHRISTVM, uictorem aduerſus Diabolũ, in aduerſis per membra parturiens. Per duodecim Stellas in capite mulieris duodecim Apoſtoli intelligi poſſunt. Per Angelum in medio cœli uolantem & euangelizantẽ, prædicatio in medio Eccleſiæ diſcurrẽs notatur. Quotiens uerò hìc Babyloniam nominari audis, noli Ciuitatem, de lapidibus factam, intelligere: ſed homines ſuperbos, raptores, luxurioſos, impios, in malis perſeuerantes, & omnes alios Diabolo conſentientes, ipſius nomẽ ſignare cognoſce: Babylonia enim confuſio interpretatur, Sicut è contrario quoties nomen Ieruſalem audis, quæ uiſio pacis dicitur, homines ſanctos ad Deum pertinentes, ipſamq; adeò Eccleſiam intellige.

Quinam ad inſtaurandũ Tẽplum Ieroſolymam aſcenderint.

Promulgato Cyri, de Iudęorũ libertate, edicto omnes ij ſe ad aſcendendum Ieroſolymam parârunt, ad inſtaurandum Templum, quorum mentes DOMINVS ſuo inſtinctu excitauit: multi tamen manere apud Babylonẽ maluerunt, non ſuſtinentes ſuas relinquere poſſeſsiones. Sic nimirũ fieri ſolet, ut quando ſpiritualis Cyrus myſticam indicit libertatem, internæq; captiuitatis clauſtra reuellit, & ex errorum atq; uitiorũ cõfuſa euocat Babylone, tum ij tantum ad cœleſtem petendam Ieroſolymam ſe parent, illic ipſimet, tanquam uiui Lapides, in

des, in ſanctum Dei Templum ædificandi, quos anteueniens præparauit gratia, internusque DOMINI tractus eò redegit, ut diuinam uocationem non modò audiant, ſed & intelligant, deditaq; ſequantur opera. Alij licet identidem uocentur & Dominicum audiant Sermonem, ſuperueniunt tamen huius uitæ curæ, & diuitiarum fallacia reliquarumque rerum cupiditates, quæ auditum ſermonem in eis ita ſuffocant, ut ſit infructuoſus, Matth. 13. Marc. 4. Iohan. 6. Hic quoque aduertendum erit eos demum ad conſtruendum Eccleſiæ Templum cum fructu abituros, quos ipſe DOMINVS ad id permotos excitârit, unde & CHRISTVS ſuis Apoſtolis dicebat: Non uos me elegiſtis, ſed ego uos elegi, & cõſtitui, ut eatis, & fructum afferatis, ueſterq; fructus maneat, Iohan. 15. De alijs Paulus 10. ad Rom. cap. ſic ſcriptũ reliquit: Quomodo prædicabunt ſi non ſunt miſsi? Et Ambroſius eadem explanans uerba: Non erunt ueri Apoſtoli, inquit, niſi à CHRISTO mittantur, nec poterunt prædicare ſine auctore: nulla enim his ſigna uirtutum perhibent teſtimonium.

Beda: Qui peccant uel ſecularia curãt in imo ſunt: Qui uerò Deo placere deſiderãt ad cœleſtia ſuſpirant, omnes mundi pompas æternorum bonorum amore tranſcendunt, ut ſua corda per diuinam miſerationem præparare poſsint, quæ Deus habitare atq; illuſtrare, ut uera Templa, dignetur.

Cyrus omnes ſumptus, tum ad Templi fabricam, tum ad ſacrificia neceſſarios, de Regio ſuo fiſco ſubminiſtrari uoluit: Eo indicabatur uniuerſa, quę uel ad legitimam Eccleſiæ inſtaurationem, uel ad uera fidei opera, & ad ſpiritualia laudis atque precationum ſacrificia attinent, ſupernè à Deo & myſtico Cyro, CHRISTO IESV, ſuggeri oportere: quomodo Iacobus 1. ſuæ Epiſtolę cap. inquit: Omnis bona donatio & omne donum perfectũ ſupernè eſt, deſcendens à Patre luminũ. Item Baptiſta 3. apud Ioan. Homo non poteſt accipere quicquã, niſi fuerit ei de cœlo datum. Et Iohannes ipſe cap. 1. Ex CHRISTI plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Item CHRISTVS apud eundem, cap. 15.

Cyrus omnes ſumptus & ad fabricam Templi & ad faciendá ſacrificia contulit.

Ego ſum uitis,uos palmites.Qui in me manet,& ego in eo, is multũ fert fructum : ſiquidẽ ſine me uos nihil facere poteſtis.Idem Matt.15.Omnis plantatio,quã meus cœleſtis Pater non plantauit,eradicabitur. Paulus quoque 15. ad Romanos ait: Gratia mihi à Deo eſt data, ad hoc,ut ſim IESV CHRISTI miniſter ad Gentes,Dei ſacrificans Euangeliũ, ut Gentium oblatio accepta fiat, per ſanctum Spiritum ſanctificata. Habeo igitur quod in CHRISTO IESV glorier apud Deum : non enim quicquam eorum loqui auſim, quæ CHRISTVS per me non effecerit, in Gentium obedientiam. Et cap. 8. Spiritus noſtras adiuuat infirmitates : nã quid oremus, ut fieri debet, neſcimus : ſed ipſe Spiritus pro nobis poſtulat inenarrabilibus gemitibus. Idem 1.Corint.15. Dei gratia ſum quod ſum, & eius in me gratia non fuit inanis, ſed abundantius quàm illi omnes laboraui, ſed tamen non ego,ſed Dei gratia quæ mihi adeſt.Et 2.Cor.3. Non quòd à nobiſipſis idonei ſimus, qui aliquid,ut ex nobiſipſis(uel)cogitemus,ſed quòd idonei ſumus,id ex Deo eſt : qui & nos idoneos reddidit Noui Teſtamenti miniſtros. Idem ad Philip.cap.1. Is qui in uobis opus bonum incepit (idẽ)perficiet uſq; ad diem IESV CHRISTI. Ac rurſus cap.2. Deus is eſt, qui in uobis operatur, ut & uelitis & efficiatis. D.Petrus etiam 2.ſuæ Epiſtolæ cap.1.ſcribit: Per CHRISTI IESV cognitionem omnia nobis largiri,quæ ad uitam ac pietatem attinent. Et Apocal.8. dicitur, fumum ſuffimentorum de orationibus Sanctorum ex Angeli manu(qui CHRISTVS eſt) coram Deo aſcendere.

Templi Vaſa. De Templi uaſis quæ, à Nebuchadneſare ſublata, Cyrus reddidit,ſic Lyra:Per uaſa à Nabuchodonoſoro ablata de Domo DOMINI, poſſunt dona Spiritus ſancti intelligi,quæ diabolus è mente hominis,quæ diuini-

tatis

tatis est Templũ, aufert, quando eam ad mortalis pecca ti casum inducit: Sed noster Cyrus, id est CHRISTVS, ea remittit, cum mentem à peccato resurgere facit, quò illa deinceps ad Ecclesię ædificationẽ per uirtutis à DOMINO restitutæ exercitium laboret.

Reddidit autem Cyrus Templi uasa per suos administros, Mithridatem Gasparem & Sesbasarem: Mithridates Latinè dici potest explorans, contemplans aut intelligens Legem: Gaspar thesaurarius, quæstor, œconomus: Sesbasar autem gaudiũ in tribulatione. CHRISTVS uerus Mithridates & beatus ille Vir est, de quo 1. Psalmo sic prædicitur: Eius uoluntas in DOMINI lege erit, in eaque die ac nocte meditabitur. Idem quoque 8. ad Hebræos capite: Sanctorum (bonorum) ac ueri Tabernaculi quod Deus fixit & non homo Administrator, Et Psalmo 4. Basar qui dilatet ac gaudium in tribulatione adferat, denominatur. At post CHRISTVM per hos Cyri administros etiam fideles CHRISTI Seruos intelligamus licet, qui cum Dauide legem DOMINI suam meditationem esse, & cum Paulo se Dei mysteriorum constitutos Dispensatores, seque in ipsis tribulationibus gloriari atque gaudere, prædicare possunt, Psalm. 119. 1. Corinth. 4. Rom. 5.

Mithridates. *Gaspar.* *Sesbasar.*

De Zerubabele Sealthielis filio, qui Dux populi ex Captiuitate redeuntis & instaurandi Templi Præses fuit, Haggæus secundo cap. his uerbis mentionem infert: In illa die, inquit DOMINVS Zebaoth, assumam te Zerubabel Sealthielis fili, qui meus es Seruus, & te quasi signaculum ponam: quoniam te elegi. Item Zacharias cap. 4. Hoc est DOMINI uerbum ad Zerubabelem: non per exercitum neque per uim, sed per meum Spiritum, dicit DOMINVS Zebaoth. Quis es tu mons

Zerubabel.

ingens coram Zerubabele? complanaberis, & educet lapidem primariũ, qui gratiam, gratiam habere clamitabitur, Factumque eſt DOMINI ad me uerbum: Zerubabelis manus Domum iſtam fundauerunt, & eiuſdem manus eam perficient. Quis paruos iſtos dies deſpexit? Gaudebunt & uidebunt ſtanneum lapidem in Zerubabelis manu. Hæc quidem de Zerubabele illo, qui typicum poſt Babylonicam captiuitatem inſtauraturus atque abſoluturus erat Templum, iuxta hiſtoricum primò intelligēda eſſe ſenſum, & cuiuis ex ipſo cõtextu planũ fieri poteſt, & Eſdræ libri manifeſtè oſtendunt. At ſi, remota umbra, ipſam deinde ueritatem cõtemplari placeat, occurret alius Zerubabel omniũ figurarum corpus, finis & conſummatio exiſtens, CHRISTVS ſcilicet DOMINVS noſter atque Seruator: Is ſiquidem propter aſſumptam ſeruilem formam in primo ſuæ Exinanitionis ſtatu DOMINI Seruus appellatur, Phil. 2. Eſa. 41. 42. De eo Ioan. 6. ſic dicitur: Hunc Pater ἐσφράγισεν, id eſt, conſignauit. Eundem Paulus 2. Ephe. Angularem, Petrus 1. ſuæ Epiſtolæ 2. Electum coram Deo lapidem nuncupat. Idem Antichriſto (non externo brachio, ſed) oris ſui Spiritu interfecto collapſam Ecclesiã in pace inſtauraturus eſſe creditur, Eſa. 11. 2. Theſſal. 2. Idem ſua dextera magnum illum montem, Diabolum inquam, cum omni eiuſdem principatu deturbauit atque comminuit, Ioan. 14. Heb. 2. Col. 2. Idem Ezechielis 36. de ſeipſo teſtatur: Ego ſum DOMINVS ille qui diruta ædificaui, & deſolata plantaui. Et Apocal. 1. 3. Ego ſum α & ω, principium & finis: Ego principiũ creaturæ Dei. De eodem Ioannes 1. cap. ita ſcribit: De Chriſti plenitudine nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. Et Paulus 5. ad Rom. Gratia (eſt) unius hominis IESV CHRISTI. Idem 12. ad Hebr. Intueamur in fidei auctorem & perfectorem IESVM. Item Cyrillus ad Regi-

Aug. Tract. 25. in Ioan. Quid eſt pater illũ ſignauit? proprium quiddam illi dedit, ne cæteris compareтur hominibus. Ideo de illo dictũ eſt: Vnxit te Deus oleo exultationis præ participibus tuis. Ergo ſignare quid eſt? Exceptũ habere pręparticipibus, ne confundatur cum genere humano, ſed per eũ liberaretur genus humanum.

Reginas: Secundus Adā denominatus est CHRISTVS:
idem caput positus est, hoc est principium, eorum qui
per ipsum ad ipsum reformātur, ut fiant incorrupti per
sanctificationem in Spiritu. His nunc Hieronymi subij-
cienda sunt testimonia, quæ & nostram confirmabunt
explicationem, & adductos ex Haggęo atque Zacharia
locos pluribus ex professo enucliabunt uerbis: Cómen-
tario in Haggæum ille sic loquitur: Zorobabel de tribu
Iuda, hoc est, de Dauidis stirpe, descendens typus est Sal
uatoris, qui uerè destructum ædificauit Templum, id
est, Ecclesiam, & reduxit populū de captiuitate. Et tàm
de ueteris Templi lapidib. quàm de nouis, qui prius fue-
rant impoliti, ædificauit Ecclesiam, id est, & de reliquijs
populi Iudaici, & de Gentium multitudine Deo Patri
extruxit Tabernaculum. Interpretatur autem Zoro-
babel secundum multiplices Hebraici sermonis accen-
tus, uel ῥεῦσις προσκειμένη, id est, fluxus adiacēs, siue expositus,
uel ortus in Babylone, uel Princeps de Babylone. Primę
interpretationi ille fluxus cōtrarius est, qui significatur
in uocabulo Iezabel, id est, fluxus uanus uel fluxus men- אכל.
struatæ, qui utique immundiciam sonat, Sed & Zabu- זבלון.
lon fluxus noctis exponitur: Relinquentes ergo huius
mundi uanum & sordidum fluxum atq; tenebrosum,
sequamur fluxum IESV, qui nobis expositus est ad bi-
bendum, & largissimo fonte se prębet: iuxta illud quod
dicitur in Euangelio: Stabat Iesus in Templo, & clama- Iohan. 7.
bat, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Et hunc
ipsum tunc poterimus bibere, cum petierimus à Deo
Patre: iuxta quod legimus, Matth. 7. cap. Petite, & da-
bitur uobis: Salathiel quippè interpretatur petitio Dei, שאלתיאל.
Et nemo uenit ad IESVM, nisi eum adduxerit Pater,
Iohan. 6. Nascetur ergo nobis fluxus, expositus per ob-
secrationem Dei, & erit de tribu Iuda, regia scilicet &

confitente uel laudante Deum: quia Iudas utrunq; ſonat. Porrò ortus in Babylone, ſecundum hiſtoriam quidem uerè de Zorobabel dicitur, quia ibi natus eſt: Sed & iuxta altiorem intelligẽtiam DOMINVM noſtrum IESVM ſonat, quia ipſe quoque natus ſit in confuſione huius ſeculi, & fuerit propè grauiſsimum flumen Chobar, & uiderit magnam uiſionem illam, quam ſub eius typo Ezechiel in uoluminis ſui cernit exordio. (Ezech. 1.) Quòd autem dixi interpretari Zorobabel Principem de Babylone, non quòd uerè princeps interpretetur hoc dixi: ſiquidẽ apud Hebræos ex tribus integris nomen eius traditur eſſe compoſitum, זר enim dicitur iſte, רב magiſter ſiue maior, בבל propriè Babylonium ſonat: & efficitur nomen Zorobabel, iſte magiſter de Babylone. Sed ad cõpendium intelligentiæ pro ſupradictis minutis, principẽ uolui interpretari de Babylone ſiue in Babylone: Vt quomodo IESVS filius Naue, qui & ipſe in typo Saluatoris fuit, de ſolitudine populũ in terrã repromiſsionis induxit: ſic & iſte (in eiuſdẽ noſtri Saluatoris figura) propterea ortus in Babylone ſit, ut eos qui erant in Babylone, reduceret in terrã repromiſsionis, de qua captiui abducti fuerant: & his qui erant in uinculis, diceret: Exite. Et qui ſedebant in tenebris: Illuminamini. Commentario aũt in Zachar. idẽ huiuſmodi utitur explicatione: Montem qui coram Zorobabel, de quo naſciturus erat CHRISTVS, ſtare audet, & ſe erigere, plerique noſtrorum Diabolum interpretantur, (Mons Diabolus.) qui in Euangelio ad CHRISTVM audet dicere: Hæc omnia mihi tradita ſunt, & dabo ea tibi, ſi procidens me adoraueris. Quem DOMINVS ſuis pedibus proſternens, & de ſuperbo humilem faciens atque deiectum, dicit: Vade retro Sathana, ſcriptũ eſt enim: DOMINVM Deũ tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies. Dantq; exemplum in Euangelio Lunatici, quem cum Apoſtoli non potuiſſent ſanare,

nare, interrogant cur ſanare nequiuerint? & audiunt: Amen dico uobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic tranſi hinc, & tranſibit: & nihil impoſsibile erit uobis. Hoc autem genus non eijcitur, niſi per orationē & ieiunium. Mons ibi apertè Diabolus accipitur. Lapis autem primarius qui educetur, eſt Verbum quod in principio erat apud Deum, & educitur de ſinu Patris in carnem. Quod dicit de gratia, ſignificat nos omnes de plenitudine CHRISTI accipere gratiam pro gratia, id eſt, pro gratia Legis gratiam Euangelij, ut æqualem gratiam & par munus, & ex Iſraele credentes accipiant, & populus Ethnicorum. Per manus Zorobabel, qui fundaturus ſit Domū, & perfecturus, multi CHRISTVM interpretātur (qui Eccleſiam fundat & perficit) Lapidem ſtanneum in manu Zorobabel quidam corpus CHRISTI accipiunt, quod non plumbeum ſed ſtanneum puriſsimū uocetur, quia nullis peccatorū fuerit maculis ſordidatum. Poteſt etiam fieri, ut CHRISTVS ideò hìc per lapidem, & quidem ſtanneum lapidem, figuretur, pro quo in Hebraico ſcriptum eſt אבן הבריל quòd ſit murus & fortitudo roburque credentium: Sicut enim ſtannū ab igne alia metalla defendit, & cum ſit natura æs ferrumque duriſsimum, ſi abſq; ſtanno fuerit, uritur & crematur: ſic omnis Angelorum & hominum fortitudo, ſi nō fuerit auxilium Saluatoris, imbecilla probatur & fragilis. Lapis autem iſte, id eſt, maſſa, qui apud Hebræos הבריל ſcribitur, id eſt, ſtanneus, ἐτυμολογεῖται ἀποχωρίζων, id eſt, ſeparans & ſecernens: ut quomodo ſtannū mixta & adulterata inter ſe per ignē metalla diſſociat: ita DOMINVS uerus probator & χωνευτὴς ab auro & argento bonorum operum ęs uitiorum plumbumque ſecernat, ut purum aurum remaneat & argentum. Alijs uerbis ἀποχωρίζων iſte & ſeparator in Euangelio ſcribitur: Cuius uentila-

Lapis primarius.

Lapis ſtāneus.

Luc. 3.

brum in manu ſua, & ipſe purgabit Aream ſuam, & ſeparabit paleas à tritico, Lucæ 3. Qui clamat per Ieremiam, cap. 3. Quid paleis ad frumentum? dicit DOMINVS. Hæc ille.

Ieſua. Quod ad Ieſuam, ſummum Sacerdotem, attinet, qui unà cum Zerubabele tum populo tum Templi fabricæ præſidebat, de eo Zachariæ 3. cap. in CHRISTI imagine ſic ſcriptum legimus: Oſtendit mihi Ieſuam, maximum Sacerdotem, ſtantẽ coram DOMINI Angelo. Et Sathan ſtabat ad eius dexteram, ut ei aduerſaretur. Et DOMINVS ad Sathanam dixit: Increpet te DOMINVS Sathan, increpet, inquam, te DOMINVS qui Ieroſolymam elegit, Nonne iſte eſt ut torris erutus de igne? Ieſua autem ſordidis ueſtibus erat indutus, & ſtabat coram Angelo, qui ad aſtantes dixit: Auferte ab eo ſordida ueſtimenta, Et dixit ad eum: Ecce abſtuli à te tuam iniquitatem, & te Podere induo, & dixit: Imponite eius capiti mundam Cidaram. Itaque mundam Cidaram eius capiti impoſuerunt, eumque ueſtibus induerunt. Et conteſtatus eſt DOMINI Angelus Ieſuæ dicens: Sic dicit DOMINVS Sebaoth: Si in meis uijs ambulaueris, ſiq; meam cuſtodiam cuſtodieris, tu quoque & Domum meam iudicabis, & Atria mea cuſtodies, tibique tranſitus dabo inter iſtos aſtantes. Audi ſanè Ieſua, maxime Sacerdos, tu amicique tui, qui portenti ſunt Viri: Ecce ego adducam Seruum meum Orientem (ſeu Ortum uel Germen) Ecce enim Lapis ille, quem ante Ieſuam poſui, in eo uno Lapide ſeptem erunt oculi. Ecce (inquam) ego eius ſculpturam ſculpam, dicit Dominus, & terræ iniquitatẽ una die abolebo. Illa die, dicit Dominus Sebaoth, uocabit quiſq; ſuũ proxi-

proximum ſubter uitem, ſubterque ficum. Et capite 6. inquit Zacharias: Factũ eſt DOMINI ad me uerbum: Accipies argentum & aurum, coronasq; facies, & impones capiti Ieſuæ maximi Sacerdotis, & hoc modo ad eũ dices: Sic ait DOMINVS, Ecce uir, Oriens eius nomen, ſub eo orietur, & ipſe DOMINI Templum ædificabit, ipſe (inquam) DOMINI Templum ædificabit, & portabit gloriam, ſedebitque & dominabitur in Throno ſuo, & erit in throno ſuo Sacerdos, eritque pacis conſilium inter illos duos. Et qui procul ſunt, uenient, & in DOMINI Templo ædificabunt. Quænam uerò ex his uerbis typico Ieſuæ iuxta ſimplicem Literæ enarrationem attribui, & qua id ratione fieri queat, ſi forſan cognoſcere uoles, Hieronymum licet, Iudaicos ſuper ea re Cõmentarios adducentem, conſulas: nos quemadmodum idem ſingula ferè ſpirituali ad noſtrum Ieſuam intelligentia dirigat, umbrasque ueritatis oſtenſa luce non ita perperàm diſcutiat, ipſius quidem uerbis, ſed tamen in compendium redactis, ordine indicabimus: Sermo DOMINI, qui factus eſt in manu Haggæi, non ſolum ad Zorobabel dirigitur filium Salathiel, de quo ante diximus (ait Hieronymus) ſed & ad Ieſum filium Ioſedech Sacerdotem magnum. Quantum ad hiſtoriam pertinet, alter eſt Zorobabel de tribu Regia, & alter Ieſus de tribu Sacerdotali. Quantum uerò ad intelligentiam ſpiritualem, unus atque idem eſt DOMINVS noſter atque Saluator, Rex & magnus Sacerdos: cuius typum ſecundum id quod Rex erat, portabat Zorobabel: ſecundum id autem quod Pontifex erat, cognominis eius Ieſus: qui interpretatur Deo ſalus, id eſt, Domini Salus: & eſt filius Ioſedech: quod & ipſum in linguam noſtram uertitur יה id eſt, Deus, צדיק id eſt, Iuſtus. Iuſtus enim & ſanctus Deus Pater, & Deus Filius, & non eſt in ipſo iniquitas. Et uerè eſt Ieſus magnus Sacerdos,

Ionathas hunc locum ſic uertit: Ecce Vir, cuius nomen eſt Meſsias, futurũ eſt ut reueletur & magnificetur, & ipſe ædificabit Templũ Domini.

Hier. in 1. Haggæi cap.

יהושע

cui omnes Dei Antiſtites comparati parui ſunt aut nihil, Ipſe ſiquidem eſt de quo dicitur: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui quoniam per ſe uideri non poteſt, à DOMINO Zachariæ Prophetæ oſtenditur, ſtans coram Angelo DOMINI, quem noſtri uolunt magni conſilij eſſe Angelum: non quod alter & alter ſit, aut duas perſonas recipiamus in Filio, ſed quod idem atque unus, & quaſi homo ſordidatus oſtenditur, & quaſi Angelus mediator hominum & Dei apparere dicatur. Stans autem cernitur IESVS, & ſtabili conſiſtens gradu: Et Sathan ſtabat à dextris eius, ut aduerſaretur ei: Tentatus enim eſt per omnem modum abſque peccato. Et in Euangelio ad eum Tentator accedit, quærens ſemper dextris eius & uirtutibus contraire. Quodque ſequitur: Increpet DOMINVS te Sathan, & increpet DOMINVS qui elegit Ieruſalem, ſic ediſſerunt, quia Pater & Filius DOMINVS eſt, Et in 109. Pſalmo legimus: Dixit DOMINVS DOMINO meo: DOMINVS de altero DOMINO loquitur, non quòd ipſe DOMINVS qui loquitur, increpare nõ poſſit, ſed quòd ex unitate naturæ cum alter increpauerit, increpet ipſe qui loquitur: qui enim uidet Filium, uidet & Patrem. Et iſte eſt qui elegit Ieruſalem, Eccleſiam quæ pacem DOMINI contemplatur. Torris autem de igne erutus, idem rectiſsimè intelligi poteſt: qui cum in Babylone fuerit, non eſt Babylonio igne conſumptus, nec flamma ſeculi huius attactus. Vnde & Moyſes in ſolitudine cernit uiſionem magnam, in qua ardebat rubus, & non comburebatur, Exodi 3. cap. Hic IESVS erat indutus ueſtibus ſordidis, qui cum non feciſſet peccatum, pro nobis peccatum factus eſt, & ipſe infirmitates noſtras portat, & pro nobis dolet, & nos reputauimus eũ eſſe in dolore & in plaga & in anguſtia. Ipſe ue-

Hier. in 3. Zachar. cap.

Matt. 4.

Greg. Mora. lib. 20. cap. 20. Sordidis ueſtibus Ieſus indutus erat, quia quamuis alienus ab omni peccato eſſet, tamen in ſimilitudine carnis peccati uenit

Eſa. 53.

Ipſe uerò uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. Et in Apoſtolo legimus: CHRISTVS redemit nos de maledicto Legis, factus pro nobis maledictũ. Hic in 21. Pſalmo loquitur: Longè à ſalute mea uerba delictorum meorum. Et in 68. Pſalmo: Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Quæ uniuerſa appellantur ſordida ueſtimenta, & auferentur ab eo, cum noſtra peccata deleuerit: ut quia ille ſordidis indutus eſt ueſtibus, nos reſurgentes in eo audiamus: Candida ſint ſemper ueſtimenta tua, Credentiumq́ue omnis Eccleſia audit, Lauamini mundi eſtote. Et de ipſa prophetatur in Cantico Canticorum: Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata? Cidarim mundã ſuper caput IESV ſplendorem diuinæ maieſtatis intellige. Iſta quoque omnia: *Si in uijs meis ambulaueris, tu quoq; iudicabis Domum meam, & cuſtodies Atria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc aſsiſtunt, &c.* noſtri ad DOMINVM Saluatorem referunt, quod licet uideatur difficile, tamen facilè ſoluitur, ſi ipſum conſideremus quatenus formã ſerui dignatus eſt aſſumere, quodq́; ad caput quicquid de membris dicitur referatur, & noſter profectus CHRISTI ſit uictoria. Cumq́; nos peruenerimus in uirũ perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis CHRISTI, ille iudicabit Domum Dei: ſecundum id quod Apoſtolus dixit: CHRISTVS autem ſicut Filius ſuper Domũ eius, cuius Domus ſumus nos. Et ad Timotheum: Scias quomodo debeas in Domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei uiuentis. Et non ſolum iudicabit Domũ eius, ſed cuſtodiet Atria DOMINI, de quibus ſcriptum eſt: Adorate DOMINVM in Atrio ſancto eius: Et pro meritis ſingulorum, alij dans decem Ciuitates, & alij quinque, & alios in Eccleſia conſtituens Prophetas, alios Apoſtolos, alios Doctores, alios ſigna facientes, alios pro

Marginal notes: Galat. 3. — Eſa. 1. — Cantic. 3. — Phil. 2. — 2. Cor. 8. — Epheſ. 4. — Hebr. 3. — 1. Tim. 3. — Pſal. 28. — Luc. 19. — Epheſ. 4.

oculis habens, alios pro manibus, alios pro pedibus: iuxta illud quod legimus: Deus ſtetit in Synagoga Deorũ, in medio autem Deos dijudicat. Dantur quoque IESV de Angelorum numero miniſtri, id eſt, Apoſtoli & ſancti quiq; uiri, qui cum in carne conſtituti uirginali continentia ſimiles ſint Angelis, & municipatum ſuum in cœleſtibus habeant, aſsiſtent ei in Eccleſia, & nunquam fluctuantes habebunt pedes, ſed cum ſtante DOMINO ſtabunt. Quod ſequitur: Audi IESV, tu & amici tui, qui uiri τερατασκόποι, id eſt, portendẽtes ſunt, Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem: hic nunc IESV (ueri Ieſu typum præferenti) & amicis eius portentibus (futura, Apoſtolos nempè, prę ſignificantibus) dicitur, plenam felicitatem & perfectam beatitudinem tunc futuram, quando uenerit Oriens, de quo ſcriptum eſt: Ecce uir, Oriens nomen eius. Et in Malachia: Orietur uobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. In Euangelio quoq; apertiſsimè de CHRISTO legimus: Viſitauit nos Oriens ex alto. Hoc autem: Ecce lapis quem dedi coram Ieſu, &c. Amatores hiſtoriæ ſic de CHRISTO intelligunt, ut poſt Ieſum filiũ Ioſedech CHRISTVM dicant eſſe uenturum: Hoc enim eſſe coram Ieſu, id eſt, in eius conſpectu, & ante faciem, ut futura ſignificet (& ipſe Ioſedechi filius intellexerit per ſe CHRISTVM præfigurari) Appellari autem eum Lapidem pro fortitudine & robore, quo omnia regna cõtriuerit, quem etiam in Daniele de Monte ſine manibus præciſum legimus. Dicitur etiam lapis Angularis, quia populum utrunque coniungat, & duos parietes in unam domum conſociet. Non credentibus lapis ſcandali eſt. Super hunc lapidẽ ſeptem oculi ſunt, de quibus loquitur Eſaias: Exiet uirga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcẽdet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Dei, ſpiritus ſapientiæ & intelligẽtiæ, ſpiritus conſilij & fortitudi-

Psal.81. Matth.22. Phil.3. Zach.6. Malach.4. Lucæ 1. Daniel.2. Epheſ.2.4. Pſalm.117. 1. Pet.2. Eſa.11.

titudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & implebit eũ ſpiritus timoris Dei. Huius dicti ſculpã ſculpturã eius, &c. is eſt ſenſus: Iſtum lapidem clauis crucis & lancea militis faciam uulnerari: & in illius paſsione auferam iniquitatem terrę in die una, de qua ſcriptum eſt: Hæc eſt dies, quam fecit DOMINVS, exultemus & lętemur in eo. In illa die paſsionis CHRISTI, uocabit uir qui perfectus eſt in Chriſto, & cũ Apoſtolis ad dominicæ beneuolentiæ cultum aſcendit, proximũ ſuum: uel credentes ex Iudæis, uel certè Gentilium populum, ſubter uineam quę appellatur Sorech, & de qua dicitur in Euangelio: Ego ſum uitis, cuiusq; fructus lętificat cor hominis: & ſubter ficum, Spiritus ſancti poma dulciſsima, ut æterna pace requieſcant, & cõpreſſa ſeditione mundi & cruore bellorum, ſciant ſe eſſe ſub Rege, cuius myſticè in Salomone eſt nomen pacis. Iubetur Prophetæ (ait porrò Hieronymus, ea quoq; quæ ex 6. Zach. cap. dudum producta ſunt, explanans) ut poſtquam coronas fecerit, & eas ſuper caput Ieſu, filij Ioſedech, poſuerit, loquatur ad eum, & dicat: Ecce uir Oriens nomen eius & ſubter eum orietur, & reliqua: Hic nos Ieſum non diuidimus, nec duas perſonas in unam poſſumus facere perſonam, ſed ipſe qui IESVS appellatur eo quòd ſaluauerit mundum, & צמח ἀναφυή, ſiue βλάστημα uel ἀνατολή, id eſt, oriens uel germen nũcupatur, quia ex ſeipſo & radice ſua repentè ſuccreſcens in ſimilitudinem germinis pullulauit, in eiusq; diebus orta eſt iuſtitia, & ſubter eum orietur multitudo credentium, ipſeq; ædificabit Domum DOMINI, id eſt, Eccleſiam, & accipiet (coronas, id eſt) uirtutem, & decorem, ac profectum, & gloriam: & quia ipſe & Rex & Pontifex eſt, ſedebit & dominabitur in Throno ſuo, in Throno Dauid, id eſt, tam in Regali quàm in Sacerdotali Throno, & conſilium pacificum erit inter utrunque, ut nec regale faſtigiũ Sacerdotalẽ deprimat

Iohan. 19.

Iohan. 15.

dignitatem, nec ſacerdotij dignitas regale faſtigium, ſed in unius gloria DOMINI IESV (Dei & hominis) utrunque conſentiat. Cum CHRISTVS autem fuerit coronatus, his quoque promittitur, qui per maiora peccata longè fuerãt à Iudæa & cõfeſsione uerißima, quòd uenient, & per ſingulos profectus ſuos ædificabunt Domum DOMINI. Adhuc Hieronymum citatos duos ex Zacharia locos explicantẽ audiuimus, cum quo Tertullianus & Lactantius de priori loco, quod ad Ieſuæ ueſtitus & Sacerdotij deſignationem attinet, uno quaſi ore

Tertullianus. conſentiunt, ſic enim Tertullianus libro aduerſus Iudæos: Apud Zachariam in (Ieſuę) perſona, imò & in ipſius nominis ſacramento uerißimus Sacerdos Patris CHRISTVS duplici habitu in duos aduentus deliniatur. Primo ſordibus indutus eſt, id eſt carnis paßibilis & mortalis indignitate, cum & Diabolus aduerſabatur ei, auctor ſcilicet Iudæ traditoris, qui eum etiam poſt Baptiſmũ tentauerat, & in hoc ſuo aduentu CHRISTVS uenit in humilitate uſque ad paßionem, ipſe etiam effectus hoſtia per omnia pro omnibus nobis. Dehinc ſpoliatus priſtinas ſordes, poſt reſurrectionẽ exornatus eſt podere & mitra, & cidari munda, id eſt, ſecundi aduentus: quoniam gloriam & honorem adeptus demonſtratur, & Sacerdos in æternum Dei Patris nuncupatus eſt.

Lactantius. Lactantius autem lib. de uera Sapientia cap. 14. ſic: Apparet Prophetas omnes denunciaſſe de CHRISTO, fore aliquando, ut ex genere Dauid corporaliter natus, conſtitueret æternum Templum Deo, quod appellatur Eccleſia, & uniuerſas Gentes ad religionem Dei ueram conuocaret. Hæc eſt Domus fidelis, hoc immortale Templum, in quo ſi quis non ſacrificauerit, immortalitatis premium non habebit. Cuius Templi, & magni & æterni, quoniam CHRISTVS fabricator fuit, idem neceſſe eſt habeat in eo Sacerdotiũ ſempiternum:

Dauid

Dauid in Pſalm.109.idipſum docet,dicens:Iurauit DOMINVS,& non pœnitebit eum,tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quis autem futurus eſſet, cui Deus æternum Sacerdotium pollicebatur,Zacharias,etiam nomine poſito,apertiſsimè docuit,ſic enim dixit:Et oſtendit mihi DOMINVS Deus IESVM Sacerdotem magnum,Et ecce titio eiectus ab igne,& IESVS erat indutus ueſtimentis ſordidis,& ſtabat ante faciem Angeli,& is dixit ad circumſtantes:Auferte ueſtimenta ſordida ab eo,&c.Hæc locutus eſt Propheta de IESV filio Dei, ut oſtenderet eum primò in humilitate & carne eſſe uenturum: hæc enim eſt ueſtis ſordida,ut pararet Templũ Deo:Et ſicut titio igni comburereturid eſt, ab hominibus cruciamenta perferret, & ad ultimum extingueretur: Titionem enim uulgus appellat extractũ foco torrem ſemiuſtum extinctum. Quomodo autem & cum quibus mandatis à Deo mitteretur in terram, declarauit Spiritus Dei per eundem Prophetam,docens futurum,ut cum uoluntatem ſummi Patris fideliter & conſtanter impleſſet,acciperet iudicium atque imperium ſempiternum. Si in uijs meis, inquit,ambulaueris,& præcepta mea ſeruaueris, tu iudicabis Domum meam. Quæ fuerint uiæ Dei,& quæ præcepta eius, nec ambiguum nec obſcurum eſt: Deus enim cum uideret malitiam & falſorum Deorum cultus per orbem terræ inualuiſſe, ut iam nomen eius ex hominum memoria fuiſſet penè ſublatum (etiam apud Iudæos) Filium ſuum, Principem Angelorum, legauit ad homines, ut eos conuerteret ab impijs & uanis cultibus, ad cognoſcendum & colendum Deum uerum, item ut eorum mentes à ſtultitia ad ſapientiam, ab iniquitate ad iuſtitiæ opera traduceret.Hæ ſunt uiæ Dei,in quibus eum ambulare præcepit. Hæc præcepta quæ ſeruanda mandauit. Ille uerò exhibuit

Deo fidem: docuit enim quòd unus Deus ſit, eumq́; ſolum coli oportere. Propterea quia tam fidelis extitit, quia ſibi nihil prorſus aſſumpſit, ut mandata mittentis impleret: & Sacerdotis perpetui dignitatem, & Regis ſummi honorem, & Iudicis poteſtatem, & Dei nomen accepit. Hæc ſanè pij illi Patres de noſtro Ieſua ſic explicant, quæ licet per digreſsionem huc deriuata eſſe uidebuntur, ut & ſuperioris proximi paragrahi pleraq;, ego tamen, quòd res paulò abſtruſiores eleganter aperiant, & ueram CHRISTI cognitionem, quam nunquam ſatis, ſiue opportunum ſiue importunum habeamus locum, inculcare poterimus, grauiſsimis amplificent uerbis, nactus qualemcunque occaſionē ſilentio præterire nolui, nunc ad propoſitum rediens, ab eo deinceps non niſi ipſa exigente cauſa egrediar.

Iudæi Zerubabele & Ieſua ducibus ex captiuitate in Iudæā ad inſtaurandum Ieroſolymis Templū redierunt.

Quòd Iudęi Zerubabele & Ieſua ducibus, ad inſtaurandum Ieroſolymis in Iudæa Templum, ex captiuitate redierunt, de ęo Beda huiuſmodi proponit allegoriam: Vtebantur Iudæi ante alios Zorobabel & Ieſu ducibus, quorum unus de Regia, alter de Sacerdotali proſapia erat, qui unam ueri Regis & ſummi Sacerdotis CHRISTI IESV perſonam gerebāt, ipſe ſolus eſt, per quem ad ſalutem uenimus, unde dicit: Nemo uenit ad Patrem niſi per me. Qui ſingulos electorū per ſeipſum occulta inſpiratione, per prædicatores aperta eruditione de præſentis uitæ confuſione, ad pacis uiſionem & confeſsionem diuinæ laudis, quaſi ad Iudæam & Ieruſalem de Babylone, colligit: Viſio autem pacis & cōfeſſio in pręſenti ſeculo inchoatur, & in futuro perficitur.

Iohan. 14.

Septimo mēſe quaſi unus uir Ieroſolymam conuenerunt.

Septimo menſe, poſtquam Babylonem Iudæi exiuerant, omnes è tota Iudęæ regione, quaſi unus uir, Ieroſolymis cupidè in unum cōuenerunt. Per ſeptimum mēſem adductus modò Beda ſeptena unius diuini Spiritus

ritus dona intelligit, quibus ſimul atq; ab exitu è myſticæ Babylonis confuſione imbuemur, in cœleſtem ſanctæ Eccleſiæ Ieroſolymam, ubi ſanctorum communio uiget, concordi nobis properandum erit accurſu, ut illic unum corpus, imò unus in CHRISTO uir effecti, ſpiritus unitatem, quomodo Paulus monet, pacis uinculo conſeruemus, eiuſdemque ſimus ſententię, & unanimes uno ore Deum & Patrem DOMINI noſtri IESV CHRISTI glorificare ſtudeamus, Rom. 12. 15. Ephe. 4. Phil. 1. 2. Galat. 3. 2. Cor. 13. Hoc autem ubi fiet, tum & uerè Pſalmũ 133. cantare poterimus: Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres (in una domo) ſimul: & fidelium primitiuæ Eccleſiæ imaginem eleganter repręſentabimus, de quibus in Actis, poſtquã ſancto Spiritu perfuſi eſſent, ſic dicitur: Erat autem multitudinis credentium unum cor, unaq; anima, neq; quiſquam aliquid eorum quæ poſsidebat ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia cõmunia, & quotidiè unà ſimul erant omnes, ac unanimes perſeuerabant in deprecatione & oratione, uocem unanimiter ad Deũ ſuſtollẽtes, eumq; laudantes, Actor. 1. 2. 4. 5.

Beda: Septimus Menſis Spiritus ſancti gratias ſignificat, In hoc menſe poſt captiuitatem de ciuitatibus noſtris Ieruſalẽ conuenimus, cum ablatis uitiorum ſordib. eiuſdem Spiritus maiore illuminamur gratia, & in ſupernę pacis, quæ in uera unitate eſt, amore accendimur, Ieruſalem enim uiſio pacis dicitur.

Iudæi inſtaurationem ſacræ Aedis ab erigendo Altari, ubi holocautomata matutina & ueſpertina offerrentur, auſpicabantur: Sic ſpirituales Iudæi ueri fabricã Templi ab eius prædicatione incipere ſoliti ſunt, qui ipſemet & Ara & uictima eſt, id eſt, à CHRISTO, eoque in cruce pro nobis uictimam facto. Hinc Paulus, ut ſapiens Architectus, 1. ad Corinth. Epiſt. ſecundo Cap. in hunc ſcripſit modum: Ego cum uenirem ad uos, Fratres, non ueniebam cum ſermonis aut ſapientiæ eminentia, Dei uobis annuncians teſtimonium: Non enim me iudicaui quicquã ſcire inter uos, niſi IESVM CHRISTVM, & eum crucifixum. De Philippo

Inſtauratione Templi ab Ara, in qua matutinas & ueſpertinas facerent uictimas, cœperunt.

etiam 8. in Actis cap. dicitur, eum ab Esaiæ scripto, Christi uaticinãte pasſionem, exorſum eſſe Eunucho ipſum euangelizare CHRISTVM. Et in Eccleſiaſtica habetur Hiſtoria, Catechumenos quondam ſtatim ut ſacrorum myſteriorum pædagogis in diſciplinam traditi eſſent, à primo ad dominicum crucis ſignum fuiſſe ductos, quò ibi admonerentur, CHRISTVM pro ipſis in cruce immolatum: & ſi eius Diſcipuli eſſe cupiant, neceſſe habere cum eo crucifixos ſpiritualia quotidiè facere ſacrificia. Quiſquis etiam hodie ex iſta peruerſa generatione euadere, & in uerum Dei Templum conſtrui uolet, illi nihil tàm opus fuerit, quàm ut poſtpoſitis cunctis rebus, diligentem, DOMINO ſecundo, impendat operam, ut ante omnia IESVS crucifixus per fidem ſuo inſeratur cordi, in quo corpus ſuum prę̨ſtet hoſtiam uiuentem, in eoque carnem unà cum affectibus & cupiditatibus crucifigat, & iugiter laudis ſacrificium, hoc eſt, labiorum fructum, Deo litet: dicturus tum iure cum Paulo: Ego per legem legi mortuus ſum, ut Deo uiuerem, crucifixus ſum unà cum CHRISTO, uiuo autem non iam ego, ſed uiuit in me CHRISTVS: Quod uerò nunc in carne uiuo, fide uiuo Filij Dei, qui ſeipſum dedidit pro me. Mihi gloriari ne ſit, niſi in cruce DOMINI noſtri IESV CHRISTI, per quem (&) mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo, Gala. 2. 6. Omnia pro damno duxi, eaque pro ſtercoribus habeo, ut CHRISTVM lucrifaciam, & in eo inueniar: non habens iuſtitiam meam quæ ex lege ſit, ſed eam iuſtitiã quæ ex Deo per fidem CHRISTI ſit, quò eum eiuſque reſurrectionis uirtutem & afflictionum communionem cognoſcam, dum eius morti conformis fio, Phil. 3. Et cum Dauide: *S*i ſacrificium uoluiſſes, dediſſem: holocauſtis utique non delectaberis, *S*acrificia (quæ) Deo (offeram) ſunt contritus ſpiritus, contritum humiliatumque cor

Actor. 2.
1. Cor. 6.
Epheſ. 3.
Rom. 12.

Deus

Deus nõ despicies, Psal. 51. Ego ad Deum clamabó, meque DOMINVS seruabit. Et uespere, & mane & meridie orabo, & meam uocem exaudiet, Psalm. 55. DOMINE, habeatur in tuo conspectu oratio mea pro suffitu, manuum mearum extensio (sit) uespertinum sacrificium, Psal. 141. Quòd hic attuli σκόλιον, non nunc primũ à me esse elimatum, infrascripta Bedæ uerba demonstrabunt: Magna prouisione primò Altare ædificauerunt, ut quia Templum nondum erat fundatum, haberent tamen ubi sacrificantes mentis suæ deuotionem ostenderent. Quod & nos hodie spiritualiter facimus, cùm ante omnia in nostro corde Dominicæ incarnationis & passionis fidem collocamus, nostrisque auditoribus tradimus, unde: Nõ iudicaui me scire inter uos, nisi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixũ. In hoc Altari nostra holocausta, id est, cogitationes & perfecta opera offerimus: ita enim nostrarum actionum uota Deo Patri placet, si CHRISTI mysterijs participamus, si Spiritus sancti uirtute, quasi altaris igne, incendimur: Holocaustum nanq; totum incensum dicitur, quo nomine sacrificia uocabantur, quorum nihil cedebat in humanos usus, sed totum Deo dabatur, & summo igne consumebatur: Quibus fidelium uita exprimitur, qui nihil proprium quęrunt, sed omne quod uiuunt in Dei expendunt famulatum, Nec solum corporis & animæ uoluntatem pro DOMINO calcare, sed ipsam quoque animam pro eo ponere gaudent, cum Apostolis dicentes: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c. Quibus respõdetur: Omnis qui reliquerit domum aut fratrem aut sororem, &c. Hoc holocaustum in Dei Altari offerendum est, quia nisi in CHRISTI fide offeratur, acceptum esse non potest: Multi enim Philosophi propria reliquerunt, & mundam atq; pauperem uitam agentes, holocaustum facere uidebantur, sed hoc in Al-

1. Cor. 2.

Holocaustum quid.

Matt. 19.

tari Dei non fecerunt: quia uoluptates quidem reliquerunt, sed CHRISTVM apud Patrem non habuerunt aduocatum. Manè autem & uesperè nos offerimus holocaustum DOMINO super eius Altare (quod CHRISTVS est) cum stabilita ipsius fide in corde nostro integra deuotione bonis actibus operam damus: & hoc manè & uesperè, cum scilicet meminerimus nos salutiferę intentionis initia ab illo accepisse, & non nisi per eiusdē gratię auxilium inchoata posse perficere. Et ideò illi gratiarum uota in omnibus ardenti pię conuersationis desiderio offerimus. Item manè holocaustū facimus, cum pro accepto spiritualis scientię lumine Deo benè uiuendi uicem impendimus: Vesperè uerò cum pro sempiterna requie, quam in illo post bona (fidei) opera speramus, incessabili studio flagramus. Potest etiam ad literam rectè accipi, nos manè & uesperè offerre holocaustum, cum ita Deo omni placere tempore curamus, ut diluculo surgentes, non prius ad agenda humanæ fragilitatis necessaria procedamus, quā diuinæ caritatis igne inflammati, deuotis nos orationibus DOMINO commendemus, unde: Manè oratio mea te præueniet. Similiter cōpletis diei operibus non antè oculis nostris somnum demus, quàm orationum instantia DOMINO in nobis locum consecremus, iuxta illud: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuū mearum sit uespertinum sacrificium. Hactenus Beda.

Idem: Christus Altare uocatur, qa ab iniquitatibus emendat, & uota orationum Patri commendat.

Post Altaris cōstructionem & facta in eo sacrificia, Zerubabel & Iesua comparârunt ad instaurandum Fanum operas, data pecunia lapicidis fabrisque, qui ligna & saxa in monte Libano succisa, dolarent atque quadrarent, cibo quoque, potione, oleo, carris Sydonijs atque Tyrijs præstitis, ut ligna saxaque ex Libano ratibus in portum Ioppicum adueherent, inde porrò terra Iero-

Comparantur lapicidæ fabriq; ad cædenda poliendaq; ligna atq; saxa, Tyrijs quoq; & Sydonijs, ut ea aduehāt, cibus præstatur.

Ierosolymā deferenda. Lapicidæ fabriq; cœlestis & Iesuæ & Zerubabelis, sunt Apostoli, Doctores atq; Pastores, quos ille suæ electionis uocatione accitos, spiritualiumque bonorum denario conductos, in huius mundi Libanum amandat, ut illic diuini uerbi ferramētis mystica ligna saxaque, ad mysticę Domus molitionem adhibenda, sancto benè fortunante ipsosq; adiuuante Spiritu, eruant, cędant atque quadrent. Quæ res tum Epistola ad Ephesios apertè demonstratur, ut iam antè auditum est, tum 20. apud Matth. cap. obscurius informatur Parabola de homine Patrefamiliâs, qui exijt ad cōducendos operarios in uineā suam, pactusq; operarijs singulos denarios in diem, dimisit eos in uineam suam, ut laborarent. Lapides autem per eos excindendi atq; poliendi, sunt electi Dei homines, attestante nobis 2. cap. 1. D. Petri Epist. De quibus & Zach. 9. huiusmodi extat uaticiniū: Lapides preciosi in eius terram uoluuntur seu euehuntur. Hocq; ipsum dictum Hieronymus, & Epistola ad Fabiolam, & Cōment. super Zachariā, Esaiam, Ezechielem, Epistolam ad Ephesios, adducens, in hanc explicat sententiā: Lapides isti sunt Sancti, qui cum omni (per diuinam sub Apostolico ministerio gratiam in regeneratione) parte fuerint dolati & politi, nullā amplius crassiorum scelerum scabritiem habentes, tam leues redduntur, ut licet carnis fragilitate nōnihil adhuc aggrauentur, tamen spiritu ad summa & ad nouam terram, ubi DOMINVS adoratur, se erigūt, nec iam, quoad nempè renouati sunt, ædificantiū præstolantur manus, sed spontè uolutati festinant, ut CHRISTI fundamento imponantur, & summo angulari contineantur lapide. De mysticis cedrinis lignis, quomodo succisa aduehantur, Psalmus 29. concinit: Afferte DOMINO filij Dei filios arietū, Vox DOMINI confringit cedros, confringet DOMINVS cedros Libani, Libanumq; & Si-

Sap. 9. Rom. 7. Psal. 65. 142. 1. Cor. 3. Ephes. 4. 1. Pet. 2.

rion more uituli subsilire faciet. DOMINI uox syluas nudabit, & in eius Templo omnis qui loquitur gloriam dicet. Vbi Hieronymus & Augustinus: Hic uox CHRISTI prædicatores admonet, ut quos cum Paulo per Euangelium (in CHRISTO) genuerunt, adducant. Libani autem Cedri, dicuntur sublimes, excelsi & superbi homines, quos DOMINVS per pœnitentiam confringit, & excisa eorum superbia, amputatáq; omni celsitudine, cor contritum eis dat, eosq; ad suæ humilitatis imitationem deducit: quia ipse se sua nobilitate exinaniuit, & uitulus ille saginatus existens, per huius seculi nobilitatem ad uictimam ductus est: Templum autem de quo hic mentio fit, est Ecclesia, in qua omnes in spem æternam regenerati, laudant Deum, pro suo quisque dono, quod à sancto Spiritu accepit. Per Tyrios & Sidonios, qui ligna saxaque ad Templi structuram pręparata, carris ac ratibus ex Libano, iuxta Cyri decretum, aduehere debebant, Apostoli etiam, & cæteri quique nostri Cyri fideles administri, repræsentantur: Tyrij enim afflicti, Sidonij uenatores Latinè dici possunt: At de Apostolis eorundemque ministerio ac cladibus DOMINVS Iohan. 15. & 16. sic loquitur: Ego uos constitui, ut abeatis, ac fructum afferatis: sed in mundo afflictionem habebitis. Idem se eos in suas operas post spirituale captiuitatem certò emissurum esse, pridem antè in Prophetis recepit: siquidem Ierem. 16. hoc modo scriptum extat: Ego filios Israelis, dicit DOMINVS, ex Aquilonis terra omnibusq; terris, in quas eos eieci, reducã in suam terram, Et posthæc eis multos mittã Venatores, qui eos ex omni monte & ex omni colle atque petrarum cauernis uenentur. Et Esa. 66. Ego, inquit DOMINVS, ex ijs qui seruati fuerint (quosdam) dimittam ad Gentes, in mare, in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam, ad longinquas Insulas, & ad eos, qui de me non audiuerunt,

1. Cor. 4.
Psal. 51.
Phil. 2.
Luc. 15.
Psal. 2.
Actor. 4.
Esa. 53.

nec meam uiderunt gloriam. Et hi meã annunciabunt Gentibus gloriam, ueſtrosq́ue fratres omnes ex cunctis Gentibus DOMINO donũ adducent, in equis, quadrigis, lecticis, mulis, carrucis, ad meum ſanctum montem Ieroſolymam, in Domum DOMINI. Et ex eis quidem Sacerdotes & Leuitas aſſumã, dicit DOMINVS. Quod ad cibum, potionẽ & oleum Sidoneis atque Tyrijs pręſtita attinet, hoc Beda eiuſmodi ferè interpretatur modo: Dant Patrum principes, inquiens, Ioſue ſcilicet & Zorobabel, Sidonijs atque Tyrijs cibum, potum & oleum, ut ligna cedrina de Libano deferant: cum CHRISTVS, qui in Ioſue & Zorobabel ſignatur, Doctoribus ſpiritualia ſui Verbi dona atq; chariſmata partitur, quibus intus illuſtrati ac muniti, & fortiores ad quãuis humanæ ſapientiæ ſublimitatem demoliendam, & paratiores ad omnem intelligentiam ſub CHRISTI obſequium captiuam ducendã, efficiantur: quomodo Paulus 2. Cor. 10. teſtatur, Et 4. ad Epheſ. cap. ait: Quũ (Chriſtus) aſcendiſſet in altũ, dona dedit hominibus, & idem dedit alios quidẽ Apoſtolos, alios uerò Paſtores ac Doctores, ad ſanctorum inſtaurationem, in CHRISTI, inquam, corporis ędificationem, donec perueniamus omnes in unitatem fidei, &c. Huc quoque illud 22. Pſalmi ſpectare uidetur: DOMINVS (Ieſus Chriſtus, bonus ille Paſtor) me paſcit, nihil mihi deeſt (ſub tanto Paſtore) in graminis tugurijs me accubare iubet, me ad requiei (uiuas) ducit aquas. Tu (Domine) in meo conſpectu (ſpiritualem) menſam præparas, aduerſus meos hoſtes (me recreans) meumq; caput (lætitiæ oleo) perungis, plenus eſt meus calix. Quinetiam me tua bonitas & miſericordia omnibus meæ uitæ diebus ſubſequentur, inque Domini Domo ad dierum longitudinem habitabo.

Iohan. 10.

Iohan. 4. Apoc. 7.

Ambroſ. de Elia & ieiunio, ca. 10. Vnguentum de quo Dauid Pſal. 22. dicit, eſt oleũ lætitiæ, quo unctus eſt Chriſtus à Deo patre, ut præ omnib. ſuis emineret conſortibus.

Anno à reditu ex Babylone ſecundo, Zerubabel &

Zerubabel & Iesua cum alijs Sacerdotibus fundamentum Tẽpli iaciunt.

Iesua, ceu summi Architecti, unà cum alijs Sacerdotibus atque Leuitis instaurandæ Aedis fundamenta iecêre. Summus Ecclesiæ fundandę Architectus ille est, qui Esaiæ 58. eiusmodi describitur modo (O Ierusalem) deserta in te loca ędificabuntur, & tua fundamenta erunt sempiterna. In te (quidam natus) uocabitur ruinarum instaurator, conuertens semitas in quietem. Et Psal. 87. Nunquid ad Sionem dicetur? Vir, uir (inquam) in ea natus est, & ipse Altissimus (existens) eam fundauit. Quis uerò hic sit, Hieronymus, adducta explicãs uerba, ostendit: CHRISTVS qui natus est, inquiens, in Ierusalem, uocabitur ædificator sepium. Ac rursus: Homo qui in Sion est natus, & eam saluauit, id est, CHRISTVS, ipse quoq; Altissimus eam fundauit: Si autem is Altissimus dicitur, quanto magis Verbum Dei? Idem Cõment. in Ezech. lib. 12. DOMINVS Saluator uerus est Architectus, qui probat lapides, qui posint poni in Templi fundamentis, qui in medio, qui in superioribus locis & inferioris mensuræ, uel non tam solidæ firmitatis in muro, & extra Templum in circuitu τῦ περιβόλου, collocari. De Sacerdotibus autem qui hunc summum Architectum suo singuli loco iuuant, Esaias 49. cap. tectius ita fatur: Approperant structores tui Sion. Et Zach. 6. Qui procul sunt uenient, & in DOMINI Templo ædificabunt. Sed apertius Paulus 1. Cor. 3. Nos Dei sumus adiutores, Ego ut sapiens Architectus fundamentum posui, quod est IESVS CHRISTVS. Item Gregorius in 10. Iobi caput: Nos Pastores plerunq; etiam Deum, qui ideò imbecillis non est, humiliter agentes adiuuamus, unde & per Paulũ dicitur: Adiutores enim Dei sumus: Nã ei quem ipse per internam gratiam infundit, nos exhortationis uoce concurrimus: Hoc est quod ipse per Spiritum sanctum agit intrinsecus, nos exterius ministerio uocis adiuuamus, & tum solum nostra exhortatio ad perfectionem

Hier. Nos Dei sumus adiutores, id est, non in potentia, sed in uerbo adiuuamus extrui Templum.

nem ducitur, cũ in corde Deus fuit, qui adiuuatur. Vnde & aliàs idẽ Paulus dicit: Neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Plantare quippe & rigare adiuuare eſt, quod utrunque uanũ erit miniſterium, ſi in corde Deus non dat incrementũ. Sic ille productum Pauli locum interpretatur.

Ieſua & operarios conducebat, & princeps in ijs erat, qui, ut ſtudioſe opus fieret, Templique ædificium feliciter creſceret, urgebãt. De noſtro Ieſua 20. apud Matthæum cap. in Parabola de Patrefamiliâs, operarios in uineam ſuam conducente, ita dicitur: Paterfamiliâs circa tertiam horam egreſſus, uidit alios in foro ſtantes ocioſos, & dixit: Ite in uineam meam, & quod iuſtum erit, dabo uobis. Illi autem abierunt. Rurſus circa ſextam & nonam horam egreſſus, fecit ſimiliter. Circa undecimam autem horam egreſſus, inuenit alios ſtantes ocioſos, & dixit eis: Quid hic ſtatis totum diem ocioſi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit eis: Ite & uos in uineam meam, & quod iuſtum erit, accipietis. Idem ſuos Diſcipulos in ſpiritualis ædificandi Templi opus emiſſurus admonebat: Sint lumbi ueſtri præcincti, & ardentes lucernę. Sic luceat ueſtra lux coram hominibus, ut ueſtra bona opera uideant. Ego uos conſtitui, ut abeatis, & fructum afferatis, Lucæ 12. Matthæi. 5. Iohannis 15.

Ieſua operarios conducit, et ut ſtudioſe opus faciant inſtat.

Leuitæ ſecundum Ieſuam diſpoſiti, ad inſtandum ijs, qui in Sacro opus faciebãt, ſummos CHRISTI Apoſtolos deſignârunt, qui ut alijs, ſibi in ſpiritualis fabricæ opere ſuccedentibus, inſtiterint, infra poſita oſtendunt exempla: Paulus enim Actor. 20. accerſitos Epheſinæ Eccleſię Presbyteros ſic allocutus eſſe dicitur: Attẽdite (&) uobis, & uniuerſo gregi, in quo uos ſanctus Spiritus poſuit Epiſcopos, ad paſcendã Dei Eccleſiã, quã (ipſe)

Leuitæ ſecundum Ieſuam operarijs inſtãt

Beda: Non dubitat sanguinẽ Dei dicere, propter unionẽ personæ in duabus naturis Iesu Christi, pro qua dictum est filius hominis qui est in cœlo. Cesset Nestorius filium hominis à filio Dei separare, & duos facere Christos.

suo proprio sanguine acquisiuit: Ego enim hoc scio, quòd ad uos post discessum meũ graues ingressuri sint lupi, gregi non parcentes. Et ex uobisipsis exurgent uiri peruersa loquentes, ut discipulos ad se sequendos abducant. Quapropter uigilate, Ego nunc commendo uos Deo & Sermoni eius gratiæ, qui uos exędificare potest. Idem Timotheum 2. ad eundem Epistolæ cap. secundo cõmonuit: Da operam, inquiens, ut teipsum Deo probatum exhibeas, operarium non erubescendum, rectè secantem ueritatis sermonem. Laborare oportet Agricolam prius quàm fructum percipiat. Et 1. Epist. cap. 4. Prædica Verbum, insta opportunè, importunè, argue, increpa, exhortare cum omni patientia & doctrina. D. Petrus etiam prioris suæ ad sanctos Epist. cap. 5. in hunc scripsit modũ: Presbyteros, qui in uobis sunt, obsecro, ipse quoque Presbyter, & CHRISTI passionum testis, & idem gloriæ, in futuro reuelandæ, particeps: Pascite istum gregem CHRISTI, eum non coactè, sed spontè curantes: non auarè, sed alacriter: neq; ut Clero dominantes, sed ut qui gregis exempla sitis (ita fiet) ut cũ apparuerit Pastorum Princeps, nunquam flaccescentem gloriæ coronam reportetis.

Sacerdotes dũ extructio fit, tubis psonãt, populus acclamat.

Cum extructio ab Architectis fieret, dispositi sunt Sacerdotes, ac cum ijs Leuitæ, qui tubis & cymbalis Domini bonitatem personarent, quibus uniuersus ingenti strepitu populus acclamauit. De spiritualium Sacerdotum ad spiritualis Templi reparationem cantu, eorumque strepitu qui his acclamabunt. Iohannes 8. & 11. Apocal. cap. sic loquitur: Vidi septem Angelos in Dei conspectu astantes, & eis septem tubæ datæ sunt (quibus acceptis ij) sese ut clangerent parârunt, & primus clanxit, itidem & alter, & tertius usque ad septimum, tumque magnæ uoces in cœlo factæ sunt, dicentes: Facta sunt huius

Angeli isti legatos seu Apostolos significant.

Aug. In tubis prędicatio intelligitur, iuxta illud: Exalta sicut tuba uocem tuam.

huius mundi regna DOMINI nostri eiusq; CHRISTI, & regnabit in seculorum secula. Et uiginti quatuor Seniores, qui in Dei conspectu in solijs suis sedent, prociderunt in suas facies, Deumq; adorârunt, dicentes: Agimus tibi gratias DOMINE Deus omnipotens, qui es, quiq; fuisti, & qui futurus es, quòd magnam tuam uirtutem accepisti & regnasti (Postea) Dei Templũ in cœlo apertũ est, & uisa est Arca Testamenti eius in eius Templo, factæq; sunt uoces, & tonitrua & terræmotus.

Idem: Seniores isti totam Ecclesiam designant.

Lyra: Arca Christus est, in quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ absconditi.

Samaritæ reliquiq; Iudaicæ atq; Beniamiticæ tribus Aduersarij, qui cum ad ædificationis societatẽ non admitterentur, eam & dolis, & calumnijs & ui diu impedierunt: Currentium istorum Pseudoprophetarũ typum gesserunt, qui zizaniam in Ecclesiam serent, simplices seducent, & brachio carneo ueram Sanctorũ in Christo exędificationem peruertere, è medioq; tollere, quantũ in ipsis erit, omni conatu laborabunt, uelut de ijs 2. Pet. 2. 3. & Epistola Iudæ prædicitur: Venient extremis diebus irrisores, qui dignitates cõuitijs incessabunt, eaque quæ non intelligent blasphemantes, inescantes animas instabiles, corque habentes ad extorquendũ exercitatum, filij maledictionis, murmuratores, quæruli, nubes aqua carentes, arbores infrugiferę, bis emortuę, quorum os loquitur tumida, Viam Cain ingressi sunt, & deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt, & contradictione Coræ perierunt. Et. 1. Timot. 4. 2. Timoth. 3. Illud autem scito, quòd in extremis dieb. periculosa instabunt tẽpora: erunt enim homines sui amantes, auari, gloriosi, superbi, maledici, calũniatores, proditores, pietatis effigiẽ habẽtes, sed qui eius uim abnegarint: quemadmodũ aũt Iamnes & Iambres Mosi restiterunt, ita & hi ueritati resistent, homines mente corrupti circa fidem reprobi. Hos igitur tu auersare.

De Samaritis alijsq; Iudæorũ aduersarijs exædificationem impedientibus.

Iohannes 16. Apoc. eoſdem ſub trium impurorum ſpirituum perſona, ex ore Beſtiæ & ex Pſeudopropheṭę ore prodeuntium, deſcribit, qui ſigna edent, & ad terræ totiusq́ue mundi Reges abibunt, ut eos ad magni illius diei Dei omnipotentis prælium congregent. Verum enimuerò ſi particulatìm magis quàm ſummatìm tibi hiſtoriam, de inſtaurandi Templi aduerſarijs, explanari cupias, eam Beda in hanc perſequitur ſentẽtiam: Samaritæ falſos fratres, Hæreticos & omnes malos Catholicos exprimunt. Hi ſunt hoſtes Iudæ, id eſt, confeſsionis laudisq;, ab Eccleſia, per rectam fidem & dignam operationem, Deo oblatę: Sunt quoque Beniaminis aduerſarij, id eſt, filiorum dexteræ, eorum puta qui ad Iudicis dextram cœleſtem ultimo die hæreditatem æternumq́ue regnum expectabunt. Dicunt: Nos uobiſcum ædificabimus, cum prædicandi auctoritatem inter ueros Dei Iudæos affectant, promittentes, ſe eandem cum ipſis, rectæ fidei & operationis, obſeruaturos caſtitatem: quò accepta docendi facultate, in boni ſeminis medio zizaniã interſerant: Sed talium non eſt ædificare Eccleſiam, quippè quòd ab ea alieni ſint. Hi autem ſoli ædificabunt, qui CHRISTO, uerò Cyro, id eſt, cœleſti Regi, adhærentes, & pia in eos, qui CHRISTVM uidere deſiderant, cura affecti, principes Patrum dici meruerunt. Porrò Samaritæ manus populi Iudæ impediunt, cum Eccleſiam in infirmioribus membris, à ueræ profeſsionis opere, retardant. Operandi conſilium deſtruere nituntur, cum etiam animos à bonæ actionis intentione reuocare laborant. Accuſant apud Reges cum terrenorum Principum contra Eccleſiam præſidia acquirunt, & eorũ ſuffragio muniti, gladijs illam inſequuntur atq; uexant. Huic Bedianæ explanationi Morale illud ſubſcribendum eſt, quod Lyra in Eſdram affert: Per iſtos, inquiens, qui ſe cum filijs Iſrael in Templi ædificatione iunge-

Augu. Diem magnum nouiſsimũ ſub Antichriſto perſecutionẽ dicit.

Aug. Inimici omnes Eccleſięſunt, qui aut male ſentiendo aduerſantur, aut accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi.

iungere uoluerunt, non quidem ad operis promotionem, ſed magis ut idipſum impedirent, Pſeudoapoſtoli & fictitij Chriſtiani ſunt figurati, qui ſe fidelibus immiſcere ſtudent, ut per hoc eos accuſare, & efficatius eis nocere poſsint. Quòd Patres reſponderunt: Nos ſoli ædificabimus, per hoc ſignatur, fideles iſtiuſmodi malignè inſidiantium ſocietatē ſolicitè debere præcauere, ſicut illis uerus Cyrus, id eſt CHRISTVS, Matt.10. præcepit: Cauete ab hominibus, ſcilicet malignis. Per Arthaxerxem, qui ad Samaritanorũ inſtigationem Templi ſtructuram impediuit, ſignatur Prælatus quiſq;, qui ad ſuorum Curatorum atque Clericorum inſtantiam indebitè Verbi Dei prædicationem, bonorumq; conſilium impedit, & nomen Arthaxerxis ad hoc congruit: interpretatur enim lumine tacitè tentatus, Talem enim Prælatum ad hoc faciendum Curatores & Clerici inducũt quibuſdam rationibus ſub boni apparentibus ſpecie.

Darius qui conſtructionē, & ſcripto edicto & ſuppeditatis omnibus ſumptibus, de integro promouit, ſub quo etiã illa feliciter abſoluta eſt, noſtrũ CHRISTVM deſignauit: id quod tum ex ipſius nominis notatione, tum factis demonſtrari facilè poteſt: Darius enim, ut Herodotus uult, ἐρξείην ſeu Dominatorem, ut alij Requirentem ſignificat, Hieronymus uerò in primum Haggęi cap. aſſerit, Darij nomen noſtra lingua ſonare generationes factæ, ſiue quæ fuerunt, quod Græcè γενέσις γεγονῦιαι dicatur: At CHRISTVS 3. Malach. Dominator, Apocal.17. Dominantium DOMINVS, Pſalm.9. *Suorum pauperum ſanguinis requiſitor*, Et Ezech.34. DOMINVS uocatur, qui ipſemet ſuas oues requirere, & ex omnibus locis, in quæ diſperſę fuerant, eruere atque reuocare uelit. Ipſe quoque, cum cœli & terræ generationes fierent, Deo aderat, Geneſis.1. Prouerbiorum 8. in

De Dario eiusque & nominis & factorũ myſterio.

cunctorumq; iustorum generatione semper fuit, Psal. 13.& omnibus qui unquam ex Deo generati sunt, eam potestatem dedit,ut Dei filij fierent,Iohan.1.Iam quod ad Darij facta attinet,is DOMINO se typicum eius instauraturum esse Templum uouit, & Rex factus,ad Zerubabelis cõmonitionem suum uotum soluit: De Christi uoto apud Ionam 2.cap.sub eiusdem Ionæ figura,sic dicitur: Ego cum laudis & confessionis uoce tibi DOMINE immolabo (meipsum ut uerum Pascha) quæcunque uoui reddam.Et Psalm.22.A te (Domine)mea laus in magna Ecclesia.Mea uota reddam coram ijs qui te timent.Item Psal.65.Introibo in tuã DOMINE Domum cum holocaustis,mea tibi uota reddam,quæ meum os in mea tribulatione nuncupauit: Darius omnes Iudæos, qui ex Babylonica in patriam redire captiuitate uellent,liberos pronunciauit. De CHRISTO Zach. 9.scriptum est:Captiuos tuos in sanguine tui Testamenti emittã ex lacu,in quo non est aqua.Et Iohan.8.Quòd si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Et Ephes.1. In CHRISTO habemus liberationem per eius sanguinẽ, uidelicet peccatorum remissionem.Et Galat.5.In libertate, qua nos CHRISTVS liberauit,state. Darius omnes sumptus,tam ad Fani constructionem,quàm ad sacrificia,contulit:De CHRISTO Iohannes 1.cap.ait: Ex eius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Et Paulus 4. Ephes. Quum ascendisset in altum,dona dedit hominibus, ad sanctorum instaurationem. Item 5.CHRISTVS suam Ecclesiam nutrit &fouet.Darius sacras uestes Sacerdotibus de suo prębuit:CHRISTVS mysticos Sacerdotes albis uestibus & sacrosancta iustitia,quæ ipsemet est,uestit, Psal.131. Apoc.3.1. Cor.1. Darius Templi uasa,quę Nebuchadnesar Ierosolymis sublata in Dei sui æde posuerat,ex Cyri edicto,omnia restituit: CHRISTVS spiritualis Nebuchadnesari Domũ ingres-

1.Cor.5.

Hier.Vota Christi natiuitas eius & passio.

Externa legis uota internũ Christi uotum adumbrarunt,quod erat ut is homo fieret, Dei uoluntatem perficeret, Ioan. 4 Heb.10.Seipsum pro nobis sanctificatũ Deo in bonæ fragrantiæ odorẽ,ad crucis Arã offerret, Ioan.17. Heb.9. Ephes.5.

ingreſſus, ſpiritualia inde diripuit uaſa, eademque myſtico ſuo impoſuit Templo, Matt.13. Mar.3. Luc.11.2. Timot.2. Denique ſub Dario Templũ cunctis rebus omnibusque numeris conſummatũ atque exædificatum eſt: De CHRISTO eiusque Verbo Paulus 20. Actor. inquit: Ego uos cõmendo Deo & Sermoni eius gratiæ, qui uos exædificare poteſt. Et Epheſ.2. Quæcunque ædificatio in CHRISTO (eſt) coagmentata (ea) creſcit in ſanctum Templũ, in quo & uos ædificemini in Dei habitaculum. Et Hebr.10. Vnica oblatione conſummauit in perpetuum eos qui ſanctificantur. Item 12. Intueamur in fidei auctorem & perfectorem, ſeu conſummatorem, IESVM.

Porrò quod ad diſputationẽ Zerubabelis cum collegis, de uini, & Regis, & mulierum & ueritatis uiribus, coram Dario eiusdemq; Summatibus habitam, & ab Eſdra 3. lib. cap.3. 4. deſcriptã, attinet: de ea ſic Auguſt. ad Marcell. lib.19. ca.36. Eſdras in eo CHRISTVM prophetaſſe intelligendus eſt, quòd inter iuuenes quoſdam orta quæſtione, quid amplius ualeret, cum Reges unus dixiſſet, alter uinum, tertius mulieres, quę plerunq; Regibus imperarent, idem tamen tertius ueritatem ſuper omnia demonſtrauit eſſe uictricem. Conſulto autem Euangelio, CHRISTVM cognoſcimus eſſe ueritatẽ.

Diſputatio Zerubabelis de ueritatis uiribus.

Iohan.14.

De eo autẽ quod Haggæi 1.1. Eſd.5.3. Eſd.6. habetur, DOMINVM, prophetãtibus Haggæo & Zacharia, excitaſſe ſpiritũ Zerubabelis, & Ieſuæ reliquiq; totius populi ſpiritum, ita ut irent ad opus perficiendũ in Domo DOMINI Dei ſui, die 24. ſexti menſis, anno Darij Regis ſecundo, &c. D. Hieron. Cõment. in Haggæum huiuſmodi ediſſerit allegoriã: Hic nobis præcipitur, ut ædificari poſsit domus ſpiritualis in Sacerdotiũ ſanctum, ad offerendas ſpirituales uictimas placentes Deo, tales

Dominus Zerubabelis et aliorum ſuſcitauit ſpiritũ, ita ut irẽt ad perficiendũ Templi opus, die 24. menſ.6. anno Darij 2.

nos (diuino propitio fauore) præbere, ut suscitetur in nobis Spiritus sanctus, & ingrediamur in Domum DOMINI, & faciamus opera DOMINI. Iam enim Zorobabel de genere Dauid, & IESVS Sacerdos in æternum, suscitatus est à Patre in uirtute, secundum Spiritum sanctificationis de resurrectione mortuorum, ut ille præsit operi: nos uerò faciamus ipso adiuuante & disponente. Quæ tamen opera Dei facere antè nō possumus, nisi timeamus à facie DOMINI, & credamus & ingrediamur Templum Dei, & ea quæ Domui Dei digna sunt, perpetremus. Quoniam uerò adhuc in seculo nostræ ædificationis tēpus uersatur, in quo generationi & coniugijs uulgò seruitur, Idcirco in sexto numero, quo factus est mundus, & in secundo anno, qui diuidit unionem, ingredimur Domum DOMINI, & utroque populo congregato, extruimus Templum Dei: Ex duobus enim duodecim numeris, uicesimi quarti numeri summa consistit: quia tam ex circuncisione quàm ex Gentibus CHRISTI Ecclesia, quæ euersa fuerat, ędificata est. Sed & hoc possumus discere, quia octauus numerus, qui sanctus est, & in ueræ circuncisionis typo accipitur, triplicatus uicesimum quartum numerum facit: figuraliter nos docemur, ut ędificemus Domum DOMINI in amputatione carnis & uitiorū circuncisione: & ueram puritatem esse credamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Ambr. lib. 3. Epi. 12. Epistola. Christus est Zorobabel ex tribu Iudæ, ipse Iesus magnus Sacerdos, & tribu designatus & nomine, duo significari uidētur, & unus exprimitur: qui idē quasi potens natus ex potente, quasi redemptor ex uirgine, in utrisq; idem naturę diuersitate indiuiduæ, unius filij Dei ueritatem gigas salutis impleuit. nisi hic ædificauerit Domum, in uanum laborauerunt qui ædificāt eam: est enim uerus Zerubabel, id est, iugis redundantia, utpote Fons uitæ, & Verbum Dei, per quod omnia, & ex quo omnia, & omnia in ipso.

Haggæi (instaurationis Fani tēpore prophetantis) nomen, idem est quod festiuus, seu festum celebrans. Si nos iuxtà Pauli doctrinam, inquit Hieronymus, festum celebrauerimus, non in ueteri fermento, neque malitię nequitiæque fermento, sed sinceritatis ueritatisque azymis: & ueri quoq; ἑορτάζοντες, id est, festa celebrantes, uocabimur, & fiet etiam in nobis, sicut in Haggæo, DOMI-

Haggæus. חגי.

1. Cor. 5.

DOMINI Verbum. Quòd uerò DOMINVS apud Haggæũ dixit: Propediem erit, cum ueniet desiderium Gentiũm, repleboque Domum istam gloria, & maior erit istius nouissimæ Domus gloria, quàm prioris, & in isto loco dabo pacem: Id primo de CHRISTI apud Ierosolymam in Templo apparitione, prædicationeque, & Spiritus sancti ibidem effusis donis est intelligendũ: Deinde de Ecclesia, per Ierosolymam & Templum figurata: cuius gloria ideo maior est quàm prioris Templi gloria, quòd illud umbram prætulerit, hæc ueritatem obtineat: illud Salomon, hanc ille qui maior Salomone est ædificârit: illud ex mortuis congestum sit saxis, hæc ex uiuis fidelium hominum constet lapidibus: illud corrupto auri atq; argenti ornatu splenduerit, hęc incorruptis Dei donis refulgeat: in illo figurales factæ sint uictimæ, in hac uera immolentur holocautomata: illud tandem dirutum & solo adæquatum sit, contrà hanc inferorum non præualebunt portæ. In Ecclesia etiam CHRISTVS eam ipsam pacem, quam Ierosolymis in Templo prędicauit, suaq́;, ad Caluarię montem, nece obtinuit, pacificatis omnibus quæ uel in cœlo uel in terra sunt, etiamnum hodie per suum Spiritum omnibus fidelibus dispensat: Nec extrà Ecclesiam, uel pax uera, uel CHRISTVS, uel Spiritus sanctus depręhendi potest: ut & illa non nisi in CHRISTO & eius Spiritu firmam habet pacem, in mundo autem continuis infesta est angustijs.

Vide Hiero. in Hag. August. de Ciuit. Dei, lib. 18. cap. 48. Ambr. 3. Epist. 12. Epist. Bedã in 1. Esd. Tuicens. de Vict. Ver. lib. 7. ca. 30.

2. Pet. 1. Rom. 12.

Matt. 16.

Coloss. 1.

Iohan. 16.

Zachariam, filium Barachiæ filium Hiddonis, DOMINVS præter Haggæum, ad uaticinandam Templi exædificationem, & Iudæos, ut diuino confisi auxilio, in opere faciendo omnem consumerent operam, exercendos suscitauit. Zacharias, si interpreteris, perinde est acsi dicas, Μνήμη κυρίου, DOMINI memoria, Barachia DO-

Zacharias.

זכריה. ברכיה.

עדות· MINI benedictio, Hiddo testimoniũ. Quòd si nos DOMINI beneficiorum agendis iugiter gratijs in fide memores essemus, omni is nobis spirituali benediceret benedictione, qua imbuti & amplissimũ de ueritate testimonium dicere, & hodie etiam ueros nancisci Zacharias possemus, qui non solum rectè Dei Verbũ secarent, sed etiã, ut nos ipsi uiua Dei Templa, ad mystica facienda sacrificia, ædificemur cum fructu urgerẽt. Vbi Iudæi, tum quòd ædificationis opus moueretur quidem, sed tardissimè promoueretur, tum ipsi continuis hostium exagitarentur iniurijs, animo cadere & exædificationem desperare inciperent, Zacharias eos huiusmodi allocutus est uerbis: Vidi noctu, & ecce Vir equum rufum conscendens inter myrtos, quę erant in profundo, & post eum equi rufi, uarij & albi. Et dixi: Qui sunt isti DOMINE? Tum Vir ille inter myrtos respondit: Hi sunt quos DOMINVS misit ad peragrandam terram. Atq; illi DOMINI Angelo, inter myrtos stanti, responderunt: Peragrauimus terram, & ecce tota terra habitatur ac quiescit. (Postea) uidi & ecce quatuor cornua, & dixi Angelo, qui in me loquebatur: Quidnã sunt ista? Et ille ad me dixit: Hæc sunt cornua, quæ Iudã, & Israelem & Ierosolymam dissipauerunt. Tum ostendit mihi DOMINVS quatuor fabros, Cui dixi: Quid isti factum ueniunt? Et ille ait: Hi uenerunt ad deterrenda quatuor cornua, Cap. 1. His parabolis Vates, si historiam respicias, populum consolari uoluit, ut bona fabricam spe molirentur, nec aduersarios timerẽt: DOMINVM enim ipsis adfuturum, cunctisque repressis hostibus largam perficiendi operis daturum facultatem: At mystico considerato sensu, per Virum inter myrtos in humili loco, Equo rufo insidentem, Vir, nomine Oriens, id est, CHRISTVS IESVS, intelligitur, qui seipsum exinaniens, & seruilem assumens formam, ut in

Ephes. 1. 2. Tim. 2. 1. Pet. 2. 1. Cor. 6. Zach. 6. Phil. 2. Col. 1. Ephes. 2.

ut in ea omnia pacificaret, uiuosq; spiritualis Templi la- Iohan.11.
pides in unum colligeret, audit apud Esaiam: Cur tua Esaiæ 63.
uestimenta sunt rubra? Equi rufi, uarij & albi orbẽ per-
agrantes, sunt Apostoli, Martyres & Doctores, qui à Do
mino ad denunciandũ in toto orbe pacis Euangelium
amandati, postquam commisso defuncti sunt munere,
ad magni consilij Angelum, inter myrtos stantem, re-
uenientes, eum sic affati sunt: Peragrauimus terram, &
nostrum confecimus cursum: ecce autem omnis terra Actor.20.
habitatur & quiescit, Ecclesiæ scilicet per totam Iudæ- 2.Tim.4.
am, Galilæam & Samariam pacem habent, & ædifican
tur, & in DOMINI metu ac sancti Spiritus confirma- Actor.9.
tione proficientes replentur: exteræ etiam Gentes quæ Ephes.2.
aliquando expertes Dei & sine CHRISTO degebant,
iam eius fiunt habitaculum, & à uitiorum contentio-
numque bellis solutæ, DOMINI adeunt hęreditatem,
ad Patrem redeuntis atque dicentis: Meam pacem do Iohan.14.
uobis, meam pacem relinquo uobis. Quatuor autẽ cor-
nua, Iudam & Israelem dissipantia, Ierosolymæque &
Templi reparationem impedientia, mysticè sunt qua-
tuor mundi partes, hoc est, optimates & uiolenti quiq;
in mundo, unà cũ summo mundi Principe, qui, & cum Iohan.14.16.
CHRISTVS appareret, coierunt contra eum, ut eius Psal.2.
soluerent Templum: & postquam Dei regnum nun- Actor.4. Iohan.2.
ciari cœpit, id irruptione facta rapere, eiusque profectũ Matt.11.
quoquo modo remorari atque sustollere conati sunt. Luc.16.
His DOMINVS quatuor fabros opposuit, Id est, Primò
unigenitum illum suum Natum, in quatuor Euangeli-
cis historijs fabri nuncupatum filium, qui suum ab ipsis Iohan.2.
solutum Templum propria excitauit uirtute, expolia-
tosque principatus ac potestates ostentauit confiden- Actor.2.
ter, triumphans de illis in semetipso. Deinde Apostolos Col.2.
& Apostolicos uiros, qui uirtute ex alto potentibusque
in Deo præcincti armis, Dei regnum cõtra quosuis in- Actor.4.

Ephes.6. sultus magna constantia prædicârunt, cunctaq; humana consilia unà cum uniuersa sublimitate, extollēte sese aduersus Dei cognitionem, demoliti sunt, nec ulla intelligentia consistere potuit, quam non ad obediendum CHRISTO captiuam abduxerint.

Dedicatur Tēplū, Paschaq; celebratur. Exædificato tandem aliquando Templo, anno regni Darij sexto, ad diem tertium mensis Adaris: Sacerdotes, Leuitæq; & reliqui è captiuitate reduces, eius dedicationem summa cum lætitia egerunt, multasq; immolârunt uictimas, & azimorum instante festo Pascha celebrârunt: Sic cum nos in hac sexta mundi ætate, cœlesti nobis præsidente Dario, ab internis uindicati claustris, & ueri Adari, id est, fortes in fide, spiritualisque effecti fuerimus Domus: præstabimus corpora nostra Deo hostiam uiuentem, festumq; sinceritatis agemus azimis, & mysticum Pascha, id est, transitum peragentes, ne cum transeunte transeamus mundo, hinc instabile Dei atque CHRISTI properabimus regnum, qui in terra peregrini, in cœlo autem municipes cum omnibus fidelibus appareamus Patribus.

חדר id est, habitaculum, fortitudo.

Hebr.11. Phil. 3.

Esdras. De Esdra eiusq; tum nominis tum gestorū mysterio, apud Bedam huius explicationis, quā modò recensebo, habetur sentētia: Sicut Zerubabel & Iesua CHRISTVM significant, qui humani generis captiuitatē sua relaxat gratia, sibiq; in nobis domum, nos per Spiritum sanctificans atq; possidens, ædificat: Sic Esdras eundem omnino prefigurare potuit: Esdras enim interpretatur adiutor, auxiliator: CHRISTVS unus suum populum in quauis adiuuare tribulatione, & de omni uitiorum confusione ad solidam traducere pacis quietem, potest: de quo Psal.120. scriptum est: Auxilium meum à DOMINO, qui fecit cœlum & terram. Esdras uelox in Moysis lege Scriba nominatur: CHRISTVS ideo sic uocari potest,

poteſt, quòd Moyſi legem per Angelum dedit, Ipſe Prophetas ueritatem docuit, ipſe Electorum mentes ad intelligendam faciendamq; Patris uoluntatem accendit, Ipſe dixit: Hoc eſt Teſtamentum quod Iſraelis Domui poſt illos dies diſponam: inditas meas leges in eorũ mentem & in eorum cor inſcribam. Cum Dauid caneret: Lingua mea calamus ſcribæ uelocis, &c. Sic eius lingua uelocis Scribæ erat calamus, quòd quæ DOMINVS eũ ſine temporis mora intùs docebat, ea ipſe per linguæ officiũ foris cum tempore declarabat. Eſdras cor ſuum ad inueſtigandã exequendamq; Dei legem paraſſe atq; applicuiſſe dicitur: Id de CHRISTO multò magis eſt ſentiendum: is enim in mundum ueniens, talem aſſumpſit hominẽ, qui non ſolum ſine peccato, ſed etiam gratia & ueritate plenus exiſtens, cui nulla peccati repugnaret lex, ipſam Dei legem abſq; ulla mentis uel carnis contradictione ſeruauit, unde de eo legimus: CHRISTVS in mundũ ingrediens, dicit: Corpus aptaſti mihi, Ecce adſum, in capite Libri ſcriptũ eſt de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Et Matt. 5. is ipſe dicit: Ne exiſtimetis ueniſſe me ut Legem aut Prophetas ſoluam: non ut ſoluam ueni, ſed ut perficiam. Eſdras Iſraelis populum legem docuit: CHRISTVS abiectis Phariſæorum traditionibus ſacram Scripturam (unà cum lege, quę ſummatim in Dei & proximi dilectione conſiſtit) myſticè intelligendam docuit, & Euangelij decreta adferens, ea perfectiora Deoq; acceptiora eſſe oſtẽdit, quàm ea quæ olim per Moſen (pro carnali Iſraele) præmiſerit, unde ait: Audiſtis ꝙ antiquis eſt dictũ: Diliges amicũ tuum, & odio habebis inimicũ: At ego dico uobis: Diligite inimicos ueſtros, benefacite his qui uos oderũt, & orate ꝓ ijs qui uos perſequuntur. Eſdras nõ minimã populi partẽ de Babylonis captiuitate Ieroſolymã ſecum adduxit: Ita Chriſtꝰ in carne apparẽs mũdi cõfuſionẽ, liber ab omni

Ierem. 31. Hebr. 8.

Pſal. 45.

Ambr. Neſcit tarda molimina ſpiritus ſancti gratia.

Pſal. 40. Hebr. 10.

Matth. 5.


uitiorum confuſione,intrauit:ut nos ſecum,rediens eò unde uenerat, ab omni liberatos confuſione ad ſupernæ pacis tranquillitatē induceret. Per Eſdram Rex Babyloniæ ſua donaria Deo conſecrata Ieroſolymam in Templum perferenda curauit. Per CHRISTVM neceſſe eſt nos noſtra ſpiritualia Deo offerre munera, ſi uerè bona & ei accepta eſſe debeāt:Nemo enim,inquit is ipſe,uenit ad Patrem niſi per me. Et Iohannes de eodem: Ipſe eſt propitiatio pro noſtris peccatis. Hæc ferè Beda.

Iohan.14.

1.Iohan.2.4.

CAP. VII.


DE INSTAVRATI A CAPTIVITATE BABYLONICA TEMPLI deſtructione, mutatione & ampliatione, per Herodem Maiorem.



Deſtruit

Deſtruit Herodes demoliturque ſecundi
Structuram Templi, quam reparare ſtudet:
Sed tamen Archetypi metas tranſcendit auitas,
Hæc, Antichriſti regna, figura refert.

HISTORIA.



HERODES anno ſui Regni decimo quinto, poſt abſoluta multa ingentia facinora, admirabilius aliud concepit animo, Dei ſcilicet Templum denuò conſtruere, ampliore quàm adhuc fuiſſet circuitu, & ea celſitudine quæ priori reſpondere uideretur: ratus hoc pacto ſe non tantum Dauidis atque Salomonis adæquaturũ gloriam, ſed & illorum opinionem, qui ſe uelut promiſſum Meſsiam ſuſpicerent, magis confirmaturum eſſe. Verum timens, ne populum difficultate deterritũ, minus ad hoc obſequentem deprehenderet, conuocauit eos, & de omni negotio orationem habuit, in qua & alia propoſuit & hæc in primis:

Sic Ioſephus Bell. 1. idem tamen 15. Antiq. hoc duodeuigeſimo regni Herodis anno factum eſſe ſcribit.

Tuicenſ. Sõmus Libanus, de quo Eſa. 11. ſcriptũ eſt, tunc cadere cœpit, quando Herodes uetus Templum depoſuit, et aliud cõdidit, maius quidem & duplum quam fecerant filij transmigrationis, ſed hoc fecit, gloriã quærens ſuam, non dei, ut ſcilicet Dauidi & Salomoni conferretur, aut potius præferretur.

Non habeo neceſſe, Viri tribules, ut uel geſta uel opera mea cõmemorem, quæ, ex quo regnare cœpi, plus uobis oportunitatis & ſecuritatis, quàm mihi ornamenti & laudis attulerunt: ſcitis enim ipſi quòd in maximis ueſtris difficultatibus, nulla priuati cõmodi ratione, uobis proſpexi: & quæ hactenus opera, Deo ſecundo, perfeci, uobis potiſsimũ ſeruiunt: per quę factũ eſt, ut res Iudaicę nunc magis quàm unquã floreat. Quare ut dicere cœpi, nõ opus eſt ſpeciatim enumerare uel urbes uel alia ædificia, quib. tum Iudæam ipſam, tũ alias huic cõtributas regiones excoluimus. Sed illud potius uobis nũc proponã, quod maximè uel ad religionis cultũ, uel ad regionis ornatũ attinet. Tẽplo huic quod poſtliminio reuerſi à Captiuitate Patres noſtri inſtaurârũt, deſunt ad priſcã

Herodis de Tẽplo mutãdo oratio.

altitudinē cubita ſexaginta: tanto enim celſius erat primum illud à Salomone conſtructum. Nec hoc maiorū noſtrorum culpa commiſſum eſt, per quos non ſtetit, quò minus hoc magnitudine prius adæquaret: uerùm Cyrus & Darius Hyſtaſpis filius hunc ædificij modum præſcripſerunt: ſub quorum imperio, quia illi tum uixerunt, ſicut poſtea Macedonum, facultatem non habuerunt aſſequi primū illud pietatis ἀρχέτυπον. At nunc poſtquam Deo uolente ego rerum potior, & longa pace, promptis pecunijs, magnis redditibus abundo: quodq; maximum eſt, cum Romanis totius orbis Dominis in gratia ſum, dabo operā, ut id quod Maiores noſtri, ſub alieno nutu ætatē degentes, neceſsitate præteritorum, que temporum ſeruitute non ſatis accurauerunt, reſarciam, & quicquid deeſt ad Dei honorem (memor acceptorum ab eo beneficiorum) gratè ac piè perſoluam.

Hac tam inopinata oratione omnium mentes ſunt attonitæ, quòd ſupra ſpem polliceri uideretur: & magna urgebantur ſolicitudine, ne fortè diſſoluto ueteri opere, nouum nō poſſet abſoluere: quare periculoſum uidebatur conſilium & conatus perdifficilis.

Quod ubi animaduertit Rex, iuſsit eos bono animo eſſe: manſurum enim prius Templū integrum, nec antè diruendum, quàm omnis materia comparetur, quæ ad abſoluendam futuram fabricam pertineret, neque eos fefellit: Nam mille carros ad conuehendos lapides parauit, & ex omni opificum copia peritiſsimos delegit ad decem millia, & inſuper mille Sacerdotes, ſacerdotalibus ſuo ſumptu ueſtitos ſtolis, partim cœmētariç partim lignariæ fabricæ non imperitos: hosq; omnes adhibuit operi, omnib. iam antè rebus diligēter præparatis.

Igitur ſublatis ueteribus fundamentis, & iactis alijs, Tem-

Templum ſuper eis erigebat,longitudine centum cubitorum,altitudine totidem & uiginti amplius:qui uiginti cubiti aliquanto poſt, ſidentibus fundamentis,deceſſerunt.

Tuicen. Licet Herodes mutauerit parietes, & ſpectandos pro ſua gloria magnos congeſſerit lapides, non tamē depoſitum uel mutatum fuit Altare.

Conſtabat autem tota ſtructura, ut & prior, è lapidib. marmoreis firmiſsimis,longis circiter uicenos quinos cubitos,altis octonos,latis duodenos:habebatq; Baſilicæ ſimilitudinem,hinc & inde depreſsior,media ſui parte editior:ita ut à multis ſtadijs conſpicua foret,maximè ex aduerſo habitantib. aut aduentantibus.

Forma inſtaurati Templi.

Ipſum Oraculare, Sanctumque & Interiorem porticum,unde prophani lege arcebantur, nō auſus ingredi Rex,per ſolos Sacerdotes curabat extrui.

Portam ſuperioris Domus totam, quemadmodum etiam ante fuerat,inaurabat, inſculptis ei ſparſim pretioſis lapidibus. Circùm eam auratum erigebat parietem,deſuper aureos habentem pampinos, unde botriones ex criſtallo,hominis ſtatura,dependebant.

Porta ſuperioris Domus.

Huic portæ Velum Babylonicū oppandebat,hyacintho,& biſſo & cocco uariegatum,mirabili opere factum, neque contemplationis expers,colorum permixtione:ſed uelut omnium rerum imaginem prę ferens: cocco enim uiſum eſt ignem imitari, & byſſo terram, & hyacintho aerem,ac mare purpura : partim quidem coloribus,byſſo autem ac purpura origine : quoniā byſſum quidem terra,mare autem purpuram gignit: eratque in eo perſcripta omnis cœli ratio præter ſigna.

Velum.

Eam uerò partem qua paucis gradibus in purorum Iſraelitarum atrium,dictum poſtea Salomonium Veſtibulū,aſcendebatur, cancellis ſaxeis ab oriente circundabat ad tres cubitos altis, nimiūq; grato opere factis : ubi & æquis deponebat interuallis colūnas,caſtimonię atq;

Cancellæ & Columnæ.

ſeceſsionis legem Hebraicis, Græcis & Latinis literis præmonentes, eiuſmodi inſcriptione:

כל נכר הקרב אל משכן יהוה ימות.

Πᾶς ἀλλόφυλος ὁ ἁπτόμενος τῆς σκηνῆς τοῦ κυρίου ἀποθνήσκει.

Omnis alienigena accedens ad habitaculum DOMINI, moriatur.

Acceßio Templo ab Herode adiuncta.

Extra Salomonium Veſtibulum Herodes nouam Templo, contra uetus archetypum, acceſsionē adiungebat, omnium quidem generum politis ſtratam lapidibus, marmoreis etiam columnis, ſpacioſisque porticibus, nec nō bipatentibus portis & excelſis pinnis, uſq; adeò ſumptuoſam, magnificam & illuſtrem, ut totius orbis miraculū uideretur: cuius ambitus, uerſus ſingula occidentis, meridiei & ſeptentrionis latera, complectebatur in longitudinem CL. in latitudinem C. cubitos: ab oriente autem DCCXX. cubitis ad torrentem uſq; Cedronem extendebatur.

Atrium Gentium.

Hæc acceſsio nuncupata eſt Hebraicè חצר גוים Gręcè Αὐλὴ τῶν ἀλλοφύλων, Latinè Atriū, ſiue Aula Gentium.

In Atriū Gentium omnibus acceſſus datur

Eam Rex non ſolū puris Iſraelitis, ſed & omnibus omniū Gentium populis, ſiue puri ſiue impuri, circunciſi aut præputiati illi eſſent, promiſcuè patêre uoluit, fœminas tantum menſtrua ſoluentes aditu prohibens.

Exædificatio & dedicatio Templi.

Tuicens. Populus ſuper Herodis opere nec lętitia efferri, nec tanto pêccatori adulari debuiſſet.

Poſtquam uerò omnem ſtructurā octo annis abſoluiſſet, ingens in uniuerſo populo exortū eſt gaudium, omnibus Deo gratias agentibus pro tam celeriter finito opere, Regi autem pro accurato tam alacriter negotio fauſta ominantibus, & Templi inſtaurationem magna ſolennitate concelebrantibus.

Ibi Rex Deo trecentos boues immolauit & reliqui, pro ſua

pro sua quiq; facultate, tantum uictimarum, quantum uix comprehendi posit numero: Incidit enim is dies, in quo Templo absoluto hęc celebritas peragebatur, in eundē diem, in quo Rex fuerat creatus Herodes: quem quidem anniuersaria hilaritate celebrare solitus erat, ut hoc pacto cōduplicata publica lætitia festum tantò fuerit illustrius.

Fertur toto tempore, quo Templū ab Herode construebatur, nunquā interdiu Ierosolymis pluisse, noctu tantum imbribus descendentibus, eamq; famam, quasi per manus traditā, ad suam à maioribus peruenisse ætatem, Iosephus testatur.

Hoc Templum ipse Herodes, præter quod constructione à Salomonio archetypo decidit, eo quoque primus prophanasse dicitur, quòd præter Iudæorum consuetudinem, supra maiorem portam Aquilam auream magni ponderis collocauit. Post eum id Romani pręsides, Pilatus, Cumanus, Florus, & item seditiosi Iudæis uarijs contaminârunt modis: ultima autem Vrbis expugnatione per Titi milites, expilatum, incensum, dirutū, ac funditùs, iuxta CHRISTI prophetiam, est euersum: Idq; factum est, à prima eius per Herodem constructione, anno nonagesimo, decimo mensis Augusti die, quo ipso & mense & die Salomoniū ædificium, ante annos sexcentos septuaginta nouem, à Babylonijs fuerat concrematum.

Prophanatio & destructio huius Tēpli.

Si eorum quæ hic breuiter strictimque à me allata sunt, uel certos testes uel copiosiorem desideras enarrationem, uide Ioseph. Antiq. Iud. 15. lib. cap. 14. Bellor. lib. 1. cap. 16. 21. lib. 2. cap. 8. 11. 14. lib. 6. cap. 6. lib. 7. cap. 9. Et cōtra Apion. lib. 2. Hist. Iud. lib. 5. cap. 25. Iosippi Iud. Comp. Egesippū de Excidio Ierosl. lib. 1. cap. 35. lib. 5. ca. 42. Item Rupertum Tuicens. de Vict. Verbi lib. 11. cap. 14. 15. 16.

INTERPRETATIO.

Herodis nominis & eiusdem instaurati Tẽpli mysteriũ.

HErodes exponitur mons arrogãtiæ uel Draco ignitus, Antichristũ is pręfigurare potuit, filium nempè perditionis atq; peccati, de quo Paulus scribit, quòd aduersetur, & se suprà quicquid dicitur Deus aut Numen extollat, adeò ut in Dei templo tanquam Deus sessurus sit, seipsum Deum esse ostendens, 2. Thess. 2. Et Ioannes eundem Apoca. 8. montem magnum igni flagrantem, Cap. 17. Mulierem septem montibus insidentem, Cap. autem 13. bestiam Pardali similem uocat, cui rufus ille Draco, nomine Diabolus, suas uires suumq́; solium & eiusmodi os donet, ut in Dei nomen, inq; Tabernaculũ & eos, qui in cœlo habitant, contumeliose loqui queat. Hic, inquam, Antichristus spiritualem Dei Domũ, quæ Christiana est Ecclesia, falsa ueri zeli, Christiq́; & Verbi Dei nominis simulatione prophanabit, destruet, euertet: & eius in locum aliam Aedem, quæ Psal. 26. Ecclesia malignorum uocatur, pro suo arbitratu substituet, Hancque spaciosa dilatatam accesione magno exteriore perpoliet apparatu: Vbi quòd alienigenis, idololatris ac quibusuis atheis sceleratisque hominibus liber patebit aditus, sacrum à prophano non discernetur, nec impurum dijudicabitur à puro, Ezech. 22. sed sacrosanctũ canibus, & margaritę porcis indiscriminatìm apponentur, Matth. 7. At quo tempore hic Herodes ædificabit, nec mysticæ nubes mystico stillabunt rore, nec uerum cœlum pluuia, incrementum dante, pluet, Hagg. 1. Zachar. 13. 1. Corint. 3. Imò DOMINVS tandem eius murum, quem incondito trullisauit cœmento, ad terram deturbaturus est, Ezech. 13. cap. Cumque spiritualis iudicij decempeda certo dabitur Metatori, quò is Dei Templum (postliminio uisum) Aramque & adorantes in eo metiatur, tum eidem dicetur, ut exterius

Chry. super Mat, Falsi Prophetæ apparuerũt post Prophetas, & fallaces Apostoli post Apostolos, & post Christũ Antichristus.

Ambr. Duæ sunt Ecclesiæ, una bonorũ & Christi, altera malorum & Antichrist. Et citatur in Decret. c. qui dignior 24. q. 1.

Idem. Christi Ecclesia Christũ caput habet, qui solus uerba uitę habet, & hæc deserenda nõ est. Antichristi Ecclesia est ubi perfidus populus & Antichristus prælatus, hæc ut Synagoga fugienda.

iſtud Templi atriũ foris excludat,nec id metiatur: quippè datum Gentibus, quæ ſanctã Vrbem conculcabunt menſes quadraginta duos,Apoc.11.

CAP. VIII.

COROLLARIVM, QVO VARIA TEMPLI NOMINA, CELEBRIORAque nonnulla in eo geſta,& aliæ commemoratione dignæ hiſtoriæ,demùm etiam certæ cauſæ,ob quas id diuina uindicta ita exciſum ſit,ut nulla deinceps inſtauratio ſperari poſsit, recenſentur,breuibusq; enucliantur uerbis.




FANVM iſtud Ieroſolymitanũ, de quo adhuc diſſeruimus,in ſacris Literis ſparſim Templũ, 2.Paral.31.32.Baruch.2.& aliàs Domus DOMINI. Haggæi 1.Matt.21.23.Iohan.2.Actor.2.Domus. Tobiæ 1. Domus Ieroſolymitana. 2.Paral.30. Sanctuarium.Daniel.11.Sanctuariũ fortitudinis. Eſa.32. Palatium.Eſa.5.Matt.21.Turris.Eſdræ 7.Tobiæ 13.Tabernaculum.Zachar.11.Libanus ac ſaltus munitus.Et apud Ioſephum de Bello lib.4.cap.5.Lib.7. cap.9.Arx ſeu Caſtellum denominatur. Has uerò appellationes omnes in CHRISTVM Chriſtiq; corpus Eccleſiam ſanctam collimaſſe,cuiuis attento Lectori,ex adductis ſuperioribus explicationibus, planum fieri poteſt. *Varia Templi nomina.*

בית יהוה·

οἶκος κυρίου·

Domus DOMINI.



De ablatis à Ieremia Tabernaculo, Arca et Altari è Templo.

SEcundo Maccab. 2. memorabilis, de ablatis Arca atq; Altari per Ieremiã è DOMINI Domo, deſcripta eſt hiſtoria his uerbis: Eſt literis mandatũ, ut Ieremias Propheta, diuino (ante Babylonicam captiuitatẽ) accepto reſponſo, Tabernaculũ & Arcam (in Domo DOMINI poſita) ſe ſubſequi iuſſerit, ac poſtquam in montẽ perueniſſet (quo cõſcenſo Moſes, DOMINI hæreditatem cõtemplatus erat) Tabernaculum, & Arcam & Aram ſuffitoriã in quandã domũ cauernoſam, quam illic inueniſſet, intulerit, oſtiũq; obſtruxerit: cumq; comitũ quidã, notandi loci gratia, acceſsiſſent, neq; eũ inueniſſent, Ieremias cognita re illis increpatis dixerit, eũ locũ ignotum fore, uſq; dum pacatus Dominus, ſui populi cœtũ ſimul congregaſſet, tunc ea oſtenſurũ eſſe, eiusq; maieſtatẽ & nubẽ appariturã eſſe, uti ſub Moſe apparuiſſet, ut etiã Salomõ petijſſet, ut is locus magnificè cõſecraretur.

Deut. 34.

Hic

Hic Ieremias res illas umbratiles, ut & Hiskias æneum serpentẽ, propterea semouit, quòd nimio increbescente abusu, Iudæi eas pro rebus adumbratis suspicerent: Prophetico autem docuit more, ut in ipsam potius ueritatem & in CHRISTVM, qui suę crucis aduentu omnia pacificaturus, palantesque sui populi oues congregaturus, ac manifestè in proprij corporis Templo apparituros esset, diligenter intenderent, fideique oculis prospicerent. Ab hac interpretatione Tuicensis propius abest, Ieremiæ adducta modò uerba, de futura Dei populi congregatione, apparituraque gloria atque nube, Lib. de Victoria Verbi 10. cap. 21. hoc modo declarans: Iudæus homo animalis, cuius circuncisio non in spiritu, sed in tota carne consistit, hoc Ieremiam dixisse putat, quòd Iudęorum, qui in omnes Gentes captiui ducti sunt, congregatio debeat fieri, nescio quo tẽpore, Templumq; illud cum Ciuitate restrui, cum tali nube apparente, qualis erat ubi Moses legem accepit, & qualis, ubi Salomon ædificatum Templum magno Deo dedicauit: Nos autem post illud tempus, quo hæc scripta sunt, post uictoriosa scilicet prælia Maccabæorum, nullam scimus Dei populi cõgregationem, præter illam quam idem spiritus, qui loquebatur in Prophetis, nobis in Euangelista Iohanne depromit, dicens: IESVS moriturus erat pro Gente, & non tantum pro Gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: Tunc utique apparuit gloria Dei, gloria Filij Dei cum resurrectione mortuorũ effulgentis, & exinde est nubes, sicut manifestabatur Mosi, ubi legem accepit: & sicut fuit nubes, cum Salomon Templũ DOMINI ædificauit: Nubes, inquam, exinde est similiter, sicut cæcitas Iudęorũ, cuius in prodigium factæ sunt illę nubes, usque ad illud tempus ignotum erit, ait Ieremias, ubi sit Tabernaculum, & Arca, & Altare incensi, id est, non cognoscetur

4. Reg. 18.
Aug. de Ciui. Dei lib. 10. ca. 8. Ezechias Rex ęneum serpentẽ propter facti memoriã reseruatũ, cum postea populus errans tanquã idolum colere cœpisset, religiosa potestate Deo seruiens, cum magna pietatis laude cõtriuit.

Lyra: Iudæi congregationem & propitiationẽ illam, de qua dicitur 2. Mac. 2. expectant futuram in aduentu Messiæ, & nos intelligimus esse factã in aduentu Christi, secundũ illud, Iesus moriturus erat, ut filios Dei cõgregaret in unum.

ab omnib.populis uel Gentibus,quorũ uel qualiũ exemplaria cœlestiũ illa fuerunt(sed pij id saltẽ cognoscent.)

Ioas in Domo Domini occultus est conseruatus, & deinde Rex constitutus.

In Domo DOMINI Iesęba Ioiadæ Pontificis uxor Ioam Achaziæ Regis filium ex Athaliæ conspectu,omne Regium semen extinguere studentis, abdidit,& ibi eum cum nutrice,solo marito cõscio,occultum sex annos aluit,Athalia interim regnum obtinente. Anno aũt septimo eum Ioiadas productum, regijsq; Centurionibus,Sacerdotib. & populi Primarijs ostensum, Regem constituit atq; inunxit, Athaliam uerò extra Templi septa iussit occidi,4:Reg.11.2.Par.11.Ioseph. Antiq.9. ca.7. Si nos noui Testamenti historias respiciamus,occurret alia Athalia,Herodes nempè,hic enim omnem Iudaicę domus regiam stirpem, similiter ut ista, perdere conatus est,quò sibi,ceu alienigenę,libera regnandi maneret potestas: cumq; ex Magis cognouisset,CHRISTVM uerum illum Iudæorum Regem, & mysticum Ioam, mystici Achaziæ,id est,omnia possidẽtis DOMINI,filium Bethlehemæ natum, misit interfectum pueros, quotquot Bethlehemæ & in toto eius territorio erant,sperans se hunc in ijs etiam compræhensum extincturum esse: At DOMINVS qui omnia,antequam fiant,prouidet,cunctaque suo uertit arbitratu,unde meritò Ioiada & Ieseba,id est,DOMINVS sciens horasq; uertens dici potest,iam ante per Angelum Iosepho,nutritio CHRISTI patri,præceperat,ut assumpto eo eiusq; matre Maria,fugeret in Agyptum, & illic esset usq; dum alia mandata acciperet: Herodem enim quæsiturũ eum ad necem,cuius præcepto Iosephus audiens dicto fuit,sicque tum CHRISTVS est conseruatus. Defuncto autẽ Herode,Iosephus à DOMINI Angelo accîtus, Christum eiusq; matrem in Israeliticam reduxit terram. Vt uerò CHRISTVS deinde se manifestare cœpit, & multi eũ Mesiam promissum certumq; Israelis Regẽ esse profiteban-

Herodes.

tebantur: obcæcati Iudęi id ægrè ferentes, nec ut is in se regnaret sustinentes, eum coram Pontio Pilato abnegârunt, & crucis morte sustollendũ curârunt, quem Deus solutis mortis dolorib. reuocauit in uitam, dextraq; sua in summã cœli domũ euectum Dominũ constituit, spiritualeq; ei Dauidis soliũ, ut in ueram Israeliticã Domũ in perpetuum regnaret, dedit, Mat. 2. 21. Mar. 11. Luc. 1. 19. Ioh. 11. 12. Actor. 2. 3. † Quæ uerò Athalia Christũ etiamnum hodiè in ipsius membris extinguere laboret, quomodóue is cum suis euadat, Iohan. Apoc. 12. huiusmodi indicat uerbis: Visum est magnũ signũ in cœlo, Mulier amicta Solé, & Luna sub eius pedibus, & in eius capite duodecim stellarũ corona (Ea) in utero gestans clamabat, & parturiens cruciabatur ut pareret. Et uisum est aliud signũ in cœlo, ecce Draco magnus rufus habens septem capita, & in capitib. diademata septẽ, cuius cauda tertiã stellarũ cœli partẽ detraxit, easq; in terrã deiecit, (Is) Draco stetit ante mulierẽ, quę paritura erat, ut cum ea suũ filium peperisset (ipse eum) deuoraret. Et peperit filium marem, qui omnes Gentes ferrea uirga recturus erat (qui eius filius) raptus est ad Deũ eiusq; Thronum. (Tunc) factũ est in cœlo præliũ, Michael & eius Angeli præliabantur cũ Dracone, & proiectus est Draco in terram (Deinde) magnã uocem audiui dicentem: In cœlo nunc facta est salus, & uirtus, & regnũ Dei nostri & potestas eius. Postquã aũt Draco se in terram proiectũ uidit, mulierẽ persecutus est, quæ marem pepererat (sed) mulieri datæ sunt duæ alæ, ut in desertum in suum locum uolaret, ubi alitur tempus & tempora, & dimidiũ temporis (Tum) iratus in mulierẽ Draco, abijt, ut prælium cum reliquis ex ipsius semine faceret.

Aug. Mulier Ecclesia est, quæ filium marem Christum in cruce suó modo parit.

Idem: Draco est Diabolus, quærens Ecclesię natum deuorare.

Idem: Cauda Prophetę iniqui sunt id est, hæretici.

Idem: Michael id est, Christus, & eius Angeli, id est sancti, præliantur in cœlo, id est, Ecclesia.

† Rabanus: Athalia quæ semen Dauid extinguere moliebatur, impietatem Synagogæ exprimit, quæ seminis Dauid, hoc est, Christi insidiatrix erat, quæ aliquando uidebatur regnare, cum legis Ceremonias temporaliter obseruaret: interpretatur enim Athalia temporalis Domini. Sed Iosabeth (id est, Dei patris) strenuitate in Ecclesia seruatur Ioas, id est, memoria Domini, Christus scilicet in quo est memoria nominis Domini, ne per crudelitatem interimatur in electorum cordibus, sed in ijs per fidem incrementum corporis sui faciat, donec tempore iudicij aduersus eos sceptrum extollat, qui ipsum deprimere conabantur.

Zachariæ in Domo Domini Angelus apparet.

Lucæ 1. alia hiſtoria in Domo DOMINI geſta re-
cenſetur, hoc pacto: Fuit diebus Herodis Iudęæ Regis
Sacerdos quidam, nomine Zacharias ex Abiana uice, &
eius uxor erat de Aharonis filiabus, nomine Eliſabetha.
erant autem ambo coram Deo iuſti, nec erat eis proles.
factum eſt dum is in ſuę uicis ordine Sacerdotio coram
Deo fungitur, ut ei ſecundũ Sacerdotij conſuetudinem
ſuffiendi ſors obueniret (Idcircò) in DOMINI Tem-
plum ingreſſus eſt, & omnis populi multitudo foris ho
ra ſuffitionis orabat. Apparuit autem ei DOMINI An-
gelus, ſtans à dextris Aræ ſuffitoriæ. Et Zacharias (eo)
uiſo turbatus eſt. Ait autem ad eum Angelus: Ne timeas
Zacharia, quoniam exaudita eſt tua deprecatio, & tua
uxor Eliſabetha tibi filium pariet, & eius nomen uoca-
bis Iohannem (qui) magnus erit coram DOMINO, ſan
ctoque Spiritu replebitur iam indè ab utero matris ſuę,
& DOMINVM præcedet cum Eliæ ſpiritu ac uirtute.
Et Zacharias ad Angelũ dixit: Vnde iſtud cognoſcam?
ego enim ſum ſenex, & uxor mea iam eſt prouectæ æta
tis? Ac reſpondens Angelus, ei dixit: Ego ſum Gabriel,
qui aſto antè Deum, & miſſus ſum ut hæc tibi euange-
lizarem. Et ecce eris mutus ad eum uſq; diem, quo hæc
fiant, quòd meis uerbis non credidiſti, quæ ſuo tempo-
re implebuntur. Populus (autem) expectabat Zacha-
riam, eumq́ue (tandiu) in Templo morari mirabatur.
(Is) autem egreſſus illis loqui non poterat, & cognoue-
runt quòd uiſionem (aliquam) in Templo uidiſſet. Ac
ipſe eis innuebat, remanſitq́ue mutus. Et factum eſt, ut
impleti ſunt eius officij dies, abiret Domum ſuam, &c.
De Sacerdotum uicibus ſeu ſortibus, in quibus Abiana,
cuius hic mentio fit, octaua ordine erat, ſic Ambroſius:
(Olim) ſorte eligebatur, ut introiret Templum Sacer-
dos, & ibi offerret (atque ſuffitum faceret) pro ſe & po-
puli delictis: ſub eius autem figura ille quærebatur, cui
dicitur

Eucher. Viginti quatuor ſortibus in miniſteriũ Tẽpli diſtributi fuerant Sacerdotes, ut in ordine uicis ſuæ quiſquis Sacerdotali fungeretur officio, in hoc ergo octauã ſortem Abia habuit, de qua uice Zacharias ſacerdos fuit.

dicitur: Tu es Sacerdos in ęternum, qui non hostiarum cruore, sed proprio sanguine Patrem Deum generi recõciliaret humano. Tunc sanguis fundebatur in specie, in specie Sacerdos ordinabatur: nunc quia ueritas uenit relinquamus speciem, ueritatẽ sequamur: & tunc quidem uices erant, nunc autem est perpetuitas. Si tunc in typo nullus (Sacerdoti) poterat testis adhiberi (qui cum eo Templũ intraret) quid aliud significabatur? nisi eum Sacerdotem esse uenturum, cuius sacrificium non esset cõmune cum cæteris, qui nõ in manufactis Templis sacrificaret pro nobis, sed in sui corporis Templo nostra peccata uacuaret. Beda uerò in totum illũ, ex Luca modò adductum locum, eiusmodi infert tropologiam: Per Zachariam Sacerdotem, Iudæorum Sacerdotium, per Elisabetham Lex indicatur, quę Sacerdotum doctrina exercitata, quasi uirili auxilio, spirituales uerè bonorũ operũ filios gignere debebat: sed sterilitatis quadam affecta infirmitate neminem perficere, nec cœli ianuam cuiquam reserare poterat. Ambo, Zacharias nempè & Elisabetha, erant iusti, quia Lex sancta est, & mandatum sanctum, & iustum & bonum: legale etiam Sacerdotiũ pro sui temporis dispensatione bonum, sanctum & iustum erat. Ambo in suis diebus processerant, quia Christo aduentante Sacerdotij ordo Pontificum ambitione contentionibusque ita abolebatur, ut prorsus senescere, & propè suum interitum esse uideretur, ipsa etiam Lex Pharisæorum traditionibus usque adeò antiquabatur, ut minus ad generandũ habilis foret. Ingreditur Zacharias Templũ: Sacerdotum quippè erat cœleste fidei pedibus subire Sanctuarium, & ibi quomodo Lex exemplari & umbrę cœlestiũ rerũ deseruiret percipere. Foris orat multitudo, quæ dũ spiritualia legis penetrare mysteria nequit, humilib. cœlũ penetrabit precibus: & Dominus, qui omnia longe longeq; copiosius facere

Rom. 7. 8.
Heb. 7.
Rom. 7.
1. Tim. 1.
Heb. 8.
Mar. 7.
Heb. 8.
Eccles. 35.
Ephes. 3.

quàm quiſquam poſcere aut cogitare poteſt, ei ſuo tempore uniuerſa, quantũ quidem ſatis ſit, patefaciet. Dum Zacharias altari ſuffitum imponit, naſciturum eſſe Iohannem, qui DOMINI gratia exponitur, audit: dum enim Doctores ſub legis lectione precum ſuffitum, Spi-

Iohan. 1. ritus ſancti igne incenſum, adolẽt, eam CHRISTVM, qui gratia & ueritas eſt, præfigurare cognoſcunt. Per Angelum autem Iohannem naſciturum Zacharias co-

Actor. 7. gnoſcit: quia lex per Angelos ordinata, per magni quoque conſilij Angelum ea non ſolum impleri, ſed & nobis, ut eandẽ implere ualeremus, gratia ſuppeditari, debuit. Zacharias non credens mutus fit: qui enim fide caret, nec legem rectè intelligit, nec quomodo ſub eius litera ſpiritus repræſentetur alijs legitimè effari poteſt. Zacharias cum impleti eſſent ipſius officij dies, abijt domum, & poſtea ei Iohannes natus eſt: nam omnes Pro-

Matt. 11. phetæ ipſaque Lex ad Iohannem uſq; prophetauerunt.

חצר הכהנים·

Αὐλὴ ὁ ἴκου κυρίου.

Aula ſiue Atrium Sacerdotum.

Zacharias Ioiadæ filius. IN Atrio Sacerdotũ populus Zachariam Ioiadæ Pontificis filium lapidibus, iuſſu Ioę Regis, obruit: tantum quia Propheta, diuino inſtinctus Spiritu, ijs minitatus eſt, quoniam DOMINI præcepta uiolaſſent, fore infelices, quoniamq; DOMINVM dereliquiſſent, ab eo derelinquendos eſſe: Moriens tamẽ Zacharias, hæc dixit: Videbit DOMINVS, & requiret. Nec fefellit prophetia: anno enim uertente Syri Iudæam, Ieroſolymamq; aggreſsi, omnes populi Principes interfecerunt, Rex autem paulò poſt à ſuis ſeruis in proprio lecto peremptus eſt, 2. Par. 24. Ioſeph. Antiq. 9. cap. 8.

CHRI-

CHRISTVS 23.apud Matt.cap. alterius cuiuſdam Zachariæ in Sacerdotum Atrio occiſi mentionem his uerbis infert: Ecce ego ad uos mitto Prophetas,& Sapientes & Scribas,& ex illis(aliquot)occidetis ac crucifigetis(nonnullos) flagellabitis in Synagogis ueſtris,& ex alia in aliam Ciuitatē perſequemini, ut ſuper uos ueniat omnis iuſtus ſanguis in terram effuſus,ab Abelis iuſti ſanguine,uſque ad Zachariæ ſanguinem Barachię filij,quem(uos)inter Templū & Altare occidiſtis. Amen amen dico uobis,hęc omnia ſuper hanc generationem uenient. Ecce ueſtra Domus uobis deſerta relinquetur. Hunc uerò Zachariam Origenes & Proteuangelij auctor Baptiſtæ fuiſſe patrem exiſtimant,inter DOMINI Domum & Aram uictimariam ab Herodianis & item alijs propterea necatū,quòd CHRISTVM præſto eſſe, & ex Virgine cœleſti modo natum, prædicârit.

Zacharias Barachiæ filius.

Ioſephus libro 5. de Bello cap.1. itemque Egeſippus quarto de Excidio libro cap.10. de tertio quodam Zacharia ſcribunt,quem Zelotæ, ſtatim ante ultimam Vrbis complanationem, quòd nequiſsimis inimicus nimis foret,& probis amicus,nec non locuples, in medio Templo iugulârint.

Alius quidam Zacharias.

Quid Ieremiæ & ipſius Scribæ Barucho hòc eodem in Atrio obuenerit, nunc etiam breui dicendum eſt: De Ieremia,26. ipſius Vaticiniorum capite,hæc memoriæ prodita ſunt: Initio regni Iehoiacimi (Ieremias in Sacerdotum Atrio eiuſmodi uocem miſit) Hæc dicit DOMINVS, Aſta in Atrio Domus DOMINI, & loquere ad omnes Iudæ Ciuitates, ex quibus (populi) in DOMINI Domum adoratum ueniunt, uniuerſa uerba, quæ ego tibi, ut ad eos loquaris, præcepi, & dices eis: Hæc dicit DOMINVS: Si me non

Ieremias in Atrio Sacerdotum Tēpli ruinam prædicit.

audieritis, ut in mea lege, quam uobis dedi, ambuletis, meorumq; Prophetarum ſermones audiatis, quos ego ad uos mitto: dabo Domum iſtam ut Silonem, Vrbemque iſtam cunctis terræ Gentibus in maledictionem. Audiebant autem Sacerdotes & Prophetæ, omniſque populus, Ieremiã ea uerba in Domo DOMINI loquentem. Cumq; Ieremias conſummaſſet loqui omnia quæ ei DOMINVS præceperat, cõpræhenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ, omniſque populus, & dicebant: Morte moriatur. Quod cum Principes Iudæ audiſſent, ex domo Regis in DOMINI Domum aſcenderunt, & in nouæ portæ introitu cõſtiterunt: Tum dicebant Sacerdotes & Prophetæ ad Principes & ad omnem populum: Iudicium mortis eſt huic uiro (inferendum) quia aduerſus Ciuitatem illam prophetauit. Et Ieremias ad Principes omnes, cunctumque populum ait: DOMINVS me miſit, ut prophetarem contra hanc Domum atque Vrbem, omnia uerba quæ audiuiſtis. Nunc ergo bonas facite ueſtras uias ueſtraque ſtudia, & DOMINI Dei ueſtri uocem audite, & DOMINVM eius mali pœnitebit, quod aduerſum uos eſt locutus. Ego quidẽ ſum in manibus ueſtris, facite mihi ut uobis bonũ & rectum uidebitur. Veruntamen ſcitote, quòd ſi me occideritis, innocentem ſanguinem contra uoſmetipſos tradetis. Hìc Principes & omnis populus ſic ad Sacerdotes & Prophetas dixerunt: Nõ eſt huic uiro mortis iudicium (inferendum) quia in DOMINI Dei noſtri nomine ad nos eſt locutus. Achirami etiã manus cum Ieremia fuit, ne in populi manum ad trucidandum traderetur. Vbi Hieronymus: Sacerdotes & Prophetę, quos Pſeudoprophetas manifeſtius LXXII. tranſtulerunt, iraſcuntur Ieremiæ, quòd uera prædicat, & ſubuerſo Templo Ciuitateque deſerta, eorum religio & lucra, ex religione uenientia, ſint peritura: ideoque apprehendunt eum, & conſen-

Sic ſolent pleriq; iuſta reprehenſione offẽdi, peccatis nõ item, cum contra fieri debeat.

Plerunq; plus ſapiũt & plus æquitatis habent ineruditi quàm Doctores.

consentiente sibi populo morti destinãt: Si quando igitur & nobis, propter DOMINI mandata ac fidei ueritatem, uel Sacerdotes, uel Pseudoprophetæ uel deceptus populus irascitur, nõ magnopere curemus, sed exequamur sententiam Dei, nequaquam præsentia mala, sed futura bona animo cogitantes. Quòd autem Principes accurrentes, auditis utrinque partibus, Ieremiam contra accusationem Sacerdotũ, defendunt atque uindicant, ex eo intelligimus: crudeliores fuisse in Prophetam per inuidiam sanctitatis, qui religioni uidebantur dediti, quàm qui necessitatibus publicis præerant. Populus etiam, qui prius à Sacerdotibus & Pseudoprophetis fuerat supplantatus, iungitur Principibus & pro Ieremia loquitur: citò enim uulgus indoctum accepta ratione mutat sententiam. Dolor autem accusantium, præcipuè Sacerdotum & Pseudoprophetarum, non potest immutari.

De Barucho autem 36. apud citatum modò Ieremiam cap. sic scriptum extat: Anno quinto Iehoiacimi Regis (astitit) Baruchus in Domo DOMINI in atrio superiore ante nouam Templi DOMINI portam, & (illic) DOMINI uerba (sibi per Ieremiam de Templi Vrbisque excidio, nisi incolæ ad frugem redirent, dictata) ex libro legit, audiente omni populo (Quod cum Rex cognouisset) Iudim misit, ut librum illum afferret, qui eum allatum legit, audiente Rege & omnibus qui circum Regem stabant Principibus. Cumq; Iudi tres aut quatuor paginas legisset, Rex librum dissectũ in ignem coniecit, & præterea Ierameeli & Saraiæ præcepit, ut Baruchum Scribam & Ieremiam Prophetam comprehenderent. Sed eos DOMINVS abscondit. Vbi Rabanus: O miranda humanæ mentis cœcitas, & stupenda indurati cordis nequitia. Qui debuerant monitis sa- *Baruchus.*


lutaribus ad ſuorum peccatorum pœnitentiam cõpungi, monita diuina, libro deſcripta, ignis flamma ſtudebant conſumere, inſuper & Prophetam, quem per gratiam doctrinæ atq; correptionis meritò honorare debuerant, contumelia afficere contendebant: ſic nimirũ ſpiritus nequam ſpiritui gratiæ aduerſatur, hominum corda, ne credant & pœniteant, indurans.

Veritatis prædicatio odium periculũq; parit.

עשרה הגדולה

Στοὰ Σολομῶντος.

Porticus Salomonis.



IN Salomonia Porticu CHRISTVS ferè docere & ſua ædere miracula ſolebat: Hic ille Virum, quem ad Betheſdam ſanârat, nactus, ſic allocutus eſt: Ecce ſanus es factus, noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat, Iohan. 5. Indicans nimirum peccatũ eius morbi fuiſſe cauſam, & curato ſpiritualẽ præſcribens διαιτητικὴν. Hic idem ſe à Patre miſſum teſtatus eſt. Hic omnes

De doctrina et factis Christi in Salomonia Porticu.

iustitiam sitientes ad te, ceu uiuum aquæ uitalis fontẽ, inuitauit, Iohan.7. Hìc cæcos & claudos, ut se cæcarum claudarumque mentium Curatorem ostenderet, sanauit. Hìc ei pueri acclamârunt: Hosanna Dauidis filio: ut scilicet illud Psalmi confieret: Per os infantiũ & lactentium perfecisti laudem. Matth.21. Mar.11. Luc.19. Sed Iohan.10. nominatìm Porticus Salomonis, & CHRISTI ibidem habitis uerbis, in hunc modum fit mentio: Facta sunt autem Ierosolymis Encœnia (seu Instauralia) & hyems erat, Ac IESVS ambulabat in Templo in Salomonis porticu (Ibi) ergò eum Iudęi circundederunt, & ei dicebant: Quousque suspendis (& incertam relinquis) animam nostram? Si tu CHRISTVS es (promissus ille Mesias) dic nobis apertè. IESVS eis respondit: Dixi uobis (eum me esse) neque creditis,† (quia ex meis non estis ouibus, & alium uobis, quàm me esse uidetis, imaginamini CHRISTVM) Opera quæ ego in mei Patris nomine facio, ea dè me testantur (me uerum eius Filium & CHRISTVM, in lege Prophetisque promissum, uerè esse) Ego & Pater unum sumus (natura, diuinitate & æqualitate, sed non unus personis. Hìc) Iudæi lapides sustulerunt, ut eum lapidarent (lapidea scilicet corda habentes, lapidib. certare conabãtur) Respondit eis IESVS: Multa uobis bona opera ex meo Patre (profecta) ostendi, propter quod eorum operum me lapidatis? Iudæi ei responderunt: Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quòd tu (purus) homo cum sis, Deum teipsum facis (nuncupans Deum Patrem tuum, teque unum cum eo & ei æqualem existere affirmans) IESVS eis respondit: Nónne scriptum est in uestra Lege (Psalmis, qui generali significatione etiam Lex dici solent) Ego dixi Dij estis.* Si illos dixit Deos (& non solum Dei filios) ad quos Dei Sermo (qui egomet ipse sum) factus est (efficiens eos & Dei filios &

Cyril. Solent porticus nominari ambulacra, uestibula & atria, quibus Templũ cingebatur.

Cyril. Omnes ueteris instrumenti Scripturę aliquãdo Lex appellantur generali uocabulo.

Deos) & Scriptura non poteſt ſolui (falſitatis uel blaſphemiæ argui) Vos me quẽ Pater Sanctificauit (gignendo ſanctum, diuinitatiſque cumulando plenitudine) & in mundum miſit (ut per me incarnatum Dei Sermonem mundus ſaluaretur) blaſphemare dicitis, quòd dixi: Filius Dei (& unum cum Patre) ſum. Si non Patris mei opera facio (ſed ſolis uerbis prædico) nolite mihi credere: Si autẽ (&) facio (& prędico) etiamſi mihi (prędicanti) nõ credatis, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis quòd Pater in me eſt, & ego in eo (Hic illi) eum comprehendere quærebant (nõ ut haberent, & in eum crederent, ſed ut ſæuirent & occiderent) uerùm is exijt ex eorum manu.

† *Cyrillus in Iohannem: Iudæi Christum purum tantum hominem futurum, & Regem more terrenorum Principum cæteris excelſiorem uenturum, credebant: quod etiam poſteri eorum, uſque in præſens tempus, ſibi falſo perſuadent, credentes regnum à Prophetis Chriſto promiſſum, ſolummodo temporarium eſſe debere, & inſtar aliorum regnorum mundanum: Cum tamen eius regnum non ſit in exteriori potentatu aut principatu mundi, armatura, exercitus bellorum conſcriptione, aut miniſtrorum ſtipatione: ſed in ſpirituali potius dominatu debeat accipi, quo expulſo mundi Principe, in mentibus fidelium per fidem & mandatorum Dei obſeruationem regnaturus erat.*

* *Hylarius 7. de Trinitate: Demonſtraturus Chriſtus, quòd ipſe & Pater unum eſſent, in eo primò ineptia ridiculi opprobrij confutatur, quod in reatum uocaretur, quòd ſe, cum homo eſſet, Deum faceret: Cum enim Lex huius nominis appellationem ſanctis hominibus decerneret, & Sermo Dei indiſſolubilis confirmaret hanc impertiti nominis profeßionem, iam ergo non eſt criminis, quòd ſe Deum, cum Homo ſit, faciat: cum eos qui homines ſunt, Deos Lex dixerit. Et ſi à cæteris hominibus non irreligioſa huius nominis uſurpatio eſt, ab eo homine, quem ſanctificauit Pater, non imprudenter uſurpari uidetur, quia Dei filium ſe dixerit: cum præcellat cæteros, per id quòd ſanctificatus in filium eſt, beato Paulo dicente, quòd prædeſtinatus eſt filius Dei in uirtute ſecundum Spiritum ſanctificationis: omnis enim hæc de homine reſponſio eſt, quòd Dei filius etiam hominis filius eſt.*

Apoſtolorũ in Porticu Salomonis obuerſatio & doctrina.

Poſt CHRISTI in cœlum aſcenſionem eius Apoſtoli in Salomonia quoque Porticu uerſari, ibidemque coire, & populum docere conſueuerunt, atteſtante nobis Luca 5. in Actis cap. his uerbis: Apoſtoli unanimiter (ſiue

(siue unà simul) in Salomonis porticu erant, cæterorũ autem nemo eis sese audebat adiungere, sed eos magni faciebat populus. Augebatur autem magis (magisque) eorum, qui in DOMINVM credebant (ingens) uirorum simul ac mulierum multitudo. Et cap. 3. Quum Claudus ille quî (ad speciosam Portam alleuante eum Petro) sanatus fuerat, Petrum & Iohannem teneret, concurrit ad eos cunctus populus in porticum, quæ Salomonis appellatur, stupefacti. Quo uiso Petrus (hæc & alia uerba) ad populum (uerba fecit) Viri Israelitæ, quid hoc admiramini, aut quid nos intuimini, quasi nostrapte uirtute aut pietate effecerimus, ut hic ambularet? Fides quæ per IESVM in eiusdẽ est nomen, huic quem uidetis & nostis, istam in omnium uestri conspectu incolumitatem dedit.

In omnib. omnium largitor bonorũ laudãdus Deus, ne quis sibi hocq; suum non est, uendicet.

Amb. de Vocat. Gent. Fides nascitur & acquiritur per Dominũ nostrum Iesum Christum.

Quòd Lucas 24. sui Euangelij cap. de Apostolis scribit: Et erant continenter in Templo. Item Actor. 2. Credentes quotidiè unanimes perdurabant in Templo, & panem iuxta Domũ frangebant. Item 5. Apostoli quotidiè in Templo, & iuxta Domum docere, ac IESVM CHRISTVM euangelizare non intermittebant: hæc, inquam, docti quidam Viri etiam de porticu Salomonis intelligunt: quorum sententiam Oecumenius confirmat, illud, panem frangebant iuxta Domum, sic explicans: κατ᾽ οἶκον, id est, κατὰ ἱερὸν iuxta Templũ (in porticu nimirum Salomonis, quæ iuxta superiorem Templi partem, Domum nuncupatam, foris Sacerdotum Vestibulum, sita fuit.)

Iidem, quos iam citauimus Viri, & eam Domum, in qua sanctus Spiritus in Apostolos delapsus, illis, ut rerum diuinarum amplitudinẽ diuersis effari linguis possent, dedit, Porticum Salomoniam fuisse perhibent: idque primùm inde colligere nituntur, quòd DOMI-

Spiritũ sanctũ in Porticu Salomonis Apostolos inuasisse

NVS 1. apud Haggęum cap. de instaurato à Babylonica captiuitate Templo, si quidem literalem respicias sensum, dixisse uideatur: Replebo Domum istam gloria, & maior erit istius nouissimæ Domus gloria, quàm prioris: & in isto loco dabo pacem. Item Ezech. 39. Non abscõdam deinceps meam ab eis faciem, eò quòd meum Spiritum super Domũ Israelis effuderim. Deinde quòd uix sit probabile, aliam Ierosolymis. Domũ inuentam, quæ tantam hominum multitudinẽ capere potuisset, quantã Lucas ad Apostolos, statim post Spiritus in eos effusionem, coactam refert. Tum autem si hoc detur, mysterio fieri locum, ut quemadmodũ uentus aduentante excitatus Spiritu, totam Domum, in qua Apostoli considebant, repleuisse dicitur: Ita ipsum Spiritũ Christianæ Ecclesiæ Domum, per illam, id est, Salomoniam porticum, adumbratam, sua suggestione repleturum. De Spiritus autem in Apostolos aduentu, & quid tum acciderit, Lucas 2. Actor. cap. enarrat: Et quum compleretur, inquiens, dies Pentecostes, erant (Apostoli) omnes unanimiter eodem in loco (cõgregati) & factus est repentè de cœlo sonus, quasi uehemẽs ferretur uentus, totamque Domum repleuit ubi sedebant, eisq; conspectæ sunt dispertitæ quædam quasi ignis linguæ (qui) super eorum ununquenq; sedit, respletiq; sunt omnes sancto Spiritu, & uarijs linguis loqui cœperunt, prout eis Spiritus ille eloqui dabat. Erant autem Ierosolymis habitantes Iudęi, uiri religiosi, ex omnibus quæ usquã sub cœlo sunt Gentibus. Facta igitur hac uoce, multitudo (in eundem ubi Apostoli erant locũ) conuenit, & confusa est: propterea quòd eos sua quisque propria lingua loquentes audiret. Et ea die (ad fidem) accesserunt animæ circiter ter mille. Et omnes qui credebant erant simul, quotidiè perdurantes in Templo, & panem iuxta domum frangentes, unà simul cibum sumebant, cum exulta-

exultatione cordisque simplicitate. Vbi sic ferè Beda Presbyter, Gregorium P P. adducens: Per signa quidem Spiritus apparuit, sed per semetipsum interius loquebatur, & neque ignis uisus, neq; sonitus ille externus Deus fuit: sed per ea, quæ exterius exhibuit id, quod interius gessit, exprimebat: Qui enim Discipulos intùs & zœlo succensos & Verbo eruditos reddidit, foris igneas linguas ostendit. In significatione igitur admotis elementis, ignem cum sonitu senserunt corpora: Igni uerò inuisibili & sine sonitu uoce docta sunt corda. Quòd uerò ad illud attinet, quo dicitur: Apostolos Spiritus dono uarijs locutos linguis, atque adeò τὴν ἰδίαν διάλεκτον uniuscuiusque linguæ proprietatem expressisse, id quidam sic accipiunt: ut in cuiusque nationis homines illi inciderunt, eos ipsorum sermone affabantur: ut hic Petrus in Asianos incidens, Asiaticè alloquebatur: illic Iohannes in Aegyptiacos, Agyptiacè: istic Andreas in Romanos, Latinè: aut idem quosuis quouis sermone, prout quosque nactus est: atque hoc modo in loquentibus Apostolis fuerit miraculũ, qui in omnes amandandi nationes omnium nationum linguas ex tempore, diuina Spiritus inspiratione, didicerint. Alij uerò opinantur, eos sua, id est, Hebraica, seu Syriaca, saltem lingua locutos: sed miraculo factum, ut nemo non intelligeret, perinde acsi suam quisque linguam audiret: Vt si dicebat Discipulus, uerbi gratia, אלהים audiebat alius θεὸς, alius θεός, alius Deus, alius Dieu, alius Gott, &c.

Vide Aug. lib. 2. de Trin. capite 6.

Vide Gregorium PP.

קרבן·

γαζοφυλάκιον.

Corbana, Fiſcus, ſeu Aerarium ſacrum.

Gazophylacium.

CORbanam ſeu Gazophylacium in inferiori fuiſſe atrio, ex ijs quæ apud Ezechielem his uerbis deſcripta ſunt, conſtare uidetur: Tum me eduxit in exterius Atrium, & ecce triginta Gazophylacia in pauimēti circuitu. Quæ uerò Gazophylacia dicta, quidúe in ijs conſeruatum fuerit, Ioſephus lib. 2. de Bello cap. 8. indicat: Eſt apud Iudæos, inquiens, ſacer theſaurus, quem Corban dicunt, hunc Pilatus ad aquarum inductionem iuſſit expendere. Et expreſsius lib. 7. cap. 11. Romani Arculas, quæ Gazophylacia uocantur, incendunt, in quibus magna uis erat pecuniæ ac plurimum ueſtium, aliáque bona, &, ut breuiter dicam, omnes Iudæorum congeſtæ diuitiæ, quòd opulentiſsimus quiſque illuc totas domos exhauſerant. Item Cyrillus libro in Iohan. 5. Gazophylaciū locus ſacræ pecuniæ, ad oblationes & ad uſum Templi, cuſtodiendæ deſignatus. Itē Theophylact. Gazam theſaurū dicunt: Erat itaque ſacer theſaurus quem pij contribuerant, quo utebantur ad apparationē & neceſſaria ſacrificij, & ad ornatum templi, pauperumq́ue alimoniam: quamuis & de hoc poſtea negotiationē fecerunt Sacerdotes, diſtribuentes theſaurū non in ea ad quæ contributa fuerant. De Gazophylacij autem myſterio ſic Auguſtinus Enarratione 63. Pſalmi: Quid eſt Gazophylacium? Arca Dei, ubi colligebantur ea quę ad indigentiam ſeruorum Dei mittebantur. O homo, cor tuum ſit potius Arca Dei, ubi habitent diuitiæ Dei, ubi ſit numus Dei mens tua, habens imaginem Imperatoris tui. Et Hieronymus lib. 12. Comment. in Ezech. Gazophylacia (myſticè) appellantur, quę plena ſunt ſpiritualibus diuitijs, de quibus ſcriptum eſt: Redemptio

animæ

nimæ uiri propriæ diuitię. Super quibus & Paulus Apostolus gratulatur Discipulis suis, quòd pleni sint omni uerbo & omni scientia. *Prouer.13. Phil.1.*

Verumenimuero cum CHRISTVS plerunq;, ut Ambr.9.Epist.libro Epist.79.loquitur, pro locorũ qualitate, in quibus suos docebat famulos, aut cum aduersarijs disputabat, sua quoque uerba disputationesq; formare dignatus est, ut in Porticu Salomonis, id est, pacifici, eum, ceu uerum pacificatorem, dixisse inter alia audiuimus: Ego & Pater unum sumus, Ego sum CHRISTVS, Ego sum filius ille Dei: Nunc anne quoq; Gazophylaciũ accesserit, ac quid ibi, capta occasione, docuerit, ex Euangelistis per ordinem audiamus: Marcus 12. & Lucas 21. suorum Euangeliorum capitibus hæc memoriæ prodiderunt: IESVS (aliquando) sedens è regione Gazophylacij spectabat, quomodo turba conferret sua munera in Gazophylacium, ac multi diuites multa cõferebant. Venit (autem) & quædam uidua pauper, quæ duo minuta, quod est quadrans, contulit. (Tum ille) aduocatis suis Discipulis, eis inquit: Amen dico uobis: Hęc paupercula plurimum omnium contulit, qui contulerunt in Gazophylacium: Omnes enim ex eo quod ipsis supererat contulerunt in Dei donaria, at hæc ex sua penuria quæcunq; habebat, totum scilicet uictum suum, contulit. Vbi Ambrosius: Hìc DOMINVS moraliter suos instituit, ne quis à collatione ministerij paupertatis pudore reuocetur, nec sibi diuites blandiantur, quòd plus uidentur conferre quàm pauperes: Non enim quid fastidio expuas, sed quantum deuotione conferas, æstimandum est. Hæc moraliter: nec mysticè tamen despexeris hanc Mulierem, duo æra mittentem: Magna planè fœmina, quæ diuino iudicio meruit omnibus (alijs collatoribus) anteferri: ne forte sit

De Christi ad Gazophylacium doctrina.

Vidua pauper plurimũ in Gazophylacium contulit.

Amb.lib.de Vidua, & Epist. 9.Epist.76.

Ecclesia, quæ fidem cum misericordia copulauit. Et tu igitur ne dubites ad Gazophylacium duo æra deferre,
Heb.1. fidem scilicet & gratiã, in quibus integra cœlestis imago Regis effulgeat, splendor gloriæ eius & imago substantiæ. Item Beda: Allegoricè diuites isti in Gazophy-
Matt.5.8. lacium munera conferentes, Iudæos de legis elatos iustitia designant: Vidua pauper Ecclesiæ simplicitatẽ indicat, quæ pauper est spiritu, & temporales rerum concupiscentias, quasi mundi diuitias, abiecit. Vidua uerò
Ephes.5. quòd eius uir pro ea mortuus, & ab eius oculis in cœlũ
Actor.2.3. euectus, ibi ceu in alterius regionis parte uiuit. Hęc duo minuta in Gazophylacium confert, dum in diuinæ maiestatis conspectu, quo spirituales nostræ oblationes, quasi certo numero conscriptæ & consignatæ, conseruantur (uel corpus & animam) uel dilectionis Dei atq; proximi, uel fidei & orationis donaria offert atque con-
Luc.17. secrat. Quæ proprię fragilitatis respectu minuta, sed æ-
Matt.25. stimante ea DOMINO, cunctis superborũ Iudæorum operibus præstant. Iudæus ex eo quod sibi superest, in munera confert, quia de sua iustitia præsumens inquit:
Luc.18. Ago tibi gratias Deus, quia non sum sicut cæteri homines. Omnem autem uictum suum in Dei munera mittit Ecclesia, quia omne quod uiuit, non sui meriti, sed diuini esse muneris intelligit, dicens: Deus, esto mihi
Psal.59. peccatori propitius. Et iterum: Tibi DOMINE meam fortitudinem custodiam (seu acceptam feram) quia tu Deus es meus susceptor, Dei mei misericordia me præueniet. Item Theophylactus: Gloria tibi CHRISTE, qui (laudando Viduam mittentem duo minuta in Corbanam) ostendisti te parua gratiora sæpè habere quàm magna, Quæso ut & mea anima uidua talis sit, quæ abijciat Sathanam, cui ut uiro adhæsit, & (tibi fide copulata) mittat in thesaurum sacrum duo minuta, carnem & mentem: quæque parui faciat, continentia quidem carnem,

carnem, humilitate uerò animam: ut & ego audiam, quòd totam meam uitam Deo consecrârim, non relicta ulla cogitatione uel affectione huic mundo, Amen.

Apud Gazophylacium quoq; CHRISTVS adulteram sibi adductã, in eo suæ humilitatis statu, quo non ad iudicandos, sed ad saluandos peccatores uenerat, cõdemnare noluit: illã tamen eatenus à peccato peccatiq; liberans pœna, ut pœnitentiam suaderet, & nobis ne simili exemplo peccaremus, omnem occasionem præcidens. Hìc idem se lucem mundi, se principium, se supernè à Deo profectum atq; missum, se uerum Dei filium, & sine peccato existere, contestatus est: cumq; demum ad Iudæos diceret: Antequã Abrahamus esset, ego sum, illi eum ibidem, nisi ex Fano exiuisset, lapidibus cooperturi fuerant. Iohan. 8.

Adultera.

Aug. Prima Christi dispẽsatio medicinalis est, non iudicialis.

Matt. 27. cap. de Gazophylacio huiusmodi infertur mentio: Iudas (DOMINI) proditor, uidens eũ esse damnatum, triginta numos argenteos abiecit in Templo, & abiens laqueo se suspendit. Sacerdotũ aũt principes acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos in Corbanam referre, quippè cum preciũ sint sanguinis. Consilio autem inito, emerunt ijs agrũ figuli ad peregrinorũ sepulturam. Vbi Hieron. Hìc Sacerdotes uerè culicẽ liquant, & camelum deglutiunt: Si enim ideò non mittunt pecuniam in Corbanam, hoc est, in Gazophylaciũ & dona Dei, quia precium sanguinis est, cur ipsum sanguinem effundunt?

Hist. Trip. lib. 2. cap. 6. Corbana Iudæorum lingua sacrum erat ærarium.

Οἶκος ἐμπορίας.

Domus Mercatoria.

CIrca inferius Atrium cœpit demùm abusu prorsus ingruente, humanisque Pharisæorum dominantibus placitis, Boum, Ouiumque & Columbarum, pro

ijs qui uictimas facere uellent, mercatus institui: de quo sic Hieronymus lib.3. in Matt. Sciendum est quòd iuxta legis mandata in augustissimo totius orbis Templo, & de cunctis penè regionibus Iudæorũ illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiæ, maximè festis diebus, taurorum, arietum, hircorum: pauperibus ne absque sacrificio essent, pullos columbarum & turtures offerentibus: Accidit autem plerunque, ut qui longè aduenerant, non haberent uictimas. Excogitauerunt igitur Sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad sacrificia, uendebant: ut & uenderent non habentibus, & ipsi rursum empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra uenientiũ inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, & non solũ hostias non habebant, sed ne unde emerent quidem aues & uilia munuscula. Posuerunt itaque & numularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniã: Sed quia erat Lege præceptum, ut nemo usuras acciperet, & prodesse non poterat pecunia fœnerata, quæ cõmodi nihil haberet, & interdum sortem perderet, excogitauerunt & aliam technam, ut pro numularijs colybistas facerent, cuius uerbi proprietatẽ Latina lingua non exprimit: Colyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, uel uilia munuscula: Verbi gratia, frixi ciceris, uuarumq; passarum, & poma diuersi generis. Igitur quia usuras accipere non poterant Colybistæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro usuris accipiebant uarias species, ut quod non in numo licebat, in his rebus exigerent, quæ numis coemuntur, quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicauerit, dicens: Vsuram & superabundantiam non accipietis.

De instituto in inferiori Atrio à Sacerdotib. & Pharisæis mercatu.

Deut.23.

Ezech.22.

Hunc uerò abusum ut CHRISTVS & uerbis taxârit & facto aliquoties remouere instIterit, Euangelistæ

hoc se

hoc ferè modo commemorant: IESVS Ierosolymam ascendit, & reperiens in Templo uendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes, facto ex funiculis flagello, omnes uendentes & ementes, unà cum bobus & ouibus, eiecit ex Templo, numulariorumq́ue æs effudit, euertitq́ue mensas, neq; sinebat quenquam per Templum ferre uasa, atque columbarum uenditoribus (sic) dixit: Hæc auferte hinc, & ex mei Patris Domo, quę Domus orationis uocabitur cunctis Gentibus, ne facite negotiationis Domum, aut latronum speluncam. Recordati sunt autē eius Discipuli, quod scriptum est: Tuæ Domus zælus me exedit. (At) Iudæi (ita) ei dixerunt: Quod nobis signum ostendis, quòd ista (Dei Patris auctoritate) facias. Quibus IESVS (spirituale ænigmaticôs signum proponens) Dissoluite hoc Templum, inquit, & ego tribus diebus id excitabo. Iudæi (eum de manufacto Templo, sub Cyro ac Dario per Zerubabelem & Iesuam instaurato, recensq́ue ab Herode ampliato, loqui putantes) Quadraginta sex annis cōstructum est hoc Templum, inquiunt, & tu id tribus diebus excitabis? At ille de (non manufacto) sui corporis Templo loquebatur (quasi dicere uoluisset: Omittite figurale istud & breui stirpitùs destruendum Templum, & ad uerum Dei Templum, quod meum est corpus, conuertimini: Id enim à uobis crucis solutum morte, ego à triduo reuiuiscens mea meiq́ue Patris uirtute excitabo, quod uobis salutis æternæq́ue beatitatis immutabile erit signum) Hæc propemodum eorum est summa, quæ Iohan. 2. Matth. 21. Marc. 11. & Lucæ 22. pluribus descripta sunt uerbis: Vbi nos docemur, primò quidem ipsarum quoque externarum figurarū quemuis abusum sine supplicio tandem abire non posse. Deindè cum CHRISTI corpus uerum Dei existat Tem-

Christus ex Templo mercatores atque emptores eijecit.

Augu. Manifestū est non semel sed iterato hoc factū esse.

Theoph. Per has de nobis signo aliquo, eum Patrē tuum esse, qui istius est Dominus Domus.

plum, quod, diuino operante Spiritu, in sanctæ Virginis utero est compositum, posteaque per Crucem & Paßionem expolitum, ac demùm in Resurrectione, per glorificationem, usque adeò ornatum consummatumque redditum, ut in eo iam tota Deitatis plenitudo corporaliter habitet: ad id, ceu Veritatem, cunctos, posthabita umbra, Electos confugere, in eoque supplici Deum oratione quærere, & spiritualia facere Sacrificia debere. Tum autem istis Columbarum atque Boum uenditoribus similes, eos inquam, qui Christianæ Ecclesiæ Templum, de soluto rursumque excitato Corporis CHRISTI Templo exortum atque constructum, prophanant, spiritualibusque rebus suum faciunt quæstum, & cœlestia dona pecunijs addicere instituunt, CHRISTI zælo ex fidelium hominum cœtu, tanquam putrida & inutilia membra, resecandos, eijciendosque & propellendos esse, iuxta illud Pauli. 3. primæ ad Corinthios Epistolæ capite: Qui Dei Templum corruperit (aut uiolauerit) corrumpet (atque disperdet) hunc Deus. Si nunc ueterum aliquot Doctorum Scholia subiecero, quibus & citatus iam ex Euangelistis textus illustretur, & pauca illa, à me iamiamque posita uerba confirmentur, non inanem sumptam iri operam sperauerim. Hieronymus quidem Commentariorum in Matth. 3. lib. sic scribit: Plerique arbitrantur maximũ esse Signorum, quòd Lazarus suscitatus est, quòd Cœcus ex utero lumen acceperit, quòd ad Iordanem uox audita sit Patris, quòd transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis: Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc uidetur mirabilius esse, quòd unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum uilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra

Hiero. Corporis Christi Templũ omniũ (spiritualium) Templorũ est seminariũ atq; exordium.

Iohan. 11. Iohan. 9. Matt. 3. Matt. 17.

contra ſe ſæuientibus, & uidentibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad unius flagelli uerbera tantam eijcere multitudinem, menſaſque ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus: Igneum enim quiddam atq; ſyderium radiabat ex eius oculis, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie. Cumque manus non audeant inijcere Sacerdotes, tamen opera calumniantur. Quòd uerò ad myſticum iſtius CHRISTI facti intellectum attinet, is adhuc quotidiè Patris ſui Templum ingreditur, & eijcit omnes, tam Epiſcopos, & Presbyteros & Diaconos, quàm Laicos & uniuerſam turbam de ſua Eccleſia, & unius criminis habet uendentes pariter ac ementes, qui Dei Templum in latronum cõuertunt ſpecum, è religione lucrum ſectantes, ſicque ſeſe exhibentes, ut ſuus cultus non tàm cultus Dei quàm negociationis occaſio uideatur, cum tamen ſcriptum ſit: Gratis accepiſtis, gratis date. Menſas quoque numulariorum ſubuertit, dum Altaria propter auaritiam Sacerdotum demolitur. Cathedraſque uendentium columbas euertit, ubi eorum Magiſtrorum dignitatem ad nihilum redigit, qui uendunt gratiam Spiritus ſancti, & omnia faciunt ut ſubiectos populos deuorent, de quibus dicitur: Qui deuorant populum meum ſicut eſcam panis. Quod autem de Eccleſijs diximus, unuſquiſque de ſe intelligat: dicit enim Apoſtolus: Vos eſtis Templum Dei, & Spiritus ſanctus habitat in uobis. Non ſit in Domo pectoris noſtri negociatio, non ementium uendentiumque commertia, non donorum cupiditas, ne ingrediatur IESVS iratus & rigidus, & non aliter mundet Templum ſuum, niſi flagello adhibito, ut de ſpelunca latronum & de Domo negotiationis, Domum faciat orationis. Auguſtinus in Iohannem: Ecce Templum illud figura adhuc erat, & eiecit inde DOMINVS omnes qui ſua quærebant, aut ad

Ambro: Chriſtus uendentes & ementes non manu aliqua aut diuitijs accinctus eijciebat, ſed flagello, nec quiſquam auſus eſt ei reſiſtere.

Matt. 10.

Pſal. 13.

2. Cor. 6.

nundinas uenerant, quanto magis hodie eos eijciet qui
Phil. 2. in Ecclesia (ut Templi ueritate) sua quærunt, non quæ IESV CHRISTI sunt. Qui autem hìc uendunt? qui cum redimi nolunt, uendere uolunt, bonum esset eis ut redimerentur sanguine CHRISTI, ut ad eiusdem perueniant pacem, & ipsi quærunt in hoc seculo transitoriá, pecunias, uoluptates, honores. Qui uendunt columbas? qui dicunt: Nos damus Spiritum sanctum. Quare hoc dicunt, & quo precio uendunt? Precio honoris sui, accipiunt precium cathedras temporales, ut uideantur ipsi uendere columbas. Caueant à flagello,
Rom. 11. Columba non est uenalis, Gratis datur, quia Gratia uocatur. Qui uendunt boues? Boues intelliguntur Apo-
1. Cor. 9. stoli & Prophetæ, qui nobis Scripturas sanctas dispensauerunt. Qui ergo Scripturis fallunt populos, ut accipiant ab ipsis honores, & non conuertantur homines ad ueritatem, hi uendunt boues, uendunt & oues, id est, ipsas plebes, & cui uendunt? Diabolo: quicquid enim de unica Ecclesia præciditur, quis tollit nisi Leo
1. Pet. 5. ille circumiens, quærens quem deuoret? Idem de Quæstione Euangel. Mysticè Templum ipsum hominem CHRISTVM intelligas, uel etiam adiuncto corpore eius quod est Ecclesia. Secundum autem id quòd est caput Ecclesiæ, dictum est: Soluite Templum hoc, & triduo suscitabo illud. Secundum id uerò quòd est adiuncta Ecclesia, intelligitur Templum, de quo uidetur dixisse: Auferte ista hinc: significauit enim futuros in Ecclesia, qui sua negotia potius agerent, uel receptacula ibi haberent, ad occultanda scelera sua, quàm ut caritatē CHRISTI sequerentur, & peccatorū confessione accepta uenia corrigerentur. Theophylactus: CHRISTVS, tanquam DOMINVS Domus, hoc est, Templi, eijcit uendentes, ostendens ea quæ Patris sunt, sua quoque esse, interim etiam honestatis Templi (pro eo tem-

eo tempore) curam habens, ſed & tranſlationem ſacrificiorum ſignificans, eo quòd eijciendo boues & columbas pręſignificauit (poſt ſuam in cruce immolationem) non ultra opus ſacrificio, ſed oratione: Domus enim mea, inquit, Domus deprecationis eſt. Idem uerò etiam hodie eijcit è ſuo (ſpirituali) Templo eos, qui boues uendunt, hoc eſt, præſtantes in doctrinę uerbo non iuuant, ſed tortoribus tradunt, & oues, id eſt, ſimpliciorem ſeducunt populum, & columbas, id eſt, ſpiritualia dona munere elargiri uolunt. Adhęc ſi quis talentum & numum, hoc eſt, ſermonem & dogma uendat, & fortaſsis quum ſit Doctor, non annunciet Verbum niſi lucrum habeat, eius etiã menſam ſubuertit DOMINVS, ſedem dico doctrinæ. Hæc illi.

פנה היכל.

Τὸ τοῦ ἱεροῦ πτερύγιον.

Pinnæ Templi.

IN exterioris Porticus mœnibus, quadringentos altis cubitos, ſupernè Solaria ſeu Pinnæ deambulatoriæ conſtructæ erant, de quibus Matt. 4. & Lucæ 4. ſic ſcriptum legimus: Tunc adducit IESVM Diabolus Ieroſolymam, in ſanctam Vrbem, & in Templi pinnam conſtituit, eique dicit: Si Dei ille es Filius, iace teipſum hinc deorſum: ſcriptum eſt enim: Angelis ſuis de te mandabit, ut te conſeruent, manibusq; tollant, ne quando tuũ pedem ad lapidem offendas. Et IESVS reſpondens ei, dixit: Rurſus ſcriptum eſt: Non tentabis DOMINVM Deum tuum. Ac Diabolus, conſummata omni tentatione, ab eo receſsit ad tempus.

Remig. Templũ tria pinnacula habebat, ubi doctores ſedentes Populum docebãt.

Pſal. 90.

Chriſtus à diabolo in pinnis Templi tentatus.

Deut. 6.

Iſte Sathanæ cum CHRISTO in Templi pinnis congreſſus, non fuit internus, ſed externus: in eius ſiqui-

dem internos affectus, nec peccato nec ullis obnoxios tentationibus, nihil habebat potestatis: sed cum carne congressus est Sathan, tantũ tamen aberat, ut eam, quæ Matth. 1. Iohan. 1. Rom. 5. ex sancto concepta Spiritu, sancta plenaque gratia & ueritate existebat, uincere potuerit, ut & ab eo uictus sit, & reliquam insuper cæterorum hominũ fidelem carnem, à Deo olim furtò abalienatam, amiserit.

Hìc præterea uidere licet, quàm parum externam Diabolus sanctitatẽ moretur, ut qui etiam in sanctam IESVM adductum Vrbem, ibi in sanctis Templi pinnis tentare sit ausus.

Duo Doctores Adhæc duos hoc loco Doctores considerabimus: Alterum è tenebris prodeuntem, alterum æternę lucis adsertorem. Vterque Scripturam producit, at dissimili ratione: CHRISTVS uera usus allegatione, illam de se hoc, DOMINVM Deum à subiecta Creatura tentandum non esse, contestari obliquè insinuat. Diabolus uerò abutitur Scriptura, ut quouis saltem modo ad suam gloriam uincat, sibique eos, quos aggreditur, obnoxios Iohan. 16. faciat: sed fortior est CHRISTVS, in quo ille nihil quicquam inuenit. Interim tamen attendendum, quantopere etiam † Diabolo sit cognita Scriptura, licet nullo profectu: non enim habet, nec habere potest, sanctum Psal. 19. Spiritum, qui est cordium formator, & paruulis intelligentiam largitur.

† *Ambros. lib. 4. in Lucam: Dominus ea quæ de se erant prophetata, non putauit ad arbitriũ Diaboli esse facienda, sed diuinitatis propriæ auctoritate seruata, uersutiæ eius occurrit, ut quia Scripturarum exemplum prætenderat, Scripturarum uinceretur exemplis. Hic uerò disce, quia Sathanas transfigurat se uelut Angelum lucis, & de Scripturis ipsis sæpè diuinis laqueũ fidelibus parat: sic hæreticos facit, sic euiscerat fidem, sic iura pietatis impugnat. Ergo non te rapiat hæreticus, quia potest de Scripturis aliqua exempla proferre, nec sibi arroget quòd doctus uidetur. Vtitur & Diabolus testimonijs Scripturarum, non ut doceat, sed ut circumscribat & fallat.*

שער היסוד·

Πύλη τῶν ἐσόδων.

Porta Fundamenti.

PRiusquam ad ultimã huius capitis partem, qua causæ, ob quas Fanum diuina excisum sit uindicta, afferentur, progrediamur, breuem de eiusdem Portarum & nominibus & significatione præmittemus explicationem. In inferiori igitur Vestibulo sublimis erat porta, dicta 2. Par. 23. Porta Fundamenti: CHRISTVS non solum spiritualis sui Templi est fundamentum, ut antè probauimus, sed & Porta fundamenti, qui scilicet per se ipsum, tum ad seipsum, tum in cœleste regnum, tum in Ecclesię atria dat aditũ: attestante nobis August. Tract. 69. in Iohan. his uerbis: Nemo, inquit, CHRISTVS, uenit ad Patrẽ, nisi per me. Ac per hoc & ipse per seipsum & ad seipsum & ad Patrẽ, & nos per ipsum & ad ipsum & Patrem ducit: Quis hoc capit nisi spiritualis qui spiritualiter sapit? Et Tract. 13. Per CHRISTVM ad CHRISTVM uenitur. Et lib. de Episc. atq; Stoic. Non errabis quando is ad CHRISTVM per CHRISTVM. Et in Matt. Via CHRISTVS humilis, CHRISTVS ueritas & uita, CHRISTVS excelsus & Deus, Si ambulas in humili, peruenies ad excelsum. Item Hieron. in Ezech. Porta liminis potest DOMINVS intelligi, qui dicit: Ego sum ostiũ. Et in Mich. CHRISTVS est porta, per quem ad Patrem incedimus, ipse enim soluit medium parietem, & maceriam, id est, obscuritatẽ ueterum Prophetarum, & omnia antiquæ Legis aperuit Sacramenta, & dissipata incedendi difficultate uiam oculis omniũ reuelauit, ut qui uult pergere nullo irretiatur obice, nec obscuritatis caligine teneatur.

Portæ Fundamenti mysterium.

שער יפה·

πύλη ὡραία·

Porta ſpecioſa.

De claudo ad ſpecioſam portam ſanato.

Chryſ. Aſcendũt Apoſtoli Dominum deprecaturi, ſed preces claudi non poterant aſpernari. Præueniuntur precibus preces, rogantẽ claudum rogaturi ante audiunt, quàm precentur.

FVit etiam in inferiori Veſtibulo porta, nomine Specioſa, de qua ſic Actor.3. Petrus & Iohannes (aliquando) ſimul aſcendebant in Templum ad horam orationis nonam, Et quidam uir, qui ab utero ſuæ matris claudus erat, portabatur, qui quotidiè ad Templi portam, quę Specioſa dicitur, ponebatur, ut ab ijs eleemoſynam peteret, qui in Templum intrarent. Is quum Petrum & Iohannem, in Templum ingreſſuros, uidiſſet, rogabat ut eleemoſynam acciperet. At Petrus (comitante Iohanne) illum intuitus, dixit: Argentum & aurum mihi non eſt, quod autem habeo, hoc tibi do, In nomine IESV CHRISTI Nazareni ſurge & ambula: eiusq; dextera manu apprehenſa, eum alleuauit, ac protinus confirmata ſunt eius crura atque tali: & exiliens conſtitit atque ambulabat, cumq́ue eis in Templum intrauit, inambulans & ſaliens, Deumq́ue laudans. Eum (ut) uidit cunctus populus ambulantem Deumq́ue laudantem, & eum eſſe agnouerunt, qui ad Specioſam Templi portam ob eleemoſynam ſederat, impleti ſunt admiratione & ſtupore de eo quod illi contigerat: & quum ſanatus claudus Petrum ac Iohannem retineret, cucurrit ad eos cunctus populus in porticum, quæ Salomonia appellatur, &c.

Beda: Ordo perfectionis: primo ſurgit qui iacuerat, deinde iter uirtutum arripit, tum Deũ laudat, & ſic regni ianuã cum Apoſtolis intrat.

Specioſæ portæ myſterium.

Vide Tuic. de vict. ver. lib. 11. cap. 27.

Specioſæ iſtius portæ nomen Iſraelitas, Fanum introeuntes, in eius memoriam reducere debebat, qui & ipſe Pſal. 45. ſpecioſiſsimus præ omnibus hominum filijs nuncupatur, & quamuis claudam atque deformem Animam, pro ſpiritualis Templi foribus myſticam colligentem ſtipem, ſolus alleuare, ſuiq; decoris per fidem parti-

participipem reddere poteſt, eam tunc iijſdem allocuturus uerbis, quibus dilectã in Canticis affatur Sponſam: O te ſpecioſam amica mea, ô te ſpecioſam, tota pulchra es, nec in te eſt macula. Quæ eſt iſta quæ emergit ut aurora, ſpecioſa ut Luna, electa ut Sol: quàm ſpecioſi ſunt tui pedes in calciamentis filia Principis, Cap. 1. 4. 6. 7. Beda citatum ex Actis locum declarans, huiuſmodi utitur tropologia: Porta Templi Specioſa DOMINVS eſt, per quem qui intrat, ſaluatur. Ad hanc Portam debilis Iſrael nec ire ualens, Legis Prophetarumq; uocibus affertur, ut poſcat fidei ſapientiæque auxilium, quia uaticinia futurorum quaſi ad portam ponunt auditores, ut qui ante auratos poſtes primi Tabernaculi debiles iacuerant, in nomine IESV CHRISTI crucifixi Templum cœleſte ingrediantur.

שער חרצים·

πύλη τῶν παρατρεχόντων.

Porta Curſorum.

Porta, qua ex Salomonia Porticu in Regiam ibatur, à Regis Curſoribus, ad eam, Rege Templum ingreſſo, cuſtodiam agentibus, nuncupata eſt Curſorum Porta, 2. Reg. 11. De ſpiritualibus cœleſtis Regis Curſoribus ea quæ ſubijciam ſacræ Literæ uerba faciunt, Cant. 1. Poſt te (Rex) curremus. 1. Corint. 9 An neſcitis, quòd qui currunt in curriculo, omnes quidem currunt, ſed unus certaminis premium accipit: ſic currite ut compræhendatis. Quicunque autem certat, ab omnibus abſtinet: illi quidem idcirco, ut corruptam accipiant coronam: nos autem (ut) incorruptam. Ego igitur ſic curro ut non incertò, ſic pugilem ago ut (qui) non aerem uerberem: ſed ſubijcio & in ſeruitutem redigo meum corpus, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Galat. cap. quinto: Currebatis benè, quis uos impediuit,

Qui dicantur Curſores, Viues in 5. de Ci. Dei lib. cap. 2 explanat.

De ſpiritualibus Curſorib.

Orig. in Cant. Brauium Chriſtus eſt.

Aug. in Psal. Cur- rimus non pedi- bus, sed desiderio ad Deum.

quo minus ueritati crederetis, Hebr. 12. Curramus per patientiam propoſitum nobis certamen, reſpicientes in fidei auctorem atque conſummatorem IESVM, qui pro gaudio ſibi propoſito ſuſtinuit, contempta ignominia, crucem, & ad dexteram throni Dei conſedit.

שער סור·

πύλη τῶν ὁδλῶν.

Porta Cuſtodum.

Hæc porta ſic dicta, quòd im mūdi ſecedere iubebātur: Sur enim ſecedere ſonat.

SEcundo Reg. 11. Ioiadas Centurionibus Regiorũ Satellitum ſic præcipit: Tertia (ueſtrum) pars (cum Satellitibus ſibi ſubiectis) erit ad portam Suriam: Pro quo Targum legit Portam Cuſtodum. Orientalis uidetur fuiſſe Porta, cui certi erant appoſiti cuſtodes, qui & prophanam multitudinem & impuros Sacerdotes, primo Atrij Sacerdotalis aditu prohibitos, ſecedere iubebant: Nam ut Ioſephus 6. de Bell. & 2. contra Appionem lib. auctor eſt, cum quatuor Templum in circuitu Porticus haberet, harum ſingulæ in ſingulis portis propriam ſecundum leges habuere cuſtodiam: ita ut in exteriorem (ab Herode ultimò conſtructam) ingredi liceret omnibus, etiã alienigenis: mulieres tantummodò menſtruatæ tranſire prohiberẽtur. In ſecundam uerò Porticum cuncti Iudæi admitterentur, eorumq́ue coniuges; ubi eſſent ab omni pollutione mundæ. In tertiam (Salomoniam) tantum maſculi Iudęorum, mundi exiſtentes atque purificati. In quartam ſoli Sacerdotes, omni uitio carentes, ſtolis induti Sacerdotalibus. Si nos ſpirituale Templum eiusq́ue Porticus ſpectemus, occurrent illa Scripturæ loca, quæ ſic habent: Pſal. 24. Quis aſcendet in montem DOMINI, & quis in eius ſanctitatis loco ſtabit? mundus manibus, & mundus corde, qui ſuam animam in uanum non accipit, nec doloſè iurat, à DOMINO

De Tēpli porticibus earũq; cuſtodia.

Spirituales porticus.

MINO benedictionẽ,& à Deo suæ salutis iustitiam accipiet. Hæc est generatio quærentiũ eum,quærentium faciem Dei Iacobi. Psal.65.Beatus quẽ (tu DOMINE) elegisti & appropinquare fecisti,is enim in tuis atrijs habitabit,saturabitur tuæ Domus bonis, tui Templi sanctificatione. Apoc.11.Datus est mihi calamus uirgę similis,Et(Angelus stans) inquit:Surge,& Dei metire Templum, Aramq;,&in eo adorantes, At exterius Atrium templi eijce foras,& id ne metiaris: quoniam Gentibus est datum.Cap.21.In nouam Ierosolymam non intrabit quicquam commune(seu prophanum)quíue abominationẽ faciat & mendacium,sed duntaxat scripti in Agni libro uitæ. Cap.22.Beati qui (DOMINI) præcepta faciunt,ut eorum potestas sit in lignum uitæ, & per portas intrent in Vrbem. Foris uerò(erunt)canes,& uenefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & quisquis mendacium amat atque facit.

שער יהוה החדש·

πύλη κυρίου τῆ καινῆς.

Porta DOMINI noua.

IEremiæ 26.& 36. porta quædam in Sacerdotũ Atrio sita,Noua appellatur, ad quam Ieremias ab iniqua Sacerdotum accusatione per populi principes est absolutus,& Baruchus ibidem Ieremiæ librum de Vrbis atq; Templi excidio pro frequenti concione legit. Hæc porta nouam illam atq; uiuam uiam pręsignificabat, quam is qui uerus Ieremias uerusq; Baruchus existit,id est, excelsus atq; benedictus DOMINVS, CHRISTVS scilicet IESVS, nobis per suam Carnem dedicauit: ut in ea nos renouati, liberum ad noui cœli Sacra accessum habere,nouæq; Ierosolymæ municipes fieri,& illic sub spiritualib. atrijs spirituales litãtes uictimas, Deo Spiritus

Noua porta et eius mysteriũ.

ירמיה id est excelsus uel exaltãs Dominus ברוך Benedictus Dominus.

nouitate omnes uitæ dies aſsiſtere atque ſeruire ualeremus, Rom.9. Heb.10. Apocal.21. Pſal.97. 1. Pet.2. Rom.6. 7.12. Lucæ 1.

שער עליון.

πύλη ὑψηλή.

Porta Altiſsima.

POrta Domus DOMINI nominata eſt Altiſsima, quã quòd collapſam Iothamus Rex inſtaurauit, Hebręi Iothami portam appellârunt. Iothamus Latinis dici poteſt, Dominus conſummat, ſeu perficit. Si noſtrũ CHRISTVM, hìc quoque adumbratum, reſpicias, is Ezech.36. DOMINVS diruta ædificans, Eſa. 58. ruinarum inſtaurator, Heb.12. fidei conſummator, Pſal.87. Altiſsimus, Pſal.118. porta ad DOMINVM, Geneſ.28. porta cœli, & Iohan.10. oſtium, quarto autẽ decimo cap. uia ad Patrem nuncupatur.

יותם — *Portæ Altiſsimæ myſteriũ.*

CAVSAE, OB QVAS DEVS TANDEM IEROSOLYMITANVM TEMplum funditùs excindi permiſerit.

CVr uerò Deus manufactum iſtud Templum unà cum tota Ieroſolyma Vrbe anno, poſt ſolutum rurſusque excitatum CHRISTI corporis non manufactũ Templum, quadrageſimo ſecundo à Romanis compilari & funditùs deſtrui admiſerit, nunquã deinceps externè inſtaurandum uel reparandum: eius rei duæ potiſsimum reddi poſſunt cauſæ: Prima eſt, ut hoc pacto nefarium Iudæorũ ſcelus ulciſceretur, qui Templi Vrbisque abuſi figuris, dilectum ipſius Filium in ijs præfiguratum non ſolum non aſſumpſere, ſed & contemptum,

Mar.14. Iohan.2.

Luc. 19.20.21. 24. Actor.2.3.

ptum,reiectumq; ad mortis condemnationem,ut cruci affixus è medio sustolleretur, Gentibus tradiderunt. Hanc causam Egesippus lib. 5.de Excid. Ierosl.2. cap.his assignat uerbis:Erat sermo uetus & frequens,tunc perituram Vrbem Ierosolymam, & Sancta eius exurenda, cum seditio belli Legem incesseret, & domesticæ manus Templum Dei contaminarent:Sed ne hoc quidem intellexerunt:quoties enim excisa Domus Dei? quoties seditio? quoties obsidio? quoties bellum? & nunquam illa Vrbs perijt, nisi quando uerum Templum Dei domesticis manibus crucifixerunt.Et quod illud Templũ? Audiant:Soluite Templũ hoc, & in triduo resuscitabo illud.Quid enim aliud nisi sacrilegium fuit,cum impias manus extenderent in auctorẽ salutis, cum lapidarent, cum uerberarent, cum corriperent, cum occiderent? Tunc uerè sancta eorum absumpsit ignis diuinus: nam & exusta à Babylonijs,reparata:postea(destructa à Pompeio)reseruata iterũ: sed penitus exusta,ubi IESVS uenit,& Spiritus diuino calore soluta euanuerunt. Item Hieron.in Matt.Desertam Iudæorum Domum,id est, Templũ illud quod fulgebat augustius,oculis comprobamus:quia habitatorẽ CHRISTVM perdidit,& hæreditatem preripere gestiens,occidit hæredem.Lactantius uerò hanc ipsam causam lib.de Vera Sapien.cap.18. sacris comprobat Literis, duos adducens locos,qui tamen in nostris codicibus iam ad uerbum ita non leguntur,frequenti forsan descriptione,& tanta temporũ intercapedine uitiati:priorem ex 3.Reg.cap.9. ita allegat: Sed & Salomon Dauidis filius, qui Ierosolymam condidit,eam ipsam (cum Templo) perituram esse, in ultionem sanctæ crucis, prophetauit: Quòd si auertimini à me,dicit DOMINVS, & non custodieritis ueritatem meam,reijciam Israel à terra,quam dedi illis, & Domũ hanc, quã ædificaui illis in nomine meo, proijciã illam

Figurale Templũ ad eius ultionem destructum est, quòd Iudæi uerũ Tẽplum dissolui curârunt.

Iohan.2.

Actor.3.

Locus ex lib. Reg. de Christi crucifixione & Templi ruina.

omnibus,& erit Israel in perditionem,& in opprobriũ populo,& Domus hęc erit deserta:& omnis qui transibit per illam,admirabitur,& dicet: Propter quam rem fecit DOMINVS terræ huic & huic Domui hæc mala? Et dicent: Quia reliquerunt DOMINVM Deum suum,&persecuti sunt Regem suum dilectissimum Deo, & cruciauerunt illum humilitate magna: propter hoc importauit illis Deus mala hæc. Posteriorem locum ex Esdra huiusmodi citat uerbis: Fore autem ut Iudæi manus inferrent Deo suo, eumque interficerent, testimonia Prophetarum hæc antecesserunt: Apud Esdram ita scriptum est, Et dixit Esdras ad populum: Hoc Pascha Saluator noster est, & refugium nostrum, cogitate, & ascendat in cor uestrum, quoniam habemus eum humiliare in ligno: & posthæc sperabimus in eum,ne deseratur hic locus in æternũ tempus, dicit DOMINVS Deus uirtutum. Si non credideritis ei,neque exaudieritis annunciationem eius,eritis derisio in Gentibus. Vnde apparet(ait porrò Lactantius)Iudæos nullam aliam spem habere,nisi se abluerint à sanguine, ac sperauerint in eum ipsum quem negauerunt,& quòd dixerat,se Filium Dei esse, Item: Si solueritis hoc Templum,ego id in triduo resuscitabo, à Pontio Pilato cruci affigi postulauerunt. At quod ad hunc ex Esdra productum locum attinet, eum & similiter alia pleraque de CHRISTO IESV in sacris Libris illustria testimonia Iudæos litura sustulisse, Iustinus Martyr Tryphoni Iudæo obiecit, neque ille negare factum poterat. Verba uerò Esdræ Iustinus ex LXXII. Interpretibus Græcè sic restituit: Καὶ εἶπεν Ἔσδρας τῷ λαῷ: τοῦτο τὸ πάσχα ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ ἡ καταφυγὴ ἡμῶν. Καὶ ἐὰν διανοηθῆτε, καὶ ἀναβῇ ὑμῶν ἐπὶ τὴν καρδίαν, ὅτι μέλλομεν αὐτὸν ταπεινοῦν ἐν σημείῳ, καὶ μετὰ ταῦτα ἐλπίσωμεν ἐπ᾽ αὐτόν, οὐ μὴ ἐρημωθῇ ὁ τόπος οὗτος εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, λέγει ὁ θεὸς τῶν δυνάμεων. ἐὰν δὲ μὴ πιστεύσητε αὐτῷ, μηδὲ εἰσακούσητε τοῦ κηρύγματος αὐτοῦ, ἔσεσθε ἐπίχαρμα τοῖς ἔθνεσι.

Testimonium Esdræ de Christo eiusq; cruce.

Altera

Altera uerò euersionis typici Templi causa fuit, ne nos, cum Veritas, qui est CHRISTVS, cum suo corpore, sancta nempè Ecclesia, iam præsto adsit, si figura adhuc duraret, ad eam posthabita confugeremus ueritate: ut ferè humana imbecillitas umbras pro rebus ipsis amplecti, & relicto corpore ad figuras solet retrogradi. Hanc rationem Beda Presbyter annotat, ita dicens: Diuinitus procuratum est, ut patefacta per orbem fidei Euangelicæ gratia, Templũ ipsum, quondam augustum, cũ suis Ceremonijs tolleretur, ne quis forte adhuc paruulus ac lactens in fide, si uideret illa permanere, quæ à Prophetis sanctis facta, quæ à DOMINO sunt instituta, admirando sanctum seculare, paulatim à synceritate fidei, quæ est in CHRISTO IESV, ad carnalem laberetur Iudaismum: Deus itaq; omnia illa subuerti fecit, ac penitus auferri, quatenus umbra & typo cessante, ueriorem ipsa iam ueritas, per orbem declarata, palmam obtineret. Idem rursus: Cum Salomon in figurã Christi & Ecclesiæ Templum DOMINO condidisset, figuris ostensum est, quòd adueniente tandem & apparente ueritate ac luce, mox omnis illa umbratilis & imaginaria compositio typorũ esset penitus auferenda. Postquam uenit ille, qui uerum erat Templum Dei, quique cœlestis Ierusalem cœpit aperire mysteria, deleta est illa terrena, & non remansit lapis super lapidem. Prius Pontifex sanguine animalium sanctificabat populum, sed ex quo uenit uerus Pontifex, qui suo sanguine purificaret credentes, euanuit Iudaicus Pontificatus. Altare fuit prius & sacrificia celebrabantur, sed ut uenit uerus Agnus Dei, qui seipsum obtulit hostiam Deo, cuncta illa, uelut pro tempore posita, cessauerunt: propterea sanè diuina dispensatio procurauit, ut Ciuitas & Templum, & pariter omnia subuerterẽtur, ut sine ulla cunctatione illis cessantibus, hęc esse uera, pro quibus in illis typus

Aug. in Psal. 64. Vmbra terreni templi transiuit, nos Dominum, qui eius est ueritas, teneamus.

prçcesserit, crederemus. Cum hac Bedæ sententia Hieronymus lib. 5. Cõment. in Ierem. cõsentit: Sicut extructo Templo, inquiens, in Area Ornæ, & in monte Moria, hoc est uisionis, in quo Abraham filium suum Isaac obtulisse narratur, cessauit religio Silo, nec postea ibi sunt celebrata sacrificia: sic extructa Ecclesia & spiritualibus in ea uictimis immolatis, cessauerunt Legis Ceremoniæ, & data est Vrbs Iudæorum in maledictionem cunctis Gentibus terræ: de qua nos DOMINVS liberauit, dicente Apostolo: CHRISTVS redemit nos de
Galat.3. maledictione legis, factus pro nobis maledictio, Et in il-
Esa.6. lud Esaiæ: Commota sunt superliminaria cardinum à uoce clamantis, & Domus impleta est fumo, &c. Clamantibus Seraphim (id est, Apostolis) & in tota terra Trinitatis mysteriũ prædicantibus, quando passionem DOMINI Saluatoris terra cognouit: statim cõmotum est siue sublatum liminare Templi, & omnes illius cardines conciderunt, impleta Saluatoris comminatione,
Luc.19. dicentis: Relinquetur uobis Domus uestra deserta. Et
Matt.23. quàm pulcher ordo uerborum, Postquam terra repleta est gloria DOMINI Sebaoth, Iudæorum Templum impletum est ignorantiæ tenebris, & caligine, & fumo, qui noxius est oculis. Vel certè per fumũ Templi monstratur incendium: Prius enim Euangelium Saluatoris in toto orbe prædicatum est: & post quadraginta duos annos Dominicæ passionis, capta Ierusalem, Templumque succensum est.

Hæc illi.


CAP.

CAP. IX.

בית יער הלבנן.

Δρύμων τοῦ λιβάνου.

Nemus Libani.



Immenſis Salomon extruxit ſumptibus Aulam,
Regales coluit, magnificosque lares:
Regia diues erat, ſublimibus alta columnis,
Deſignans nitidi ſplendida tecta poli.

HISTORIA.

SALOMON, abſoluta Templi fabrica, quæ ſeptennio, ut dictum eſt, durauit, cœpit in monte Moria, propter Templum ad meridionale latus, Regiam conſtruere, quam uix tertio decimo anno conſummauit: neque enim tantam huic operi curam, quantam ædificando Templo impendit, Sed illud quidem amplum licet, & plus quàm credi poſſit celebre, adiuuante Deo, intrà iam dictum tempus Regia Salomonis.

perfectum est: Regia uerò tametsi multum Templi magnificentię cederet, quòd neque materia eius tanto antè præparata fuisset, & Regi non Deo construeretur domicilium, eò tardius ad finem est perducta: & hæc tamen pro dignitate fortunarum Regis ac Gentis est exędificata. Operæprecium autem fuerit totam eius dispositionem sigillatim, adiuncta breui interpretatione, explicuisse, ut Lector tum ex eius deliniatione totam amplitudinem colligere, & quid sacræ Literæ, recensendis huiusmodi reb. significare uoluerint, cõsiderare posit.

Regiæ fabrica

Basilica erat magna & pulchra, constructa quidem in longitudinem centum cubitos, in latitudinem quinquaginta, in altitudinem triginta: imposita autem quatuor cedrinarum columnarum ordinibus, quibus columnis cedrinæ trabes incumbebant: at tabulata quæ quadraginta quinque columnis ita sustinebantur, ut in singulis ordinibus quindenæ essent columnæ, fuêre desuper obducta cedro.

Fenestræ.

Luminum ibi triplex cõspiciebatur ordo, fenestris inter se triplici serie respondentibus.

Forma.

Omnes autem portæ, postesque & fenestrarum ligna erant forma quadrata, 3.Reg.7.& 9.2.Par.7.8.Iosephus Antiq.8.cap.2.

INTERPRETATIO.

Spiritualis ædificatio corporatam, & interior exteriorẽ præcedet.

Bern. Hom.1. Aduent. Anima prior reparanda est, deinde corpus.

QVòd Salomon prius Domum DOMINI construxit, quàm suas ædificaret ædes, pij uereq; Christiani Regis formam exprimebat, cui posterior erit cura rei familiaris quàm religionis: Quomodo etiam CHRISTVS suos Discipulos monuit, ut primũ (spirituale) Dei Regnum eiusque iustitiam (ex impijs iustos facientem) omni studio quærerent: sic externa ista ad sustentandũ

corpus

corpus neceſſaria, habitationem, nempe, cultumque & uictũ liberali Dei Patris benignitate adijcienda, utpote ad fidelium condita uſum, Matt.6. Luc.12. Is quoque directus in noſtri Salomonis regno eſt ordo, ut à ſpirituali interna ædificatione fiat initium, ueluti Apoſtolus de Galathis teſtatur, eos à Spiritu incepiſſe, Cap.3. Et Pſal. 45. de CHRISTI Sponſa ſcriptũ eſt, eius gloriam omnem internam eſſe. Quid referam quòd ueteres Patres præuenienti gratiæ nuſquam non primas tribuant partes, cui deinde externa, ceu ſecundaria, externè apud externum cœtum cum fructu ſuccedere atque cooperari poſsint.

Bernhar. in Cant. Gratiam duplicẽ confitetur Eccleſia, præuenientẽ & ſubſequentẽ. Idem: Quærere Deũ non poteſt anima, niſi præueniatur ut quærat. Greg. 33. Moral. Nullus primam gratiam meretur.

CAP. X.

Porticus Columnata.

Porticus excelſis præſtans conſtructa columnis,
Temporibus priſcis à Salomone fuit:
Aethereis in porticibus ſi firma columna
Eſſe cupis, CHRISTI robore uince mala. Apoc.3.

HISTORIA.

FECIT quoque Salomon Porticum columnatam, in longitudinem cubitorũ quinquaginta, in latitudinem triginta: Quæ cum ſuis columnis & coaſſatione antè columnas ſupradictæ Baſilicæ poſita, eis obiacebat. 3. Reg. 7. Ioſephus Antiquit. 8. cap. 2.

Porticus columnatæ deſcriptio.

INTERPRETATIO.

COlumnata illa Porticus, eius Domus umbra fuiſſe potuit, quæ 9. Prouer. cap. ſic deſcribitur: Sapientia Domũ ſuam ædficauit, excidit eius ſeptem columnas. Hoc uerò dictum Bernhardus Paruis Serm. adducens,

Port. columnatæ myſterium.

his ferè exponit uerbis: Nulla ſapientia carnis aut mundi ædificat ſibi Domum, ſed potius deſtruit quancunque domum inhabitat: At illa ſapientia quæ ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, ædificat ſibi Domum ex D. Virgine Maria (carnem ſcilicet ex ea aſſumẽs) in qua (Domo) ſeptem columnas excideret, omnes inquam uirtutes & omnia ſancti Spiritus dona in eam effunderet. Et Auguſtinus Quæſt. ex Nouo Teſt. Item 17. de Ciuit. Dei cap. 4. & 20. Hoc dictum gemina ratione poteſt intelligi: Primùm enim Domus CHRISTI Eccleſia eſt, quam ædificauit ſibi ſuo ſanguine. Deinde etiam poteſt & corpus eius dici Domus ipſius, ſicut dicitur & Templũ eius: ſi enim propter habitationẽ dicitur Templum Dei, non abſurdè dicetur & Domus. Hanc uerò Domũ ſibi Chriſtus, quatenus ſapientia & æternũ Dei eſt Verbum, in utero uirginali ædificauit, ex ipſa humanum corpus aſſumens. Similiter Hieron. in Prouer. † Sapientia ædificauit ſibi Domum, quia hominẽ filius Dei in ſuæ perſonę unitatem ipſe ſibi (ex D. Virgine) aſſumpſit. Vel certè Sapientiæ Domus Eccleſia Chriſti eſt, ex lapidibus uiuis, hoc eſt, ſanctis, in tabernaculum ſibi conſtructa. Columnæ aũt Doctores ſanctæ Eccleſiæ, ſeptiformi Spiritu pleni: quales fuère Iacobus, Cephas & Iohannes: quas nimirũ Columnas ſapientia excidit: quia ab amore præſentis ſeculi diſiunctas prædicantiũ mentes ad euangelizandum ipſius Incarnationis myſteriũ, & Eccleſiæ fabricam portandam erexit.

Aug. cõtra Felic. Chriſtus ſuæ incarnationis & auctor & opus eſt.

Hylar. de Trinit. Humani generis cauſa Dei Filius natus ex Virgine eſt & Spiritu ſancto, ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſua, uidelicet Dei, inumbrante uirtute corporis ſibi initia cõſeuit, & exordia carnis inſtituit, ut homo factus ex Virgine naturam in ſe carnis acciperet.

Idem 10. de Trin. Aſſũpta ſibi per ſe ex Virgine carne, ipſe ſibi ex ſe animam cõcepti per ſe corporis coaptauit.

† Damaſc. Sapientia ſeu uirtus, atq; Filius ille Dei eiuſdem eſſentiæ cum Patre D. Virginem tanquam diuinum quoddam ſemen obumbrauit, ſibiq; ex coſtis & puriſsimis eius ſanguinib. compegit carnem animatam, anima, ratione menteq; præditam, non ſemine humano aut materiali, ſed diuino artificio per Spiritum ſanctum, figura non paulatim per acceſsiones perfecta, ſed uno eodemq; momento temporis abſoluta. Epiphan. in Ancor. Dominus noſter incarnatus in hanc uitam, omnia perfectè aſſumpſit, ipſe ſuiipſius corporis factus plaſtes, ipſe ſibi accipiens animam.

CAP. XI.

רבסא המשפט·

Θρόνος ἐλεφάντινος μέγας.

Porticus atq; Thronus Iudicialis.



Hìc Thronus ex ebore & radianti conſtitit auro,
Hìc Salomon leges, iuráque ſacra dedit.
Excelſum CHRISTI ſic Iudicis ante Tribunal
Præmia mortales, quæ meruêre, ferent.

HISTORIA.

IVXTA Porticum columnatam Salomon & aliam conſtruxit Domum, quadrata forma, latam triginta cubitos, ualidiſque ſuffultam columnis, & à pauimento uſque ad laquear per omnes parietes cedro obductam. *Porticus Iudicialis.*

In eius medio erexit Thronum ingentem ex candido factum ebore, huncque auro probatiſsimo uſque- *Thronus Salomonis.*

quaque incruſtauit: cuius quidem throni ſex erant gradus, faſtigium à tergo rotundum, manus autem utrinq; ad locum ſeſsionis, ſecundũ quas manus duo aſtabant Leones, & in ſex gradibus ſtabant hinc atque hinc duodecim Leones: cuiuſmodi opus nullũ in ullo regno factum eſt. 3. Reg. 7. 10. 2. Par. 9. Ioſeph. Antiq. 8. cap. 2.

Hanc Domũ Rex ad cauſas forenſes agitandas, litesque decernendas condidit, ubi ipſe è ſuo throno ius dicebat, & quaſuis controuerſias admirabili dirimebat ſapientia, Imò ut 3. Reg. 3. ſcriptũ legimus: Sapientia Dei in eius corde, ad faciendum iudicium, erat.

Ambroſ. 2. Offic. cap. 8. Salomon ita popoſcit ſapientiã, ut daretur ſibi cor prudẽs audire & iudicare cum iuſtitia.

INTERPRETATIO.

HIc iudiciaria noſtri Salomonis poteſtas adumbratur, quam is modò occultè per Spiritum exercet, omnem carnem de peccato, & de iuſticia, & de iudicio arguens atque cõuincens, Iohan. 16. Quòd uerò ad eiuſdem manifeſtum, nouiſsimo exequendũ die, iudicium attinet, de eo Matt. 25. hæc & alia plura memoriæ ſunt prodita: Cum uenerit filius ille hominis in ſua gloria, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit in ſuæ gloriæ throno, coramq; eo congregabuntur omnes Gentes, isq; eos alios ab alijs ſeparabit, ut ſeparat Paſtor oues ab hœdis, ſtatuetq; oues (iuſtos) ad dexteram ſuam, hœdos autem (peccatores & immorigeros) ad ſiniſtram. Deinde dicet Rex eis, qui ad eius dexteram erunt: Venite benedicti Patris mei (cœleſtib. cumulati benedictionibus) poſsidete paratum uobis regnum à mundi conſtitutione (quia uos hæredes & ex gratia filij eſtis) Poſtea ijs qui ad eius ſiniſtram erunt, dicet: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, Diabolo eiusque Angelis paratum: Ita abibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti ue-

De Chriſti iudicio.

Chriſtus manifeſtè in gloria ueniet, & in gloriæ throno ceu glorioſus Rex ſedebit.

Epheſ. 1.

ſti uerò in uitam æternam. De hoc iudicio etiã 19. apud Matth. & 22. apud Lucam cap. DOMINVS ſuis Diſcipulis ita prædicit: Amen dico uobis, uos qui me (cõſtanter) ſecuti eſtis, in regeneratione (renouata mentis uita) quum (deinceps extremo die) Filius ille hominis (qui iam humilis apparet) in ſuæ gloriæ Throno ſedebit (glorioſus adueniens) ſedebitis uos quoque in duodecim thronis (unà cum eo glorioſè, ut ipſius regni atque gloriæ conſortes, uenietis) & iudicabitis duodecim iſtas Iſraelis tribus (quæ uobis credentibus credere noluerunt.)

Hylar. Apoſtoli ſecuti ſunt Chriſtũ in fidei ſanctificatione, hæc enim eſt regeneratio quam lex dare non potuit.

Chryſ. Per duodecim Thronos ineffabilẽ honorem atq; gloriam ſignificauit.

Throni eburnei myſteriũ.

Throni Eburnei myſteriũ Eucherius & Rabanus infraſcripto propemodum perſequuntur modo: Thronum Salomonis, in iudiciali conſtitutũ Porticu, & imperij in Eccleſia ſedẽ & æterni Iudicij poteſtatẽ, quam dominicus ille homo CHRISTVS IESVS à Patre accepit, præfigurare nõ eſt dubium. Benè autem thronus ex ebore factus, quia ut ebur candidiſsimus Elephantis eſt dens, quo is Draconis reſoluit nodos: ſic CHRISTVS Geneſ. 49. candidos habere dentes, & 1. Iohan. 3. ſpiritualis Draconis, Diaboli ſcilicet, opera diſſoluere dicitur. Aurum throno obductũ diuinę in CHRISTO gloriæ ſplendorem indicat. Sex gradus omnem Creaturam, ſex factam diebus, ſiue uiſibilis illa ſiue inuiſibilis exiſtat, CHRISTO à Patre ſubiectam eſſe typicè demonſtrãt. Quòd thronus poſteriore ſui parte rotundus erat, eo id intelligere poſſumus, ubi præſens mundus, qui per temporum uoluitur metas, in ſua extremitate à DOMINO iudicabitur, tum ſancti nunquam euoluenda potientur requie. Manus utrinq; poſitæ ſignant diuinę gratiæ ſolatia, quæ Eccleſiã ad cœleſte prouehũt regnũ: ideò duæ, quòd in utroq; prędicetur Teſtamento, nos nõ niſi diuino adiutorio ad bonũ aſpirare poſſe:

hinc illud Psal. 23. Tua uirga & baculus me consolabuntur. Et illud Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere. Per duos Leones duæ CHRISTI Naturæ adumbrantur: nam 5. Apoc. cap. CHRISTVS Leo de Iudæ tribu uocatur: Figurantur præterea utriusq; Testamenti Patres, qui secundum manus stant, quòd quicquid boni unquã fecerunt, non sibijpsis, sed DOMINO adscribunt, dicentes: Non nobis DOMINE non nobis, sed tuo nomini da gloriam. At uerò 12. Leunculi sanctos Apostolos deliniant, quibus à DOMINO est dictũ: Sedebitis in duodecim thronis, iudicantes duodecim tribus Israel.

Matt. 19.

Quid lis illa duarum Meretricum de oppresso per somninm alterius infante, coram Salomone, in sui Patris adhuc sedente throno, cõtendentium adumbrârit, licet superius lib. 2. cap. 8. breui strictimque sit dictum, tamen cum iam commodum in Hieronymi ad Ruffinum Epistolam, qua & cuncta fusius ex professo explicantur, & nostra antè posita stabiliri poterit interpretatiuncula, inciderim, eam quin huc, ad cõpendium collatam, asscriberem, intermittere nequiui. Interpretatio iudicij Salomonis, inquit ille, super iurgio duarum Mulierum meretricum, quantum ad simplicem Historiam pertinet, perspicua est: quòd puer annorum duodecim contra ætatis suæ mensuram de intimo humanæ naturæ iudicârit affectu. Vnde & admiratus est & pertimuit illum omnis Israel, quòd scilicet eum manifesta non fugerent, qui tam prudenter abscõdita deprehendisset. Quantum autem ad typicos pertinet intellectus, dicente Apostolo: Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem de nobis, in quos fines seculorum decurrerunt: quidam Græcorum autumant super Synagoga & Ecclesia sentiendum, & ad illud tempus cuncta referenda, quando post crucem & resurrectionem,

Litis duarũ meretricũ à Salomone dijudicatæ, explicatio.

Vide Ambr. 2. Offic. 8.

1. Cor. 10.

ctionem, tam in Israel quàm in Gentium populo uerus Salomon, id est pacificus, regnare cœperit. Quòd autẽ adulteræ & meretrices, Synagoga & Ecclesia dicantur in Scripturis, nulla dubitatio est, & hoc prima fronte ui detur esse blasphemũ: Cæterùm si recurramus ad Prophetas, Oseam scilicet, qui accepit uxorẽ fornicariam, *Oseæ 1.* & generat filios fornicationis, & deinde adulteram: & ad Ezechielem, qui Ierusalem quasi meretricẽ arguit, *Ezech. 16.* quòd secuta sit amatores suos, & diuaricauerit omni transeunti pedes, lupanarque in loco celebri extruxerit: animaduertemus CHRISTVM idcircò uenisse, ut meretrices donaret matrimonio, & de duobus gregib. *Iohan. 10.* unum ouile faceret, medioque pariete destructo, in eas- *Ephes. 2.* dem caulas oues prius morbidas congregaret. Hæ sunt duæ uirgæ, quæ iunguntur in Ezechiele, & de quibus *Ezech. 37.* per Zachariam DOMINVS refert: Et assumpsi mihi *Zach. 11.* duas uirgas, unam uocaui decorem, & alteram uocaui funiculos, & paui gregem. Mulier quoque illa Meretrix *Luc. 7.* in Euangelio, quæ pedes IESV lachrymis lauat, crine detergit, & cui peccata omnia dimittuntur, manifestè pingit Ecclesiam de Gentibus congregatam. Hæc idcircò in prima fronte replicaui, ne cui uideatur incongruum, si Synagoga & Ecclesia meretrices dicantur, quarum una, Salomonis iudicio, filij possessione donata est. Prudens quærat auditor, quomodo meretrix sit Ecclesia, quæ non habet maculam neque rugam? Non dici- *Ephes. 5.* mus Ecclesiam permansisse meretricẽ, sed fuisse: Nam & in Simonis leprosi domo Saluator scribitur inisse cõ- *Luc. 14.* uiuium: utique non quia leprosus erat eo tempore, quo habebat hospitem Saluatorẽ, sed quia leprosus antè fuerat. Matthæus quoque in catalogo Apostolorum publi- *Matt. 10.* canus dicitur: nõ qui permanserit publicanus post Apostolicam dignitatem, sed quia prius fuerit publicanus: ut ubi superabundauit peccatũ, superabundaret & gra- *Rom. 5.*

tia. Simulq; considera quid dicat Ecclesia contra Synagogam calumniatricem: Ego & mulier hæc habitamus in una Domo. Post resurrectioné enim DOMINI Saluatoris una de utroque populo Ecclesia congregata est, & quàm eleganter. Peperi, inquit, apud eam in cubiculo: Ecclesia enim de Gentibus, quæ non habebat prius Legem & Prophetas, peperit in domo Synagogæ, nec egressa est de cubiculo, sed ingressa: Vnde dicit in Cantico: Introduxit me Rex in cubiculũ suum. Tertia autem die, postquam ego peperi, peperit & hæc: Si consideras Centurionem ante patibulum confitentem, Verè hic erat filius Dei: Si eos qui ante pasionem per Philippum DOMINVM uidere desiderãt, haud ambiges primam peperisse Ecclesiam, & postea natum populum Iudæorum, pro quo DOMINVS precabatur: Pater, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt: Vnaque die credidêre tria milia, & alia die quinq; milia. Et eramus simul (multitudinis enim credentiũ erat cor unum & anima una) Nullusq; alius in Domo nobiscum, exceptis nobis duabus: non blasphemantiũ Iudæorum, non Gentiliũ idolis seruientium. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte: Dum enim Legis sequitur obseruantiam, & gratiæ Euangelij, iugum Mosaicæ doctrinæ copulat, tenebrarum errore cooperta est. Oppresitque eum mater sua dormiens: Quę non poterat dicere: Ego dormio, & cor meum uigilat. Media nocte cõsurgens, tulit filium de latere Ecclesiæ dormientis, & in suum collocauit sinum: Relege totam ad Galat. Apostoli Epistolã, & animaduertes quomodo filios Ecclesiæ suos facere Synagoga festinet, & dicat Apostolus: Filioli mei quos iterũ parturio, donec Christus formetur in uobis. Viuum tulit, non ut posideret, sed ut occideret: non enim amore fecit hoc filij, sed æmulæ odio, & suum mortuum per Legis ceremonias in sinũ Ecclesiæ supposuit. Longũ est si ue-

Ephes. 2.
Cant. 1.
Mar. 15.
Ioan. 12.
Actor. 2. 3.
Actor. 2. 3. 4.

ſi uelim ſingula percurrere, quomodo per Apoſtolum Paulum & Eccleſiaſticos Viros intellexit Eccleſia, non eſſe ſuum Filium, qui tenebatur in Lege, & in luce cognouerit, quem in tenebris non uidebat. Inde iurgium ortum eſt pręſente Rege, altera dicente: Filius tuus mortuus eſt, meus autem uiuit: altera reſpondente, Mentiris, filius quippè meus uiuit, & filius tuus mortuus eſt: atque in hunc modũ contendebant coram Rege. Tum Rex Salomon (qui manifeſtè Saluator accipitur) gladiũ poſtulat, de quo dixerat: Nolite putare quòd uenerim pacem mittere ſuper terram, non ueni pacem mittere, ſed gladium: Veni enim diuidere hominem contra Patrem ſuum, & filiam contra matrem ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. Et ſic tentat naturam naturæ DOMINVS, uultque ſecundum utriuſq; uoluntatem uiuentem filium in Legem Gratiamque diuidere: non quòd probet, ſed quòd ad arguendum calumniam Synagogæ, hoc uelle ſe dicat. Illa quæ nolebat Eccleſiæ filium in gratia uiuere, libenter habet diuidi filium, non ut poſsideat, ſed ut interficiat. Eccleſia quæ ſcit ſuum eſſe, libenter concedit æmulæ, dum uiuat ſaltem apud Aduerſariam, ne inter legem diuiſus & gratiam, Saluatoris mucrone feriatur. Vnde dicit Paulus: Ecce ego Paulus dico uobis, quòd ſi Legem obſeruatis, CHRISTVS uobis nihil prodeſt. Hæc ille.

Aug. Ser. 200. de Temp. Hęc autẽ licet luxurioſa, pia tamẽ & benigna erat, quæ clamabat ut puer integer ſeruaretur, Eccleſiæ Catholicæ typum gerebat. Alia autẽ quæ nõ ſolum luxurioſa, ſed etiã crudelis & impia, clamabat ad Regem, ut diuidi iuberet infantem, Synagogã & hæreſin deſignat, quæ Chriſtum, Dei filium, ſemper diuidere, & ei æqualitatem cum Patre detrahere conatur.

CAP. XII.

ביה לבת פרעה·

Οἶκος τῇ θυγατρὶ φαραώ.

Domus filiæ Pharaonis.

Regalem Salomon Reginæ condidit Aulam,
Hacque illam ſecum degere parte monet:
Cœleſtis Salomon nos cœli ducat in aulam,
Noſtraque corda pio iungat amore ſibi.

HISTORIA.


D columnatæ Porticus rationem Salomon etiam aliam fecit Domum, pro Pharaonis filia, ſua uxore, hucque eam omnibus abſolutis rebus ex Dauidica traduxit Vrbe: negans ſe commiſſurum, ut mulier in Dauidis Iſraelitarum Regis domo habitaret, quoniam ea Domus ſanctificata ſit, quippè ad quam DOMINI Arca ueniſſet. 3. Reg. 7. & 9. 2. Paral. 8. Ioſeph. Antiq. 8. cap. 2.

INTERPRETATIO.

PHaraonis filia, quam Salomon, licet alienigena foret, in matrimonium ductam præ omnibus ſuis adamauit uxoribus, Eccleſiam ex Gentibus deſignat, quæ cum primò à promiſsionis Teſtamentis extranea, Deique expers in mundo ſub ſpirituali uerſaretur Pharaone, ad eius uiuens arbitrium: ſumma Dei miſericordia propinqua eſt facta, ueroque Salomoni CHRISTO IESV in ſupernam adducta Sionem, qui eam ſibijpſi fide deſponſauit, inque myſticam iam ante paratam deduxit Domum, ut ibi in Spiritu ſecum exultaret, & de ſterili multorũ filiorum efficeretur mater,

de quo

de quo est legere Ephe.2.1. Cor.11. Oseę 2. Cant.1. Psal.113. & nominatim Cant.4.6. his uerbis: Mecum de Libano sponsa, mecũ de Libano ueni. (Cum sint) sexaginta Reginæ, & octoginta concubinæ, & innumeræ uirgines, (hæc) una mea columba, mea perfecta. Hoc uerò dictum Tertullianus alicubi citans, ita explanat: Sponsam CHRISTVS sibi etiam per Salomonem ex uocatione Gentiũ arcessit: Veni, inquiens, Sponsa de Libano, &c. De idololatria enim sibi despõsabat Ecclesiam. De hac ex Gentibus coacta Ecclesia etiam Psalmus 45. eiusmodi canit modo: Audi filia & uide, inclina tuam aurem, & tuum populum, patriamq́ue obliuiscare Domũ, tum tuam pulchritudinem cõcupiscet Rex: is enim tuus est DOMINVS, quem adorabis. (Regina) adducetur Regi in uestibus Phrygijs, eamq; uirgines eius sodales sequentur, & in Regis Templum (seu Palatium) adducentur. Pro tuis parentibus (Regina) erunt tibi liberi. Vbi Hieronymus: Propheta Ecclesiæ loquitur, quæ Regina dicitur, quia regit sua uitia: Filia, quia à DOMINO renata: Sponsa autem quòd ipsi sociata. Hanc iubet obliuisci patriam Domum, id est, Diaboli prioris sui Patris consortium, cunctaq́ue uitia: & ad CHRISTVM uenire, eumq́ue cordis audire auribus, & relictis simulachris pro suo DOMINO excolere, sic adducendam in ipsius palatiũ, & gloriæ corporis ipsius conformem futuram esse.

Isidor. Hęc Regina uenturam Ecclesiam de Gentibus desiderãtem Christum figurabat: quæ circumamicta uarietate & populi sui & paternæ Domus oblita currebat, barbara gente, non animo, in aperto peregrina, in occulto sanctorum fieri cõciuis optans.

CAP. XIII.

VBERIOR, DE NOMINE, STRVCTVRA ET GLORIA SVPRAdictarum Basilicarum, historica narratio.

Nomina regiorũ ædificiorũ.



EGIA illa ædificia, de quibus proximis tribus est dictũ capitib. 3. Reg. 7. 10. 2. Par. 9. & apud Ioseph. Antiq. 8. cap. 2. nemus, sylua aut saltus Libani. Esa. 22. Domus Saltus. Cant. 4. simpliciter Libanus. 3. Reg. 14. 4. Reg. 11. 2. Par. 9. & alijs præterea multis locis Domus Regis, A Chaldæo autẽ Paraphraste Domus refrigerij, aduersus æstum conditæ, nominantur.

Structura & dispositio.

Atque ea ædificia omnia in fundamento habuere preciosa ingentiaq; saxa, partim denos cubitos, partim octonos patentia: superstructi autem lapides, usque ad mutulos, minores quidẽ existebant: sed tamen rari omnes & ad regulam dolati serraque desecti, quorum politura tum intus tum foris apparebat. Hisque porrò impositæ cedrinæ columnæ & transtra, quæ desuper fabricata sustinebant tabulata,

Aulæ.

Aulę inibi, tàm maiores quàm mediocres, tum quę sub terra latebant, quæue in aerem elegantissimè attollebantur, quò se peractis Reipub. serijs negotijs, animi causa conferre sunt soliti, tribus ordinibus aulæis Babylonicis prætexebantur, quarto uerò sculptorum admirabile artificium ostentabant, in quo effictæ erant uariæ arborum ac plantarum species, frondibus & folijs tanta subtilitate expressis, ut agitari quodammodo uiderentur. Reliquum uerò, quod supererat usque ad lacunar, opere albario tectum, & discoloribus picturis erat uariegatum.

Præ-

Præter aulas erant & alia cubicula, ad uoluptatem facta: & porticus ad ornatum Regiæ longiſsimę, in quibus ſplendidiſsima conſpiciebantur triclinia, ad omne Regij conuiuij miniſterium inſtructiſsima. *Cubicula. Triclinia.*

Omnis ſupellex, cuius illic uſus erat, ex ſolido conſtabat auro: ſed & uaſa potoria partim ex puriſsimo auro, partim è lapidibus precioſis, ſingulari omnia arte fabrefacta: Nam argentum quidem Salomonis tempore nullius habebatur precij. *Supellex. Vaſa potoria.*

Fecit præterea Rex ducenta ſcuta ex auro ductili, inſumptis in ſingula ſexcentis auri ſiclis: trecentosque clypeos etiam ex auro ductili, in quos ſingulos trinæ auri minæ impenſæ ſunt, atque hæc quoque in Libaneæ Domus aulis reponebat. *Scuta. Clypei.*

Difficile eſt horum Regiorum ædificiorum amplitudinem, diuitias & delitias enumerare: ad ſummam, omnia è candido marmore, & cedro, & auro atque argento radiabant, diſpoſitis per parietes & laquearia uarijs lapillis auro incluſis, quemadmodum & in ornatu Templi factum fuerat. *Ornatus.*

Quæ ut Sabæ Regina uidit, elegantemq; omnium rerum ordinẽ & Regis in hoc loco menſæ uictum, potionesq; & eius adminiſtrorum ſtatum atq; ueſtitum, nec non ſacrificia, quę in Domo DOMINI fiebant, contemplata eſt, tum felicitatẽ tum regis atque Regiorum prudentiã admirari ſatis non poterat. 3.Reg.10. 2.Par.9. Ioſeph. Antiq.8.cap.2. *Regina Sabæ.*

INTERPRETATIO.

SAltus ille Libani ſanctam deſignauit Eccleſiam, precioſo Prophetarũ atque Apoſtolorum fundamento *Saltus Libani myſterium.*

Raban Sylua Libani Ecclesiã significat, quę de fastu superbiæ abscissa in fabricam Dei Domus aptatur, de qua alibi dictum est: Inuenimus eam in syluæ campis.

impositam, uiuisque constructam lapidibus, & politis Christianorum athletarum effultam columnis: Quæ 3. in Cantic. cap. his deliniatur uerbis: Quæ est ista quæ ascendit è deserto, quasi quædam fumi columnæ, ceu suffitus myrrhæ & thuris. Aedificium sibi fecit Rex Salomon ex Libani lignis, cuius columnas fecit argenteas, stratum aureum, ascensum (seu uehiculum) purpureũ, media eius parte instrata amore, propter Ierosolymitanas filias. Vbi Glossa: Ecclesia è deserto dicitur ascendere, quòd à mundi illecebris alienata, superna quęrat, ubi suus Sponsus CHRISTVS est, ad dexteram Dei sedens. Fumi columna uocatur, quòd uelut fumus, ex igne natus, alta petens, paulatim se humano subtrahit aspectui: Sic illa sancti Spiritus igne ad amorem Dei succensa, nõ desinit ascendere, donec à terrenis prorsus abstracta, ad cœli inuisibilia rapiatur. Myrrho & thuri assimilatur, quia carnis concupiscentias quotidiè crucifigit, orationumque suffimen (clamante in ipsa Spiritu: Abba Pater) Deo accendit. Eius columnę, quales Iacobus, Petrus & Iohannes fuêre, diuini Verbi claritate sunt instructę. Eius ascensus seu uehiculũ CHRISTVS est, per quem & in Ecclesiã & in cœlũ intratur: Qui purpureus dicitur, quoniam suo sanguine nos lauit. Caritas autẽ quæ non excidit, effusa est in eius medium, propter filias Ierosolymitanas, id est, renatas animas.

Col. 3. Galat. 3. Heb. 13. Rom. 8. Galat. 2. Ephes. 5. Apoc. 1. 1. Cor. 13. Rom. 8.

Ligna Cedrina

Ligna Cedrina, ex quibus Libanea Domus ut plurimum constructa fuit, Electos Dei præfigurârunt: qui Psalmo 80. Cedri Dei, & 96. Syluæ Arbores, in sui DOMINI conspectu exultantes, nuncupantur.

Conuiuia in Libanensi nemore.

Salomonis conuiuia in hac celebrata Basilica, eum cœlestis mensæ apparatũ designârunt, quem idem Salomon Prouerb. 9. huiusmodi describit uerbis: Sapientia Domũ suam ædificauit, excidit septem eius columnas,

nas, uictimã suam immolauit, uinum miscuit, & mensam suam instruxit. Misit ancillas suas, uocauit ad alta Ciuitatis ædificia. Qui paruulus est huc diuertat, & deficientibus corde locuta est: Venite, comedite meũ panem, & bibite uinum quod uobis miscui. Derelinquite stulticiã & uiuite, & in scientiæ uia ambulate. Vbi Hieronymus: Sapientiæ Domus, præter ipsius assumptum hominem, Ecclesia est, ex uiuis lapidibus in Dei tabernaculum cõstructa, Columnæ Doctores sunt septiformi Spiritu pleni. Victimæ sunt CHRISTI passiones, quibus is suam Ecclesiam cõsecrauit. Per Ancillas euocaturas homines ad alta ædificia, intelligimus Prædicatores, qui fideles populos ad superna patriæ cœlestis ædificia uocare debebant. Paruulos quos iubet uenire, humiles putat: Insipientes uerò eos qui de mundanæ sapientiæ fastu nil habent. Tales autem uocat, ut eos sua doctrina sapientes reddat & altos. In pane apposito corporis CHRISTI, in uino mixto sanguins sacrosancti mysteriũ, quo fideles in eius mensa satiantur, ostenditur. Et Origenes: Iustis Sapientia, qui est CHRISTVS, præparat mensam suam, occidit uictimas suas, miscuit in cratere uinum suum, & summa uoce clamat, non ut omnes sine discrimine ueniant, non ut abundantes, non ut diuites, neque ut sapientes huius *Luc. 6.* mundi diuertant ad se: sed si qui sunt, ait, paruuli & *1. Cor. 1.* corde deficientes, ad me ueniant, id est, qui sunt hu- *Psal. 51.* miles & contrito corde, pauperes spiritu, sed fide di- *Matt. 5.* uites. Isti conueniunt ad epulas sapientiæ, & dapibus *Amos 4.* eius refecti, depellunt famem quæ super terram inualuit.

Vasa potoria aurea Regijs adhibita conuiuijs san- *Vasa potoria aurea.* ctorum Apostolorũ exhibuerunt figuram, qui Christi nomen per mundum in sanctificatis suorũ cordiũ uasis

gestantes, diuinæque sapientiæ auro insigniti, uitalem continebant potum, qui in ipsis fons factus, in uitam æternam scaturiebat. 2. Corinth. 4. 1. Thessal. 4. Actor. 9, Iohan. 4.

Scuta. Clypei.

Quid scuta & clypij aurei à Salomone facti, repræsentârint, ex sequentibus liquet testimonijs: Prouer. 30. Sermo Dei est (uelut in igne) exploratus clypeus omnibus qui in eum sperant. Vbi Hieronymus: Hoc & tota CHRISTI Ecclesia nouit, & illi maximè sentiunt, qui Deo secũ morante, terrenæ sapientiæ fastum contemnunt: quòd nimirum diuinus ille Sermo (qui est CHRISTVS) corda electorum & igne caritatis accendit, & scientia ueritatis illustrat, & uitiorum sordes, si quas in eis inuenerit, consumit: & ab hostium insidijs sperantes in se, cunctisque defendit aduersis. Sexto autẽ ad Ephesios cap. Apostolus etiam fidem, ex diuini Sermonis auditu natam, clypeum nominat: Super omnia, inquiens, assumite clypeum fidei, quo omnia Mali istius ignea tela extinguere possitis. Vbi idem Hieronymus: In omnibus cettaminibus fide muniamur: Quia sicut scutum ipsorum quoque armorum defensio est, & sine hoc omnis armatus inermis est: ita & omnes uirtutes sine fide saluare non possunt: Nam sicut scutum omnia iniecta repellit & recutit, ita & fides omnes Diaboli persuasiones extinguit, quamuis quasi lumen rationis habere uideantur.

Regina Sabæ, quam Christus Austri Reginã, alij Nicaulam nomine uocant.

De Regina Sabæ Origenes in Cantica, & Eucherius in 3. Regum, hanc afferunt explicationem: Sabæ illa Regina Ecclesiam ex Gentibus designat: ea uidit ueri Salomonis & ueri pacifici DOMINI nostri IESV CHRISTI prudentiam, cum post carnalia Gentilium instituta, post humanam & animalem Philosophorum sapientiam acciperet salutis & uitæ intellectum, spirituali-

tualiumque bonorum inſpiceret mirabilia, & Virum ſuum potentiſsimum cœli atque terræ fabricatorem eſſe agnoſceret. De cuius ſapientia dicitur: Omnia in menſura, & numero & pondere conſtituiſti. Vidit & Domum quam is ædificauit, id eſt, hominem quem ſapientia ſibiÿpſi aſſumpſit, ut in eo tota diuinitatis plenitudo corporaliter habitaret. Vidit & cibos Salomonis, illos uidelicet de quibus idem dixerat: Meus cibus eſt ut faciam uoluntatem Patris mei. Cibus CHRISTI eſt noſtra ſalus, reficitur cœleſtibus epulis, profectu nempè noſtro. Cibus eius ſumus, dum acquiſiti ab Eccleſia in eius membra corpusque tranſimus, ut ibi cœli manducemus panem. Vidit quoque eius puerorum ſedem, Eccleſiaſticum nempè ordinem, qui in Epiſcopatus & Presbyterij ſedibus habetur. Vidit inſuper eius miniſtrorum ordinationem, Diaconorum, ut puto, ordinem memorat, diuino aſtantium miniſterio. Sed & ueſtes uidit, eas arbitror, quibus induuntur ij, ad quos Paulus ita ſcribit: Quicunque in CHRISTO baptizati eſtis, CHRISTVM induiſtis. Sed & uini fuſores exiſtimo dici Doctores, qui Verbum Dei & doctrinam quaſi uinum populis miſcent, ſingulis ſuam proponentes menſuram. Vidit & holocauſta orationum ſine dubio ſupplicationumque myſteria.

Iohan. 4.

Galat. 3.

Matt. 24.

CAP. XIIII.

DE DIMINVTIONE, COMPILATIONE, DEVASTATIONE ET INTERITU Libaneæ Domus, historia, unà cum admixtis sparsim interpretatiunculis.



REgiam illam Libaneã subsequentes Salomonis posteri diu tenuere, sed ut plerunq; Principum filij noxæ, & aliàs homines fortuna blandiente solent corrumpi, idem quoq; Salomonis accidit hæredibus: Roboamus enim eius & filius & regni successor, uidens tum imperij sui incremẽta, tum omnium rerum sibi à Parente relictam abundantiam, ad iniustas impiasque actiones deflexit, factus ueræ religionis contemptor: usque adeò, ut etiam populum in sui imitationẽ pertraheret: Quandoquidem ea humanarum rerum peruersa est natura, ut cum Principum ac Magistratuum moribus etiam subditi deprauentur, quorum modestia, ceu norma, corrigi debebant, & pro uirtutibus eorum uitia sequantur: alioquin nisi eadem quæ Reges faciant, improbare facta illorum uidentur: Sicut sub Roboamo contigit, populo leges ac pietatem egregiè contemnente, ne iustitiæ studijs suum Regem offenderent. Hanc contumeliam DOMINVS per Sesacum Aegyptiorũ Regem ultus est, qui anno Roboami regni quinto numerosissimum contra illum exercitum duxit, & facta in Vrbem expeditione incolas in grauem misit seruitutem, ipsosque tum Templi tum Libaneæ Domus thesauros sustulit, exportata innumera auri atque argenti multitudine, ac ne scrupulo quidem relicto. Detraxit etiam aurea scuta & clypeos à Salomone factos: pro quibus Roboamus post eius discessum

Roboamus Rex.

Hier. Seductis magistratib. subditi populi maiorum exemplo pereũt, Cæco cæcum ducente ambo cadunt in foueam, id est, in damnationem.

æneos

aeneos fecit clypeos, & Principibus stipatorum, ad Regiae uestibulum custodias agentibus, cõmisit: quos quidem clypeos stipatores Rege Templũ ingresso, captum ueniebant, & in Regiã regresso, in cellam, Stipatoriam nomine, referebant. 3. Reg. 14. 2. Par. 12. Ioseph. Antiquit. lib. 8. cap. 3. 4. Si moralẽ huius historiae sensum requiris, in promptu est explicatio: Roboamum per suam improbitatem ea turpiter amisisse, quibus per probitatẽ rectè uti frui nolebat, ut sic accepto malo disceret, non solum ueri Regis esse DOMINVM timere, subiectoq; populo uenerabile morum praebere exemplum: sed & aliam Regiam quam Libaneam illam Domum sibi repetendã, aliasq; diuitias filijs Dei quęrendas, quàm quas Salomon suus Pater in typo cõgesserit, ut quoque alius Salomon expectandus, nimirum coelestis ille, cum coelestis regni diuitijs, CHRISTVS IESVS, Deus per omnia benedictus, Amen. At remoto mystico uelo, per Sisacum Aegypti Regem nos huius mundi Principẽ, antiquum illum Serpentem, hoc est Diabolum, intelligere possumus: Sisacus enim dicitur byssus cilicij: At cum byssus aliàs subtilitatẽ notet, cilicium uerò quòd ex hircorum seu capellarum pilis fit peccatum, in cilicij bysso Diabolicae fraudis, ad persuadendum peccatum, uersutiam contemplari licet: de qua quidem uersutia 12. in Apoc. cap. sic dicitur: Sathanas totum terrarum orbem seducit. Et 1. Pet. 5. Diabolus ut Leo rugiens circuit, quęrens quem deuoret. Item Ephes. 2. Vos quidem mortui fuistis in peccatis, in quibus aliquando ambulastis iuxta principis aereae potestatis arbitriũ, uidelicet spiritus qui in infidelibus operatur filijs. Sisacus Aegypti Rex Iudęis à Deo praescriptam negligentibus legem immissus est, qui Vrbe capta incolas in suã adduxit seruitutẽ. De Diaboli instrumento, filio illo peccati, 2. Thess. 2. sic dicitur: Scelerati hominis aduentus, est iuxta Sathanę operatio-

Aenei pro aureis clypeis reficiuntur.

Rom. 9.

Sisaci Aegypti Regis mysterium.

nem cum omni potẽtia, & ſignis mendacibusq́; prodigijs, cumq́; omni iniuſtitię ſeductione in ijs qui pereunt, pro eo quòd ueritatis dilectionẽ, ut ſalui fierent, non receperint: Propterea mittet eis Deus efficatiam erroris (tantam) ut credant mendatio. Siſacus aureos Libaneæ Domus clypeos ſuſtulit: De Sathana quomodo is Verbi diuini clypeum, per aureos iſtos adumbratum, auferat, DOMINVS parabola de Seminatore, Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8. his uerbis indicat: Sermo Dei eſt ſemen: qui iuxta uiam ſati, ij ſunt qui audiunt Sermonem, & non intelligunt, deinde uenit Diabolus, ac Sermonẽ ex eorũ corde aufert, ne credant & ſalui fiant. Iam quod ad Roboamũ attinet, is Pſeudoprophetas ſeu falſos Eccleſiæ Pręſides adumbrauit: Roboamus enim dicitur latitudo populi: falſi aũt Prophetæ, ut populũ in latam illam uiam ad exitium ducentem transferant, pacemq́; cum nõ ſit pax denuncient, & puluinulos ad omniũ manuũ axillas ceruicaliaq́; ad aucupandas animas conſuant, Ezech. 13. cap. exprimit: Roboamus & ipſe à DOMINI lege defecit, & populũ ſuo exemplo deficere fecit. De Pſeudoprophetis Ierem. 2. dicitur: Nõ dixerunt Sacerdotes ubi eſt DOMINVS, & legẽ tenentes (hoc eſt legis profeſſores) neſciuere me, & paſtores in me ſunt pręuaricati, & Prophetæ per Baalẽ prophetârunt, ſecuti ea quæ nihil profuerunt. Et 23. Prophetę ſeductiones cordis ſui prophetantes, uolunt meum populũ ſuis ſomnijs eò adducere, ut mei nominis obliuiſcatur. Et 50. Meus populus à ſuis paſtorib. ſeductus eſt. Roboamus pro aureis clypeis parem æneorum numerum refecit: ſic falſi Prophetę pro Verbo Dei ſuum ſubſtituunt uerbũ, quod quia ipſi caritate non ſunt præditi, nihil eſt aliud quàm æs reſonans, licet & hominũ & Angelorũ loquãtur linguis, 1. Cor. 13. De his uerò Dominus 23. apud Ierem. cap. ſic loquitur: Qui ſermonẽ meũ habet, ſermonẽ meũ uerè loquatur,

Quid

Aurei clypei.

Roboamus.

Matt. 5.

Hier. Pacem denunciant, & puluinulos cõſuunt, qui ꝓ rigore pœnitentiæ & conuerſionis proſpera ac quæ ad uoluptatem faciunt nunciant.

Aenei clypij.

Lyra: Per Roboã qui ꝓ aureis ſcutis fecit ænea, ſignantur Theologi q dimiſſa Theologica ueritate ſtudent Philoſophiæ & Logicalibus.

Quid paleæ ad triticum? Nónne sic est Sermo meus ut ignis,&quasi petram conterens malleus? Ego(animaduertã)in Prophetas meũ populũ mendacio seducentes, quos cum ego non miserim, nihil huic populo profuerunt(Vos falsi Prophetę) DOMINI Sebaoth uerba inuertistis.

Cum Iehoiacimus Rex aliquando in Libaneæ domus tepidario ad focum sederet,&ei Ieremię liber,eius ipsius,Vrbisq; & Regiæ captiuitatẽ denuncians,prælegeretur,iratus librũ conscidit,&iniectum in ignem exussit. Tum Ieremias huiusmodi ex diuino mandato aduersus eum est usus uerbis: Tu uolumẽ istud cõbussisti, propterea sic dicit DOMINVS de Iehoiacimo:Eius cadauer ad æstũ proijcietur,& ego in eum ac Iudæos omne malum adducam,quòd minanti mihi non auscultârunt. Væ illi qui domũ suã in iniustitia ædificat, dicens: Aedificabo mihi domum latam, & spaciosa cœnacula, & fenestras sibi aperit, tabulataq; cedrina facit, & ea sinopide pingit. Túne ergo regnabis quià cedrino te immisces ædificio? Sic dicit DOMINVS in Iehoiacimũ: Asini sepultura sepelieris,proiectus extra portas Ierosolymæ(Iam quidem)habitas in Libano,&nidus tuus est de cedris: dolores tibi uenient,qualis parturientis est dolor, & in isto Saltu ego ignem incendam, qui omnia in eius circuitu deuorabit,dicit DOMINVS, Ierem.21.22. 36.4.Reg.24.Ioseph.Antiq.10.cap.7.8.Vbi Hieron.Audiat hoc & nostræ Vrbis Domus regia,& cedri quæ eleuant usq; ad nubes uerticem suum, quòd citò flamma DOMINI consumentur, si noluerint illius præceptis acquiescere: Quicquid enim ad Domũ Regiam, & ad Vrbem & ad Regẽ hìc prophetatur, nos referemus ad Ecclesiasticum ordinem,&ad Principes Ecclesiarũ,eos duntaxat, qui se superbiæ & diuitijs lasciuiæq; tradiderint: Nec statim quia Domus Regia est ab interitu libe-

Iehoiacimus.

Augu.Epist.171 Rex Ieremiæ librũ comburens, morte publica à Deo uindicatur.

rabitur: quomodo & qui de ſtirpe fuere Dauid pauci admodũ ſunt inuenti, qui placuerũt DOMINO ut ipſe Dauid, Ezechias & Ioſias: magnaq́; pars Principũ & ſtirpis regię in uniuerſum populũ irã Domini prouocauit.

Ieremias Regis & Regiæ denunciat interitum.

Regnante Sedecia, Iehoiacimi ſucceſſore, Ieremias nemorenſis Libani Domũ ingreſſus, ibi Regẽ, omnesq́; Regios his allocutus eſt uerbis: Sic mihi dixit Dominus: Deſcende in domum Regis Iudæ, & illic ita dicas: Audi DOMINI Verbum, Iudęæ Rex, qui in Dauidis throno ſedes, tu tuiq́; ſerui & populus tuus, qui per has ingrediuntur portas, ſic dicit DOMINVS: Facite iudicium & iuſtitiã, & ui oppreſſum à calumniatoris manu liberate, néue peregrinũ, pupillum & uiduã premite, neq; iniuriam facite, & inſontem ſanguinem ne effundite in iſto loco: Nam ſi hoc Verbũ feceritis, ingredientur per iſtius domus portas Reges, qui in Dauidis throno pro ipſo ſedent, currus & equos aſcendẽtes, unà cum ſuis ſeruis & populo: Sin hæc uerba nõ audieritis, per meipſum iuro, dicit DOMINVS: Domus iſta in ſolitudinẽ redigetur: Sic enim dicit DOMINVS in Domũ Regis Iudęæ: Gileade Libani caput, ego te redigam in ſolitudinẽ, & aduerſum te præparabo deuaſtatores, qui electas Cedros tuas excindant, & in ignem cõijciant: & interrogantib. Gentibus, quare ſic fecit huic Vrbi DOMINVS? dicetur: Propterea quòd illi dereliquerunt DOMINI Dei ſui pactum, & dijs alienis ſeruierunt, &c. Ierem. 22. Vbi Hieron. Quicquid Regiæ Domui dictũ eſt, intelligant Epiſcopi, ſocijq́; eorũ, Presbyteri atq; Diaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus, quòd ſi fecerint quæ pręcepta ſunt, & inter cætera innocentẽ ſanguinẽ nõ fuderint, ſcandalizantes minimos quoſq; & percutiẽtes cõſcientias ſingulorũ, obtinebunt traditã ſibi à Domino dignitatẽ: ſin aũt facere noluerint atq; contẽpſerint, ipſi redigẽt Eccleſiã Dei in ſolitudinẽ. Ingrediuntur aũt de genere Dauid

Veri Prophetæ aſſentari neſciunt, & improbis ſemper niſi conuertantur, dura dicũt

per por-

per portas Ierusalem,& sedent super thronum eius,qui interpretatur fortis manu,& ascēdunt currus & equos: quando refrenant & suas & populi perturbationes, & composito in Ecclesia ingrediuntur gradu,multarumque uirtutum,sibi ex omni parte concinnentium,choro ornati sunt.

Ieremias in Regiæ carcerem concluditur.

Nominatus dudum Sedecias,obsidentibus iam Vrbem Babylonijs,Ieremiam in atrium Carceris,qui erat in hac Regia Basilica, conclusit, quoniam uaticinatus esset in hunc modum:Sic dicit DOMINVS: Ego Ciuitatem istam in Regis Babylonis manum tradam,qui capiet eam,nec effugiet Sedecias Chaldæorum manum, Ierem.32. Vbi Hieronymus: Non solum uerba,sed & opera Prophetarū nobis exemplo sunt ad uirtutem: Poterat Ieremias prospera nunciare,&Regis Sedeciæ frui amicitia, sed malebat Deo magis obedire quàm hominibus: & ei qui potest & animam & corpus perdere in gehennam, quàm illi qui tantum in corpus habere poterat potestatem.

Præconij ueritatis prǣmium uincula sunt & neces:nam obsequium amicos, ueritas odium periculumq; parit.

Vide Cyrilli Apologiam.
Actor.3.
Matth.5.

Ieremias deditionem Vrbis suadet.

Ieremias in Carcerem coniectus, cùm Babylonij adhuc Vrbem obsiderent,nō quiescebat, sed & inde ad omnem populum clamabat,dicens: Sic inquit DOMINVS: Tradetur hæc Ciuitas in exercitus Regis Babyloniæ manum,quicunque autem in ea manserit,morietur: qui uerò ad Chaldæos profugerit,uiuet. His auditis populi Principes Regem adeuntes, eum sic allocuti sunt:Moriatur quæsumus iste Vir, qui militum manus emollit,nec pacem populo quærit,sed malum. Quibus Rex Sedecias dixit: Ecce in uestris est manibus, nec enim fas est Regem pro hoc tempore quicquam uobis negare. Tum illi Ieremiam exemptum è carcere,per funes in lacum (qui erat in eiusdem carceris atrio sub Regia, aqua quidem carens, sed cœnosus) demiserunt,ut

Ieremias in lacum cōijcitur.

illic præfocatus moreretur: ille uerò uſque collum demerſus in cœnum, ibi manebat. Sed Abdemelechus homo Aetiops, Eunuchus, qui erat in Regia, ubi Ieremiam audiuit in lacum eſſe coniectum, egreditur ad Regem in porta Beniamitica ſedentem, & ei ſic dicit: Domine Rex, omninò male fecerunt homines iſti, quòd Prophetam in lacum coniecerint, & grauiorem quàm quæ in uinculis erat expectanda mortem homini excogitauerint. Tum Rex pœnitentia prioris conſilij, quòd Principibus Prophetam in poteſtatem tradiderat, præcepit Abdemelecho, ut aſſumptis triginta ex ijs, qui aderant uiris, Prophetam quantum poſsit properè è lacu extraheret, priuſquam moreretur. Itaq; Abdemelechus adhibitis, quemadmodum iuſſus erat, uiris, iuit in Regiam ſub cellam, & ſumptos indè laceros obſoletóſque pannos, funibus ad Ieremiam in lacum demiſit, monuitq́; ut eos ſubter axillas ſuas funibus ſupponeret: quod cum feciſſet Ieremias, illi eum funibus extrahentes ſubduxerunt è lacu, Atq; ita Ieremias in atrio Carceris ad eum uſque diem, quo Vrbs à Babylonijs eſt expugnata, manſit, ubi eum DOMINVS his eſt allocutus uerbis: Dic Abdemelecho Aetiopi, Hæc inquit DOMINVS, Ecce ego importabo Vrbi iſti quæ prædixi mala, non bona, ſed te tum liberabo, nec in uirorũ manus traderis, quos formidas: quoniã in me credidiſti, inquit DOMINVS, Ierem. 32.33.38.39. Lament. 3. Ioſephus Antiq. 10. cap. 10. Hanc hiſtoriam Origenes 2. in Cant. Homilia adducit, & ea, quam ſubſcribam, allegoria illuſtrat: Supereſt ut illud de Ieremia teſtimonium explicetur, ubi Abdimelech nihilominus Aetiops, uir Eunuchus, cum audiſſet Ieremiam in lacum miſſum eſſe à populi Principibus, educit eum inde: Et puto non uideri inconueniens, ſi dicamus uerum Ieremiã, quem Principes Iſrael condemnauerunt, & in mortis lacum miſerunt, iſte alienigena & ob-

Abdemelechus Aetiops.

Ieremiã Abdemelechus è lacu extrahit.

Raban. Iſte Aetiops Eunuchus, qui timore & amore Dei compunctus, ſtuduit Prophetã eripere, ſignificat ſanctos prædicatores è Gentibus, quos Euangeliũ dicit ſemetipſos caſtraſſe propter cœlorum regnũ, qui uerè caritatis inſtinctu iniquè oppreſſos ſtudẽt uerbo & exemplo de fouea perditionis eruere.

& obſcuræ gentis homo & degeneris, id eſt, Gentium populus educit de lacu mortis: reſurrectionem ſcilicet eius à mortuis credens, & fide ſua hunc quẽ illi in mortem tradiderant, iſte ſpirituali modo de infernis reuocat ac reducit. Sed & Eunuchus hic Aetiops eſſe dicitur: credo quòd Gentiũ populus ſemetipſum propter Dei regnũ caſtrauerit: uel etiam quòd malitię ſemen à conuerſione in ſe non habebat: Seruus quoq; Regis eſt, quia ſeruus ſapiens imperat ſtultis Dominis. Interpretatur autem Abdemelech, ſeruus Regum, & ideò DOMINVS relinquens populũ Iſrael ob eius peccata, ad Aetiopem, hoc eſt, Gentilem populum, uerba dirigit, & ad ipſum mittit Prophetam, dicens: Ecce ego adduco uerba mea ſuper iſtam Ciuitatem, & in illa die te ſaluabo. Salutis autem cauſa hæc eſt ei, quia eduxit Prophetam de lacu, id eſt, quòd Gentes fide ſua qua CHRISTVM à mortuis reſurrexiſſe credunt, eum quaſi ex lacu eduxiſſe uidentur.

Anno regni Sedeciæ II. quarti menſis die nona Babylonij capta atque depopulata Vrbe, Libaneam quoq; domũ deprædârunt igniq; incenderunt, Ieremia è carcere dimiſſo, Rege aũt, reliquisq; Principibus & ciuibus in captiuitatẽ abductis, grauiq; aſtrictis ſeruitio. 4. Reg. 25. 2. Paral. 35. Ierem. 39. 52. Ioſephus Antiquit. 10. cap. 11. Hic uidere eſt, auctore Rabano, quàm iuſtus DOMINVS, & rectum eius ſit iudicium, qui ſingulis pro eorum operibus rependit: Per ſui ſcilicet flagelli miniſtros eos qui captiuos abegerant in captiuitatem abducens, & propter ueritatis profeſsionem captos uindicans: Id quod in Sedecia, populique Principibus & Ieremia manifeſto declaratur exemplo. Si uerò myſticam huius loci requiris explicationem, eam Beda, Eucherius, & modò adductus Rabanus, infrà poſito

Vrbis & Regiæ deuaſtatio

Apoc. 19.

Apoc. 13.

persequuntur modo: Ierosolyma Ciuitatem CHRISTI, id est, sanctam Ecclesiam, Babylonij autẽ & Chaldæi omnem Diaboli Ciuitatẽ, id est, omnem malignorum spirituum siue hominum siue Angelorum multitudinem designant. Ierosolymæ ciues à Babylonijs in seruitutẽ addicuntur, cum fideles nomine tenus in Ecclesia consistentes, re autem ipsa ab immundis uel spiritibus uel hominibus decepti, aut auaritiæ, aut luxuriæ aut alteri cuilibet peccato mentis colla submittunt: Abducit autem Nebuchadnesar Regem Ierosolymę, cunctosque Principes & fortes exercitus Babylonem, cum & populorum Magistri, & ij qui inuicto animo DOMINO seruire, eiusq; legem, Dei & proximi amore summatim cõprehensam, accuratè uidebantur conseruare: subitò uel mundi illecebris uel aduersitatibus subacti, maioribus polluuntur facinoribus, aut certè in hæresin declinando manifestæ apostasiæ notam incidunt. Domus Regis compilatur & comburitur, cum spiritualis Nebuchadnesar assumptis septem Spiritibus peioribus se uenit in Domum, quam prius uersam ornatamque coactus est relinquere, & eam omnium carnalium uoluptatum libidinibus usque adeò succendit, ut eius posterior conditio priore deterior fiat. Hæc ferè illi.

Iohan.8. Rom.6. Tit.3.

Matt.13. 2.Tim.2.4.

Matt.12. 2.Pet.2. Heb.6.10.

CAP.

CAP. XV.

Πυργόβαρις.

Baris, Antonia.

Arx fuit in Morio præluſtris condita monte,
Quam Macabeani percoluere Viri:
Principiò Baris, ſed poſt Antonia dicta,
Tandem Romana concidit illa manu.

HISTORIA.



ASSAMONAEI, à ſui fratris Iudæ cognomine Maccabæi dicti, Gentis Sacerdotium ſimul & Principatum tenentes, præter Arcem illam ſuper Acram montem in inferiore conditã Vrbe, de qua ſuprà: & aliam ſibi propè Templũ ad ſeptentrionale latus ædificauere Arcẽ: quæ Domus Aſſamonæa, & quòd turris haberet formam, Baris nominata eſt, 1. Maccab. 13. Ioſeph. de Bell. lib. 1. cap. 3. 4. Egeſip. lib. 1. cap. 6. 13. *Maccabæi.* *Baris.*

Eam Pontifices à Maccabæis orti uſq; ad Herodem incoluere, Ioſeph. Antiq. lib. 13. cap. 19. 24. Lib. 14. cap. 1. Lib. 18. cap. 6. *Pontifices.*

Hìc quoque in cella, ad idipſum ſtructa, reponebatur Stola illa Sacerdotalis, quam ſolum ſummum Pontificem ſacris operaturum induere fas erat, Ioſeph. Ant. lib. 15. cap. 14. Lib. 18. cap. 6. Lib. 20. cap. 1. *Pontificia Stola.*

Herodes regnum adeptus (poſtquam Antoniũ Romanorum Imperatorem multis induxit pecunijs, quò Antigonum ultimum ex Aſſamæniorum genere Principem, apud ſe uinctũ detentũ, ſecuri percuteret) hanc Arcẽ, ꝙ altera in Vrbe Regia & oportuno loco ſita eſſet, *Herodes.*

magno renouatam ſumptu exædificauit, eamq; in Antonij gratiam Antoniam nuncupauit, Ioſephus Antiq. 14. cap. 28. Lib. 15. cap. 1. 11. 14. De Bell. lib. 1. cap. 13. & 16. Tacitus Annal. lib. 21. Egeſippus lib. 1. cap. 31. 35. Lib. 5. capite 10. 12.

Antonia.

Baris ſeu Antoniæ deſcriptio.

Antonia, inquit Ioſephus de Bell. lib. 6. cap. 6. ſita erat in angulo duarum prioris Templi porticuum, quæ ad occidentem ſeptentrionemq; ſpectarent: in ſaxo autem fuerat extructa, quinquaginta cubitis alto, & undique prærupto: quod opus Herodis Regis fuit, ubi maximè ſui ingenij magnificentiam conatus eſt demonſtrare: Primum enim à radicibus ſaxum ipſum leuibus cruſtis obtegebatur, quo & decus adderet operi, & facilè dilaberentur, qui uel aſcendere uel deſcendere tentauiſſent: Deinde ante Turris ædificium murus erat cubitorum trium: intrà hunc omne ſpacium Antoniæ in quadraginta cubitos erigebatur. Intùs autem Regiæ latitudinem ad deſcriptionem habebat, diuiſam in omnem habitationum uſum & ſpeciem, id eſt atria, & balnea, & aulas caſtris aptiſsimas: ut quantum ad uſum neceſſarium pertinet, Ciuitas uideretur, magnificentia uerò Palatium. Inſtar uerò turris toto formata habitu, quatuor alijs per angulos turribus cingebatur: quarum cæteræ quinquaginta cubitis erant altæ: quæ uerò ad meridianum orientalemque angulum ſita erat, ſeptuaginta cubitis eminebat, ut ex ea totum Templum uideri poſſet. Quæ uerò porticibus iungebatur, utrinq; deſcenſus habebat, in qua cuſtodes excubabant.

Subterranea cripta.

Idem Hiſtoricus 15. Antiq. cap. ultimo narrat: Herodem quoque ſubterraneã feciſſe criptam, ab Antonia ad Orientalem Templi portam ferentem, eiq; Turrim impoſuiſſe, in eum uſum, ut illinc occultè Templum

poſſet

poſſet aſcendere, ſi quid per tumultum contra ſe uellet nouare populus.

Poſtquam Archelai Herodis filij regnũ in prouinciam eſt mutatum, Romaniſque Prætoribus hæc Baſilica ceſsit, eorum milites in ea ſemper reſidebãt, & cum armis appoſiti cuſtodes, ne quid feſtis diebus in Templo noui populus cõmitteret, obſeruabant: ut ſic Templum quidem Vrbi, Templo autem Antonia caſtrum foret. Ioſephus Antiquit. lib. 15. cap. 14. Lib. 18. cap. 6. De Bell. lib. 6. cap. 6. *Antoniæ præſidium.*

Seditioſi cum Romanis rebellantes impetũ in Antoniam fecere, & omnes Romanos in eo agentes præſidio, per biduum obſeſſos ceperunt atq; interfecerunt, præſidiumq; incenderunt. Ioſeph. de Bell. lib. 2. cap. 17. Egeſip. lib. 2. cap. 10. *Antoniæ deflagratio.*

Titus poſt expugnatam Neapolim & inferiorẽ Vrbem, Antonia potitus eſt, ex eaque tum Fanum expugnauit, demum & eam & reliqua Vrbis ædificia prorſus diruens, ſoloque adæquans. Ioſephus de Bell. lib. 7. cap. 2. 3. 4. 16. Adeò nihil eſt tàm firmum & potens, nihil tàm forte & munitum quod caſurum non ſit, ubi ille, in cuius manu omnia exiſtunt, decreuerit: *Antoniæ complanatio.*

Fata, canit Poeta, uiam inueniunt.

CAP. XVI.

Υπόγειων.

Stratonea Turris.

Conſtitit ad turrim Barin Stratonea turris,
Antigoni dira ſanguinolenta nece.

HISTORIA.

Stratonea turris.



PVD Barin Turris quædam Stratonis appellata πύργος conſtitit, quà ſubterraneus obſcurus in ipſam Barin patebat aditus.

Ariſtobulus. Antigonus.

Hic Ariſtobulus Pontifex & Rex, fratrem Antigonum, carum ſibi alioqui & regni ſocium, cõpoſitis maleuolorũ ſeductus calumnijs, à ſuis ſatellitibus iuſsit interfici: At mox fraternæ necis pœnitentia correptus in tantam uim morbi incidit, ut corruptis immodico dolore interiorib. partibus ſanguinem euomuerit, quem ſanguinem dum quidam è miniſtris exportat, prætereundo per eum locum qui Antigoni cœdis cruenta adhuc habebat ueſtigia, prolapſus effudit: Inde orto clamore ab ijs qui uiderũt, quaſi puer dedita opera ſanguinem illic effudiſſet, eo audito Ariſtobulus, cauſam ſciſcitatus eſt, quam ut ægrè tandẽ à ſuis extorſit, nimia conſcientiæ labe eius morbum augente, animam efflauit, plurimis inter extremos ſpiritus uerbis ſua deteſtatus facinora. Ioſephus Antiq. lib. 13. cap. 19. De Bell. lib. 1. cap. 3. Egeſip. de Excid. lib. 1. cap. 6. 7. 8.

CAP.

CAP. XVII.

בית עופל.

Χωρὸς ὄφλας.

Locus Ophel.

Ophelem Nethinea cohors habitabat opacam,
At nunc onagris contigit illa domus.

HISTORIA.



VPRA uallem Cedronem orientem uerſus, non longè à Templo, permunita & ſublimis conſtitit Baſilica, quam ſacra Monumenta Ophelem, Ioſephus Ophlan nominant. Ophel.

Iothamus pius ille Iudeæ Rex multum in Ophelio ædificaſſe muro dicitur, 2. Par. 27. Et de Manaſſe 2. Par. 33. ſcriptum eſt, eum Vrbis mœnia uſque ad Ophelis circuitum deduxiſſe. De quibus mœnibus Ioſephus 6. de Bell. lib. cap. 6. uerba faciens, ea uſque ad locum, qui Ophlan uocetur, pertinuiſſe, illicque cum orientali Templi porticu coniuncta fuiſſe perhibet. *Iothamus. Manaſſes.*

De Ophele eiusq; incolis ſic Nehemias 3. ſui libelli cap. Poſt Phalalem ædificârunt Nethinei, Ophelem incolentes, uſque contra portam Aquarum ad orientem & turrim Haiozæ, id eſt, Egredientis. Poſt eos Thecoitæ menſuram ſecundam inſtaurârunt, à regione turris magnæ Egredientis, uſque ad Ophelis murum (quo ſcilicet muro Ophel cingebatur) Item 11. Nethinei Ophelem incoluerunt, præfectis Siha ac Giſpa. Et ibidem Lyra: Ophel eſt nomen turris propinquæ Templo, tamen extra murum interiorem, claudentem habitationē Sacerdotum, & ibi habitabāt Nethinæi, ut eſſent propin- *Nethinæi Ophelis incolæ.*

qui habitationi Sacerdotum prout poterat fieri. Similiter Beda: Ophel turris erat non longè à Templo, enormi altitudine, Vnde Ophel, id eſt, tenebrarum uel nubili nomen accepit, quia nubibus caput inſeruit.

Nethinæi qui. Quínā uerò Nethinæi fuerint, ſubiecta indicabunt teſtimonia: 1. Eſd. 8. Miſi Eliezerem, Arielem & Moſolamū Principes, ijsq; uerba ſuggeſsi, quæ ad Heddonem eiusque fratres Nethinæos loquerentur, ut (hi) adminiſtros nobis ad Dei noſtri Templum adducerent. Tum adduxerunt nobis de Nethinæis, quos Dauid eiusque Proceres miniſterio Leuitarum attribuerant, ducentos uiginti. 3. Eſd. 7. Adduxerunt nobis ex ijs qui Tēplo ſeruiebant, quos Dauid & ipſi Principes Leuitarum miniſterio attribuerant, ducentos uiginti. Hieron. Quæſt. in 1. Par. Nethinæi ſonant donati: ſunt enim Gabaonitę, eò quòd ad ſeruiendum dati ſunt ad Templum DOMINI à Ioſue. Gloſſa Ordin. in Nehem. Nethinæi dicuntur Gabaonitæ, qui in miniſterium Domus DOMINI, iuxta diſpoſitionem Ioſuæ filij Nun, fideli deuotione ſeruiebant. Lyra: Nethinæi miniſtrabant ligna & aquas in atrio Sacerdotum.

INTERPRETATIO.

Ophelis notatio & myſterium. OPhel, ſi interpreteris, nebulam, umbras, tenebras declarat: Leuitarū adminiſtri Nethinæi Ophelem incolebant, ut ipſo loco eiusq; nomine admonerentur, ſe non ſolùm natura ad unum omnes intrinſecùs meras nebulas ipſiſsimasq; tenebras eſſe, id Moſe his atteſtante uerbis: *Deut. 29.* Non dedit uobis DOMINVS cor ad intelligendum, neque oculos ad uidendum, neq; aures ad audiendum uſque in præſentem diem. Et Eſaia: *Eſa. 59.* Ecce in Ophele (hoc eſt, tenebris) uerſamur, palpamusque ſicut cœci parietem: Sed & ſuum miniſterium occidentis li- *2. Cor. 3.*

tis Literæ, eiusq; Mosis, qui uelamen propriæ faciei imposuit, ne Israelis filij in finem illius, quod abolendum erat, intuerentur, esse ministeriũ: Legemq; sub qua degerent, futurorum quidem bonorum umbram, at non ipsam rerum imaginem obtinere: istas etiam hostias, ad quas deseruirēt, ueram adumbrare hostiam, neminem uerò perfectum reddere posse. Idcircò etiã atq; etiam, diuina fortunãte gratia, darent operã, ut ad eum primo quoque tempore conuertantur, qui cordis uelamen spiritualesq; nebulas solus queat tollere, cunctarumq; figurarum, umbrarũ & hostiarum ueritas corpusq; ac consummatio existat, CHRISTVM, inquam, promissum illum Abrahæ atque Dauidis filium, huncq; suorũ Maiorum exemplo pro unico suo Illustratore, Seruatore, Pontifice ac certo Deo habeant. Sic demùm uerè Nethinæos, id est, Donatos seu Dedititios nuncupandos, quos Deus Pater suo dederit filio, sanctorumq; Ecclesiæ ut salui fierent, & in mysticis atrijs spiritus ministerio, id est, sanctitate, iustitia ac fide cunctos suę uitæ dies seruirent, addiderit.

Heb.8.10.

August.Epist.59 Veteris Testamẽti sacrificia remissionem peccatorum significabãt, non præstabant.

2.Corint.3.4. Col.2.Rom.10 1. Corinth.15. Hebr.9.10. 1.Iohan.5.

Beda: Mysticè Nethinæi in Ophel, id est, turre nebulosa habitãt, cum hi qui perfectioris uitæ professione Deo dicati sunt, conuersationem suam in cœlis habẽt, quos uulgus admirans ait: Qui sunt isti qui ut nubes uolant?

Iohan.6. Actor.2. Luc.1.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

MIchęæ 4. DOMINVS Arci Opheli, hoc est, eius incolis, Nethinæis dico, promittit, Mesiam æternũ illum Regem, cum cœlesti suo imperio ad ipsos usque uenturum: uerba promisionis hæc sunt: O Ophel filię Sionis (arx) usque ad te ueniet, ueniet inquã primus ille Dominator unà cum regno filiæ Ierosolymæ. Vbi Lyra: Hæc prophetia rei euentu demonstrata est, cum noster Redemptor Ierosolymis prędicaret, & ibi demùm offerretur. Et Hieron. Ad Ophel, id est, nebulosam ac squalentem turrim ueniet prima potestas, siue princi-

Vaticinium de Christi in carne apparitione.

Apoc.1.22. patus primus, ille nēpè qui dixerat: Ego ſum α & ω, principium & finis, primus & nouiſsimus. Et qui ex perſona hominis aſſumpti ait in Prouerbijs: *Prouerb.8.* DOMINVS me poſſedit in principio uiarum ſuarum in opera ſua, Hìc inquam ueniet & regnum in Ieruſalem, ut & credentes in ea lucem, poteſtatemque ac Dei faceret regnum.

At quonam affectu Ophelitæ DOMINVM præſentem complexuri eſſent, Habac. in hunc prædixit modum: DOMINVS (in temporis plenitudine) ueniens, ueniet, & non tardabit: Ecce Ophel tua anima non probè ſe ergà eūm gerit, Cap.2. Id certè Euangeliſtæ perfectum apertè teſtantur, ubi de Sacerdotū miniſtris, quorum Nethinæi ſine dubio magna pars fuêre, aſſerunt: eos IESVM in horto comprehendiſſe, ac uinctum ad Annam atque Caipham Pontifices abduxiſſe, ibidemque ei alapas impegiſſe, & coram Pilato, ut crucifigeretur, clamaſſe, Iohan.18.19. Mar.14.

Hier. Manifeſta in his de aduentu Christi prophetia eſt.

Ophelem Iohannes Giſchalienſis, ultima etiamnū durante oppugnatione, accendit: at ubi Titus non multò poſt eſt Vrbe potitus, eius milites hanc Arcem penitus deflagratam complanârunt, Ioſeph. de Bello lib.6. cap.7. Nec ea ut neq; Vrbs deinceps inſtaurari unquam potuit, ut illud Eſaiæ confieret: Palatium (Templum) deſertum eſt, Vrbis ſtrepitus derelictus eſt. Ophel & Bohan in ſpeluncas ſunt redacta æternas, ubi gaudeant Onagri, & paſcantur greges, Cap. 32.

Ophelis uaſtatio.

CAP.

CAP. XVIII.

בית רוכלים

οἶκος οἰκονομῶν.

Domus Negotiatorum atq; Diſpenſatorum.

Hoc quoq; ſub tractu Myſtes ſtruxêre ſacrati,
Quos uocat Oeconomos littera ſacra, Domũ:
Hi Teſtamenti deſignant ritè miniſtros,
(Quos Chriſti uegetat gratia larga) Noui.

HISTORIA.



ROPTER Ophelem, Nethinæorũ Arcem, Negotiatores ſuas habuere domus, quantum quidẽ ex 3. Nehemiæ eſt colligere capite, ubi ſic dicitur: Malcijas inſtaurauit uſque ad ædes Nethinæorum & Negotiatorum. Et rurſus: Negotiatores uſque ad portam Pecorum conſtruxerunt. *Domus Negotiatorũ ſitus.*

Negotiatores iſti ex Sacerdotum atque Leuitarum erant tribu, ad cuſtodienda Templi utenſilia, & quę, uel ad uictimas uel fabricam requirerentur, comparanda conſtituti, tanquam Diſpenſatores ſeu Oeconomi. *Negotiatores qui.*

INTERPRETATIO.

SI ſpiritualis Templi ſpirituales Negotiatores atque Diſpenſatores libeat reſpicere, de ijs DOMINVS ſic loquitur, Luc. 19. Homo quidam nobilis profectus eſt in longinquam regionem, ut ſibi regnum acciperet & reuerteretur. Vocatis autẽ ſuis decem ſeruis, dedit decem minas, & ad eos dixit: Negotiamini donec reueniam. Et factum eſt ut regno accepto rediret, iuſsitque ad ſe ſer- *Spirituales Negotiatores atque Diſpenſatores.*

uos illos uocari, quibus argentũ dederat, ut ſciret quid quiſque negotiando lucratus eſſet. Ergo primus aduenit, dicens: Domine, tua mina decem minas acquiſiuit. Deinde alter uenit, dicens: Domine, tua mina quinque minas confecit. Matt.13.† Simile eſt regnũ cœlorum homini Negotiatori, quærenti bonas margaritas, qui cum unam inueniſſet precioſam margaritam, abiens, uendidit omnia quæ habebat, eamq; mercatus eſt. Matth.24. Luc.12. Quiſnam eſt fidelis ille Diſpenſator atque prudens, quem DOMINVS præfecit ſuæ familiæ, ut ei demenſum ſuo tempore det? Et Paulus 1. Corin. 4. Sic nos æſtimet homo, ut CHRISTI miniſtros, & myſteriorũ Dei Diſpenſatores: Id autem in Diſpenſatoribus requiritur, ut fidelis quiſque comperiatur. Item Petrus prioris ſuę ad Electos Epiſt. cap. 4. Prout quiſque (aliquam) gratiã accepit (ita) eam alij in alios adminiſtrate, ut boni uariæ Dei gratiæ diſpenſatores.

Ad uerũ Apoſtolicum miniſterium non minus prudentia quàm fidelitas pertinet.

† Hieron. Comment. in Matth. lib. 2. *Bonæ margaritæ quas quærit inſtitor, Lex & Prophetæ ſunt. Vnum autem eſt precioſiſsimũ margaritum, ſcientia Saluatoris, & ſacramentũ paßionis illius & reſurrectionis arcanum: Quod cum inuenit homo negotiator, ſimilis Pauli Apoſtoli omnia Legis Prophetarumq; myſteria & obſeruationes priſtinas in quibus inculpatè uixerat, quaſi purgamenta contemnit & quiſquilias, ut Chriſtũ lucrifaciat. Non quo inuentio nouæ margaritæ condemnatio ſit ueterum margaritarum, ſed quo comparatione eius omnis alia gemma uilior ſit.* Idem ad Ruſticum Monachum: *Si negociatores ſeculi tanta ſuſtinent, ut ad incertas periturasq; diuitias perueniant, & ſeruent cum animæ diſcrimine, quæ multis periculis quæſierunt: quid Chriſti negotiatori faciendum eſt, qui uenditis omnibus quærit precioſiſsimũ margaritum? qui totis ſubſtantiæ ſuæ opibus emit agrum, in quo reperiat theſaurum, quem nec fur effodere nec latro poßit auferre.*

CAP. XIX.

מערת.

Αργυροκοπεῖον.

Purgatorium.

Non procul à porta Balantum tecta fuêre
Aurifices quondam quæ coluere uiri:
Hoſce metalla prius purgare decebat ad unguem,
Aedi quæ fuerant nempè dicata ſacræ.

HISTO-

HISTORIA.



EGOTIATORIBVS illis Conflatores & Aurifices uicini erant: sic enim Nehemias 3. cap. Inter Cœnaculum anguli & portam pecorum instaurârunt aurifices & negotiatores. *Aurificum domus.*

Nullum aurum uel metallum DOMINI Domui adhibebatur, nisi prius à fabris in igne conflatum, probeque purgatum & examinatum fuisset.

INTERPRETATIO.

QVo significabatur, sanctos Dei homines ante in diuini Sermonis igne à peccatorũ scorijs expiari, eorundemq; fidem in uariarum afflictionũ fornace multis probari modis & examinari oportere, quàm æternę requietis Templũ inire, aut solidis in cœlo gaudijs perfrui queant: id quod ea, quæ adijciam, ostendunt testimonia: Malach. 3. Angelus ille fœderis erit quasi ignis explorans, aut borith fullonea, sedebitque ut conflator ac expurgator argenti, & expurgabit Leui filios ut aurum atque argentum (expurgatur) Itaque DOMINO cibarium sacrificium in iustitia offerent, eritque acceptũ DOMINO Iudæ ac Ierosolymæ sacrificiũ. Psal. 66. Probasti nos Deus, igne nos explorasti, sicut exploratur argentũ, nos in retia egisti, posuisti tribulationes in nostro dorso: transiuimus per ignẽ & aquam, & idem nos in refrigerium eduxisti: ingrediemur tuam Domũ cum holocaustis, & uota tibi nostra reddemus. Zach. 13. Ogla die suscita te in pastorẽ & in uirũ mihi coęqualẽ, percute pastorẽ, & dispergentur oues: uertã quoq; manũ meã in paruulos, quos per ignẽ adducã, eosq; explorabo proboq; ut argentũ & aurũ ꝓbatur ac exploratur. Syr. 2. Aurũ igni & homines probabiles in afflictionis fornace

Spiritualis cõflatura.

Sancti patiendo uincunt.

In paßione Christi Oues sunt dispersæ, in morte coactæ, & in resurrectione in unam introductæ caulam.

probantur. Actor.14. Paulus & Barnabas firmârunt animos Discipulorum, & ut in fide permanerent exhortati sunt: per multas enim afflictiones oportere nos in Dei regnum intrare. Iacob.1. Beatus uir qui tolerat tentationem, quoniam quum probatus erit, uitę coronam accipiet. 1. Pet.1. Afflicti estis uarijs tentationibus, ut exploratio uestræ fidei multò preciosior (exploratione auri quod perit, & tamen per ignem probatur, compeperiatur, in laudem, & gloriam & honorem in reuelatione IESV CHRISTI.

Tert. de Pœnit. Obdura & persiste in aduersitatibus ob ueritatē & accipe coronā uitæ.

Necessaria spiritualis conflatura.

Quisquis uerò nō à fœderis Angelo intrinsecùs expurgabitur, nec uarię sese tentationi subijcere uolet, sed illicitos carnis ardores per omnem licentiam sequitur, crucemque perpetuò declinat, is nec Dei uoluntatem uerè cognoscere, nec iustitiæ facere sacrificia, neque cœlestia regna penetrare unquam poterit: Nam & omnis homo, ut DOMINVS Marci 9. ait, igne saliendus, & omnis uictima sale est salienda: Quique CHRISTVM in gloriam rectà sequi desiderat, is cruce in humeros suos sublata, ponè eum sequatur necesse est, Matt.10. Marci 8. Luc.9.

CAP.

CAP. XX.

עליה הפנה·

Κατάλυμα ἀνώγεον.

Cœnaculum.



Myſtica declarat caput hoc tibi Paſchatis, & cur
Diſcipulis CHRISTVS terſerit ipſe pedes:
Quidq; repræſentent panisq; merūq;, Redemptor
Quæ quoque Diſcipulis participanda dedit.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



IN hoc Vrbis tractū ædita quędã Domus erat, quę quod in ſuperiore parte Cœnaculum, ubi fiebant cœnæ, haberet, ſita in angulo, dicta eſt Cœnaculum anguli. Nehem.3. Malcijas aurificis filius inſtaurauit uſq; ad ædes Nethinæorũ & Negotiatorum contra portam Miphkadam, & uſque ad Cœnaculum anguli. Inter Cœnaculum anguli uſq; ad portam Pecorũ inſtaurârunt aurifices & negotiatores. *Cœnaculum anguli.*

Cœnaculũ ubi Christus cũ Discipulis Pascha sumpsit.

Quidam hoc ingens illud Cœnaculum fuisse existimant, in quo CHRISTVS ultimum cum Discipulis Pascha ante passionem manducasse refertur: Quod an sit nec ne, ego quidem de loco, cum eum nominatim Euangelistæ non exprimant, cum nemine contenderim: quid uerò in loco (ubicunque tandem ille in Vrbe fuerit, in Vrbe enim fuisse certum est) DOMINVS & egerit & docuerit, ordine, quoad eius fieri poterit, compendiosissimo ex sacris adferam historijs, explicatis in transcursu pro fidei modulo nonnullis, quę interpretationem requirere uidebuntur.

Prima Azimorũ dies erat quarta decima primi mẽsis Luna, qua inter uesp eras Agnus mactari, & omne fermentũ abijci solebat.

Mittit Iesus q̃ Pascha præparent.

Iesus omnisciens.

Obedientia legatorum.

Agni Paschalis mysterium.

Primo igitur Azimorũ die, in quo necesse erat immolari Pascha, dimittit DOMINVS Petrum & Iohannem (eisq;) dicit: Ite in Vrbem, occurret uobis homo aquæ amphoram portans, eum sequimini, & quocunq; introierit, sic dicitote Patrifamiliâs: Magister tibi dicit, ubínam est diuersorium, ubi Pascha cum meis Discipulis edam? Atq; ille uobis ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον Cœnaculum magnum instratum ostendet, illic paratote nobis Pascha. Igitur digressi, & quæ ille eis dixerat nacti, parârunt Pascha, Mar. 14. Luc. 22. Voluit nimirum DOMINVS ante suam in cruce immolationẽ umbratile cum Discipulis Pascha ultimo pollucere, atque ita illud præsente abolere ueritate, ipse uerum nostrũ Pascha, id est, transitus factus, per crucis scilicet mortem ex hoc mundo ad Patrẽ transiens, quo & nos in ipso transire ualeremus: de quo mysterio & quidnam Pascha tum significârit tum præfigurauerit, August. Tract. in Ioan. 55. hęc affert: In Hebræa lingua Pascha transitus dicitur, propterea quia tunc primũ Pascha celebrauit populus Dei, quando ex Aegypto fugientes mare rubrũ transierunt. Nunc ergo figura illa prophetica in ueritate cõpleta est, cũ sicut ouis ad immolandũ ducitur Christus, cuius sanguine

guine illitis postibus (cordium nostrorum) à perditione huius seculi tanquam à captiuitate uel interemptione Aegyptia liberamur, & agimus saluberrimũ transitum cum à Diabolo transimus ad CHRISTVM, & ab isto instabili seculo ad eius fundatissimũ regnũ: ideò quippè ad Deum permanentẽ transimus, ne cum mundo transeunte transeamus. De hac nobis collata gratia Apostolus Deũ laudans, dicit: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij claritatis suæ. Hoc igitur nomen, id est, Pascha, quod Latinè, ut dixi, transitus nuncupatur, uelut interpretans nobis beatus Euangelista: Ante diem, inquit, festum Paschæ, sciens IESVS quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. Ecce Pascha, ecce transitus, unde & quo? De hoc scilicet mundo ad Patrem, Spes membris in capite data est, quòd essent illum transeuntem sine dubio secutura.

Iohan. 13.

Vesperè ergo IESVS cum duodecim (ad præparatum Cœnaculũ) uenit, & quum hora (constituta, ante quam nec facere quicquã nec pati debuit) adesset, accubuit, & duodecim Apostoli cum eo, Matt. 26. Luc. 22.

Accũbit Christus cum Duodecim.

Et quum Cœna fieret, surgit, præcinctusq; linteo, & aqua in peluim immissa, Discipulorum pedes lauare instituit, & linteo extergere. Sed ubi ad Petrum uenit, ille sic ei dixit: DOMINE, túne mihi pedes lauas? IESVS ei respondit: Quod facio tu nunc ignoras, postea autẽ cognosces. Petrus ei dicit: In æternũ non lauabis meos pedes. Cui Iesus respondit: Nisi te lauero, non habebis mecum partẽ. Tum Petrus ei dicit: Domine nõ solũ meos pedes, sed etiã manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est (is) non opus habet nisi ut pedes lauet, sed totus mundus est. Postquã eorũ pedes lauit, rursus accubuit (& eis sic) dixit: Scitis quid uobis fecerim? Vos me Magistrũ & Dominũ uocatis, & benè dicitis: sum enim (uerè quod

Christus Discipulorum lauat pedes.

Gerson: Christus lauit pedes Apostolorũ ante constitutionẽ Sacramenti, in signum, quòd solis mundis debeat & à mundis celebrari, dicente Apostolo: Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat.

Nisi quis à Christo lotus fuerit, partẽ cum eo in Dei regno habere nequit: Ipse enim suos cohæredes prius purgat quàm hereditatẽ adire patiatur.

me dicitis)Si igitur ego uobis (&) DOMINVS & Magister pedes laui, uos quoque debetis alij aliorum lauare pedes: Exemplũ enim præbui uobis, ut quemadmodum ego uobis feci, uos quoq; faciatis. Hìc duo præcipuè consideranda sunt: Primum est summa CHRISTI & humilitas & dilectio, quòd cum omnium DOMINVS unicusq; cœlestium mysteriorum Doctor foret, usque adeò se summisit, ut suorum quoque Discipulorum atque ministrorum dignaretur lauare pedes:† Docens eos hoc facto, se ex mero exinanitum amore omnium seruum factum esse, & simul exemplũ præbens, ut ipsum sequentes, inter se pedes lauarent: hoc est, mutuo se inuicem amore complecterentur, alijq; alijs seruirent, quiq; maior inter eos esset, fieret sicut minor: & qui princeps, sicut qui ministrat, Matth. 20. Luc. 22. Iohan. 13. Ita certè & Apostolus Philippenses hortatur, Idem sentite, inquiens, eademq; unanimes caritate este præditi, ne quid (fiat) per contentionẽ aut inanem gloriam, sed cum humilitate alius alium sibi pręcellere existimet, non sua quisque spectet, uerùm & ea quæ aliorũ sunt: is enim in uobis affectus erit, qui fuit in CHRISTO IESV, qui cum in Dei forma esset, seipsum (eousque) exinaniuit (ut) assumpta serui forma, obediens factus sit usque ad mortem crucis. Alterum, quod in hac externa attendemus lotione, est mysterium & spiritualis lotio, in CHRISTI sanguine, ad crucis effuso signum, consistens: quo sanguine non solum admissa ante conuersionem peccata expiantur, & in Dei assumimur filios, sed etiam scelerum reliquię, tenaciter adhuc carni, quoad hìc obuersamur, adhærentes, iugiter, dum nostra nobis dimitti debita oramus, abluuntur: Omnis siquidem spiritualis mundicia ex uno CHRISTI emanat sanguine, siue ea sit quæ iustificat, siue quæ in iusticia conseruat, attestante nobis D. Iohanne primæ suæ

Mysteriũ lotionis pedum.

Inter Christianos amor & summißio regnabunt.

Episto-

Epiſtolæ 1.cap.his uerbis: Sanguis IESV CHRISTI nos emundat ab omni peccato.

† *Auguſtinus: Diſcamus fratres humilitatem ab excelſo Diſcipulorum lauante pedes, faciamus inuicem humiles, quod humiliter fecit excelſus. Magna eſt cõmendatio humilitatis, & faciunt ſibi hoc inuicem fratres, etiam opere ipſo uiſibili, cum ſe inuicem hoſpitio recipiunt: Eſt enim apud pleroſq; conſuetudo huius humilitatis, uſq; ad factum quod cernatur expreſſa. Vnde Apoſtolus cum uiduam benemeritam commendaret: Si hoſpitio, inquit, recepit, ſi ſanctorum pedes lauit. Et apud ſanctos ubicunq; hæc conſuetudo non eſt, quod manu non faciunt, corde faciunt, ſi in illorum numero ſunt quibus dicitur in Hymno beatorum trium uirorum: Benedicite ſancti & humiles corde Domino. Multò autem eſt melius & ſine controuerſia uerius, ut etiam manibus fiat, nec dedignetur quod fecit Chriſtus facere Chriſtianus. Porrò quod Dominus dixit: Qui lotus eſt, non opus habet niſi ut pedes lauet: id propter humanos, quib. in terra uerſamur, affectus fecit, ut ſignificaret quantumlibet in iuſtitiæ apprehenſione profecerimus, nos ſine peccato non eſſe: ſed ſe ſubinde adhuc nos lauare oportere interpellando pro nobis, cum oramus Patrem ut debita noſtra dimittat nobis.*

Poſthæc inter edendum IESVS Diſcipulis dixit: Vnus ex uobis qui mecum manum in catino intinxit, me prodet. Filius quidẽ hominis abit, prout de eo (à Patre) definitũ, & (per Prophetas) ſcriptum eſt: ſed uæ homini illi per quem filius hominis prodẽdus eſt: bonum homini illi fuiſſet nunquã natum eſſe (melius enim eſt prorſus in rerũ natura non ſubſiſtere, quàm ad tormenta ſubſiſtere) Quo audito (undecim illi) uehemẽter dolentes, cœperunt ei ſinguli dicere: Egóne is ſum DOMINE? (Tandem & Iudas (ne tacendo ſeipſum manifeſtaret) ſic eſt locutus: Is ne ego ſum Rabbi? Cui Ieſus: Tu dixiſti (indicans eum eſſe mágis, quàm explicans: ac ſuſpicionem ſimulat, diſsimulans ſcientiam) Matth. 26. Mar. 14. Vnum uerò ex Diſcipulis DOMINVM eſſe proditurum, Dauid pridem antè, CHRISTI ſuſtinens perſonam, his uerbis prædixerat: Etiam Vir pacis meæ, cui fidebam, & qui meum manducabat panem, ſuſtulit aduerſus me calcaneum, Pſal. 41. Ac Pſal. 55. Neq; enim inimicus me probris afficiet, alioqui ſuſtinerem: ſed tu homo unanimis meus Dux, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in Domo Dei coniunctè ambulabamus. Exigat ab eis mors debitum.

Chriſtꝰ ſe proditũ iri prædicit.

Hier. Pœna prædicitur, ut quem pudor non uicerat, corrigant denunciata ſupplicia.

Vaticinia de Iuda proditione

Deinde DOMINVS (ut penitus ſuorũ animis infigeret, ſe nullam in partem ſupplicium declinare, ſed intimo amore redimendi genus humanũ paſſurum eſſe, ait illis: Ingenti hactenus) deſiderio deſideraui, ut hoc Paſcha uobiſcum comederem, antequã patiar (& mortem ſubeam, cuius tempus adeſſe gaudeo, quia hominũ ſalutem ſitio) Hoc enim uobis (affirmans) dico, poſthac non comedam uobiſcum de hoc (Paſchate, iuxta legis præſcriptum) ſed (aliud perfectius Paſcha iuxta ſpiritũ) in Dei regno perficietur (Hic agnus qui adhuc in ſingulos annos ſolenniter à Iudæis eſt mactatus, typũ habuit mei ad Patrem per crucem & mortem tranſitus: nunc adeſt ueritas, & ceſſabit umbra: poſthac ſpirituale & efficax Phaſe celebrabitur in ſpirituali regno, ubi ego & hoſpes & cibus uobis ero, uosq́; meum eritis cõplementum, & tandem Deus omnia in omnibus) Luc. 22.

Hieron. Hedibię, Nec Moyſes dedit nobis panem uerum, ſed Dominus Ieſus: ipſe cõuiua & conuiuiũ, ipſe comedẽs & qui comeditur.
Epheſ. 1.
1. Cor. 15.

Ieſus calicẽ pollucendũ Diſcipulis porrigit

Vbi uerò ſinguli de Agni guſtaſſent carnib. IESVS accepto poculo gratias (Patri) egit, & (libato porrectoq́ue calice ſuis Diſcipulis) dixit: Accipite hoc, & inter uos diuidite (Illud) enim uobis dico, me (poſthac) non bibiturum eſſe de fructu uitis (iuxta carnis neceſsitatẽ) ſed (mox) Dei regnũ ueniet, in quo nouum uobiſcum (æternæ ſaturitatis) bibam uinum (ſicq́; omnia quę lex carnalia habuit, ſpirituali exhibebuntur modo) Luc. 22.

Verba ultimæ Cœnæ.
Clemens in Pædag. lib. 2. cap. 2. Ipſe quoq; uino uſus eſt, nam ipſe quoq; homo, & uinum benedixit cum dixit: Accipite, bibite, hoc eſt ſanguis meus. Cyprianus: Chriſtus accipiens calicem benedixit, & dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hoc eſt enim ſanguis noui Teſtamenti.

Cœnantibus (adhuc) illis & edentibus, IESVS panem accepit, actisq́; gratijs, fregit, deditq́; Diſcipulis, & ait: Accipite, Comedite, Hoc eſt corpus illud meũ, quod pro uobis datur atq; frangitur, Hoc facite in mei cõmemorationẽ. Similiter acceptũ poculũ, gratijs actis, dedit eis, dicens: Bibite ex eo omnes, Biberuntq́; ex eo oẽs, atq; (ille) eis dixit: Hoc eſt ſanguis ille meus ꝗ eſt noui Teſtamenti, ꝗ pro multis in peccatorũ remiſsionẽ effunditur (ſiue ut Lucas & Paulꝰ habẽt: Hoc nẽpè poculũ eſt nouũ

Teſta-

Testamentũ in meo sanguine) Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in mei commemorationem, Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corint. 11. Hìc quoque, ut suprà in pedum lotione, duo aduertenda ueniunt: Primum, quòd DOMINVS Apostolos docuit, suum corpus, pro illis datum atque fractum, esse panem: suumque sanguinẽ, pro multis in peccatorum remissionem effusum, esse poculum seu potum. De quo & anteà eos 6. apud Iohannem cap. his præter alia instituerat uerbis: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Id uerò Christum hìc insinuare uoluisse ueteres nobiscum asseuerant Patres: sic enim Cyprianus 1. Epistolarum Epistola 6. DOMINVS corpus suum panem uocat, de multorum granorum adunatione congestum: & sanguinem suum uinum appellat, de botris atq; acinis plurimis expressum, atque in unum coactum. Et Augustinus de uerbis Apostoli Serm. 2. DOMINVS IESVS corpus dixit escam, sanguinem potum. Item Theodoretus Dial. 1. In ipso mysteriorum traditione CHRISTVS corpus panem uocauit, & sanguinem poculum. Item Hieron ad Hedibiam: Si panis est corpus DOMINI, & uinum sanguis illius, Iudaicas fabulas repellamus, & ascendamus cum DOMINO Cœnaculum magnum, stratum atq; mundatum, & accipiamus ab eo sursum calicem noui Testamenti, ibique cum eo Pascha celebrantes inebriemur ab eo uino saturitatis: Non enim est regnum Dei cibus & potus, sed iustitia & gaudiũ, & pax in Spiritu sancto: nec Moses dedit nobis panem uerum, sed DOMINVS IESVS, ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur. Alterum, hoc in loco perpendendũ, est, quòd DOMINVS Discipulos hoc in congregata facere Ecclesia uoluit, quod se uidissent facere: frangere scilicet panem, & poculum ad sui miscere memoriam: Id est, ut Paulus, uerissimus interpres, explicat: Quoties-

Epiphan. lib. Ancorat. τοῦτο ἔστι σῶμά μου τόδε καὶ τόδε.

Eras. in Luc. Hoc facite in mei commemorationẽ, id est, uos uobis meæ mortis memoriam frequenter renouabitis, facientes inter uos quod nunc à me uidetis fieri,

Amb. Morte Domini annunciare, est annunciare remissionẽ peccatorum, morte Domini partam.

cunque hunc panem ederent, & hoc poculũ biberent, mortem DOMINI annunciarent, usquequo ipse reueniret. Subscribunt Orthodoxi Scriptores: Hieronymus in 1. Corin. 11. cap. Ideo Saluator hoc tradidit Sacramentum, ut per id semper commemoremus, quia pro nobis est mortuus. Augustinus contra Faustum lib. 20. cap. 21. Caro & sanguis DOMINI ante aduentum eius per Victimas similitudinum promittebatur, in passione CHRISTI per ipsam Veritatẽ reddebatur, post ascensionem per Sacramentum memoriæ celebratur. Idem ad Petrum Diaconũ cap. 18. In isto sacrificio gratiarum actio atq; commemoratio est carnis CHRISTI, quam pro nobis obtulit: & sanguinis, quem pro nobis effudit. Et Hesychius in 2. Leuit. Si CHRISTVS nõ fuisset crucifixus, sacrificiũ corporis eius minimè comederemus: Comedimus autem nunc cibum, sumentes eius memoriam passionis.

Hier. Qui de sua passione prędixerat, nunc quoque de proditore prędicit.

Sub hæc DOMINVS sermonem de Proditore repetens, cum asseueratione ita inquit: Amen amen dico uobis, unus uestrum me est proditurus. Hìc (cæteri) Discipuli inter sese intueri, hæsitantes de quo diceret. Recumbebat autem unus Discipulorum IESV in eius sinu, huic innuit Petrus ut sciscitaretur, quisnam is esset, de quo diceret. Itaque ille in IESV pectus recumbens, (secretò) dicit ei: DOMINE, quis est (ille, qui tantũ audebit facinus?) Cui IESVS (clanculum) respõdet: Is est cui ego intinctam buccellam porrigam. Et quum intinxisset buccellam (panis iuri) dedit Iudæ Iscariotæ: ac tum post eam buccellam ingressus est in eum Sathanas (totum eius animũ occupans, & ex impio reddens insanabilem. Quod cum IESVS uidisset) dixit ei: Quod facis (Mali instinctu) fac ocius (nõ quidem meo iussu, sed permissu) Igitur ille accepta buccella statim exiuit, cum iam

Ioannes in Domini sinu recũbebat, quando inclinatus ipsius pectori appropinquauit ut secretò eum alloqui & audire posset: nõ iacebat pronꝰ in eius sinu, quemadmodũ pictores solẽt affingere.

iam nox eſſet, Iohan. 13. O deplorandam Iudæ temeritatem, cui tantillum lucri ipſo ſuo & Magiſtro & uero Deo erat antiquius. O ſtupendam Diaboli malitiam, quòd ex Apoſtolorum etiam numero unum abripere non dubitârit. Vitemus ergo deaſtricolam iſtam omniumq́; radicem malorum auaritiam. A Sathana etiam cum adhuc, D. Petro teſte, Leonis rugientis more circumeat, quærens quos deuoret, cum omni nobis uigilantia cauendum fuerit.

1. Tim. 6.

1. Pet. 5.

Egreſſo itaq; Iuda CHRISTVS reliquis de ſua glorificatione, ſuique per mortem abitus fructu, & ſancti Spiritus tum miſsione tum officio ſalutaria facit uerba.

Varijs quoque modis eos cõſolatur, & nouum dat mandatum, ut mutuo ſe amore complectantur: Hanc enim unicam fore notam, ex qua homines cogituri ſint, ipſius eos eſſe Diſcipulos, ſi alij alios diligant.

Aug. Sancta Ecclesia, homines amantes ſe inuicē, & amantes Deū, qui in illis habitat, faciunt Ciuitatem Deo, Lex ipſa eorum caritas eſt, Et ipſa caritas Deus eſt, pleni caritate Ciuitatem faciunt Deo.

Adhæc Petri prę́ſumptionē coarguens, ſe ab eo abnegatum iri prædicit.

Thomæ etiam de Via ad Patrem quærenti, ſic reſpondet: Ego ſum Via (quę ducit ad Patrem) & Veritas (ex quo ſolo certa proficiſcitur ueritas) & Vita (omnibus credentibus perpetuam conferens uitam) Nemo ad Patrem uenit (ut eum cognoſcat, eiusq́ue naturę fiat particeps) niſi per me (unicum Dei & hominum Sequeſtrum.)

Chriſtus eſt uia contra errores, Veritas contra falſitatem, Vita contra mortem.

Cum uerò Philippus Patrem ſibi oſtendi cuperet, Philippe, inquit ei, qui me (fidei oculis) uidit, is & Patrem uidit: Ego enim in Patre ſum, & Pater in me eſt (inſeparabili naturæ, uoluntatis & uirtutis conſortio.)

Poſtea Iudæ dicit, Seſe ijs appariturum, ad eosq́ue

Ad eos Christus commigratũ uenit, quos suæ naturæ per fidẽ reddit participes.

unà cum Patre (spirituali cõmigratum uenturum modo) qui se amantes sua fideliter exequantur mandata.

Sathanas cum uenit, in omnib. cæteris hominibus sui imperij occasionẽ inuenit, prꝑterq; in uno Christo, in quo nec peccatũ nec mortis occasio erat: Hincis cõmodissime nobis succurrere, Sathanęque cõtrauenire, & æternam mortem sua abolere morte potuit.

Demùm, ne singula persequámur, huius mundi Principem aduersus se cum omni tenebrarum uenisse potestate asserit, sed nihil in se illum quod carperet inuenire potuisse.

Et hac absoluta concione, cumq; iam passionis aduentaret hora, quò se quicquid passurus esset, præscium ac uolentem, ex Patris decreto pati ostenderet, huiusmodi orationem uerbis conclusit: Vt cognoscat mundus me Patrem diligere, & ut mihi mandatũ dedit Pater ita facere: Surgite abeamus hinc, Iohan. 14.

Sic hymno dicto in Oliuarum montem de more suo egressus est, eumque secuti sunt Discipuli, Matt. 26. Mar. 14. Lucæ 22. Quæ uerò in itinere disseruerit, apud Lucam adducto iam loco, & Iohannem 15. 16. & 17. capitib. ex ordine recensentur.


CAP.

CAP. XXI.

בית חסדא·

Κολυμβηθρα.

Piſcina quinque porticus habens.



Hic Betheſda locus uulgari nomine dictus,
Quò Genius liquidas numine mouit aquas,
Solueret ut uarios morbis languentibus ægros:
Immundæ carnis uiſcera CHRISTE laua.

HISTORIA.

NON procul à Cœnaculo anguli ſecundũ Templum erat Colymbethra Betheſda, de qua & CHRISTI ibidem ædito miraculo hęc Iohannes 5. ſcribit cap. Eſt autem Ieroſolymis apud Probaticam piſcina, quæ Hebraicè Betheſda nominatur, quinque porticus habens, in his iacebat magna inualidorum multitudo, cœcorum, claudorũ, aridorum, aquæ motionẽ expectantiũ: Angelus enim (DOMINI) Betheſda.

Hier. aduersus Lucif. Bethesda lacus ludæ, nisi per aduentum Angeli debilitata, corporaliter mēbra sanare non poterat.

certo tempore descendebat in piscinam, aquamque turbabat, post quam aquæ turbationem qui primus (in piscinam) descendebat, sanus fiebat, quocunque tandem morbo detineretur. Erat autem illic homo quidam annum agens in infirmitate tricesimum octauum, hunc quum uidit IESVS decumbentem, & quòd iam multum temporis in infirmitate egisset, cognouit, dicit ei: Vis sanus fieri? Cui inualidus ille respondit: DOMINE, hominē non habeo, qui me, quum turbata fuerit aqua, conijciat in piscinam: sed interim, dum uenio ego, alius ante me descendit. Tum IESVS ei dicit: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Atq; homo ille statim sanus factus est, suumq; sustulit grabatum & ambulabat.

Gratia præueniens. Oblata gratia ad sua caro cōfugit, in huius mūdi hærens elemētis, nec cœlestem agnoscens medicinā.

Christus omnipotētis sui uerbi iussu sanat.

INTERPRETATIO.

Bethesdæ notatio & descriptio.

BEthesda sonat domum effusionis: hìc enim aquæ ex superiori Colymbethra, Gihone, canalibus ab Hiskia in inferiorem Vrbem per mediam Acram deductę, suum habebant effluxum: unde & hæc piscina respectu superioris inferior Colymbethra Esa. 22. nuncupatur.

Spiritualis Bethesda.

Per eam renascentiæ spiritusque renouationis adumbrabatur Lauacrum, quod supernè à luminum Patre per CHRISTVM, unicum μεσίτην, in fideles effusum animas, ibi medicinam facit: iuxta illud Apostoli ad Titum: Postquam benignitas & humanitas apparuit Seruatoris nostri Dei (is) nos pro sua misericordia seruauit per Lauacrum regenerationis, renouationisq; Spiritus sancti, quē in nos opulentè effudit per IESVM CHRISTVM Seruatorem nostrum, ut eius gratia iustificati, fiamus hæredes uitæ æternæ, Cap. 3.

CHRISTVS hominem in Berhesdæ sanauit porcibus,

ticibus, ut se eum ipsum esse ostenderet, quem & Angelus aquam turbans præfigurârit, & sacræ Literæ magni consilij fœderisque Angelum, Item Medicũ ac omnium infirmorum cordium uocent Curatorem, Esa. 9. Ierem. 30. 33. Malach. 3. Ipse Exod. 3 promiserat: Ego descendam: & eos liberabo. De ipso Dauid Psal. 40. canit: DOMINVM expecto, ut me ex miseriæ educat lacu, meosq; pedes in rupem statuat, & gressus dirigat.

Christus hominem in Bethesdæ sanauit porticibus.

Porrò quòd hìc dicitur, eum qui primus post aquæ motionem, ab Angelo factam, in piscinam descẽdisset, sanum esse factum: non putabimus exteriorẽ Bethesdę aquam ab Angelo peculiarẽ aliquam curandi nactam uim, aut ipsam per se sanasse: sed fides, è cœlis sanationẽ expectans, infirmis medicabatur: quemadmodum Sapient. 16. de simili est scriptum exemplo: Iudæos qui in deserto à uenenosis læsi serpentibus, in erectum à Mose serpentem respiciebant, nõ per rem uisam, sed per DOMINVM Seruatorem omnium seruatos esse. Et ibidem paulò post: Neque enim herba nec malagma medicinam eis fecit, sed tuum ô DOMINE Verbũ, quod sanat omnia.

Chrys. Aquæ natura nõ sanabat, sed Angelus descendens sanationem adferebat.

CAP. XXII.

בית צאו׃

Αὐλὴ τῶν προβάτων.

Pecuaria, Ouiaria.

Purgabant isto Balantes flumine fœdas
Sacrifici, quò sic hostia munda forent:
Ipse suas ita CHRISTVS homo, quas destinat arę,
Abluit, & proprio sanguine mundat, oues.

HISTORIA.

Probaticæ descriptio.



ROBATICA, apud quam Iohannes Bethesdam constitisse asserit, Pecuaria seu Ouiaria erat, & in ea piscina, ubi Sacerdotes oues aliasq; immolationi destinatas pecudes conseruare, & priusquam in Templum adducerentur, mersari atque tondere solebant: nihil enim immundi Fano inferebatur, ut quoque nullæ maculatæ offerebantur hostiæ. Hieronymus de Locis Hebraicis: προβατική à nobis interpretari potest pecualis (in ea) lacus erat mirum in modum rubens: Nam hostias ibi lauari à Sacerdotibus solitas ferunt.

INTERPRETATIO.

Spiritualis Probatica.

VEram in nouo Testamẽto Probaticam Ecclesiam, spiritualesque oues Electos, horum uerò pastorem CHRISTVM esse, uel ex 10. Iohannis cap. patet, ubi DOMINVS sic inquit: Ego sum bonus ille Pastor (de quo tot Prophetarum oracula præsagiunt) measque (à Patre mihi datas) agnosco oues, & animam pro illis pono (ut ex sua cogantur dispersione) Ego sum ouiũ ostium, Quisquis per me (in Ecclesiæ caulam) intrauerit, seruabitur, & ingredietur (per rectam cœli portam) & egredietur (de erroribus ad ueritatem) & pascua (pro sua anima iustitiam sitiente) inueniet. Et alias oues (ex Gentilium natione) habeo, quæ nõ sunt ex hoc (Israelitico) ouili, illas quoque me (suaui Patris tractu) adducere oportet, meamque uocem (fidei auribus) audient, & erit unum ouile, unus Pastor. Vbi Cyrillus: Per ostium & Pastorem DOMINVS seipsum intelligi proponit: Per ouile Catholicam Ecclesiam consortiumque fidelium designauit, in quod non nisi per CHRISTVM rectus patet ingressus. Ouium nomine fideles repræsentantur,

Iohan. 11.

Matth. 5. Psal. 23.

Iohan. 6. Iohan. 5.

animo ſimplices & humiles. Item Auguſtinus: Hoc tenete, ouile CHRISTI eſſe Catholicam Eccleſiam, Quicunq; ad hoc ouile uult intrare, per oſtiũ intret. CHRISTVS eſt oſtium, ipſe quoque paſtor.

Piſcina in qua CHRISTVS ſuas oues, priuſquam in cœleſtis regni inferantur Templum, merſare conſueuit, eſt Lauacrum aquæ, in uitali exiſtentis Verbo: ſic enim Apoſtolus 5. ad Epheſ. cap. de Eccleſia pronunciat: CHRISTVS ſemetipſum pro Eccleſia dedidit, quò eam ſanctificaret, mundatamq; lauacro aquæ in (uitæ) Verbo, eam ſibi ſiſteret glorioſam (id eſt) Eccleſiam nõ habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiuſmodi, ſed ut ſancta inculpataq; foret. Vbi Hieron. Eccleſia eſt non habens maculam, ſcilicet mortalis peccati: neq; rugam, ſcilicet erroris. Et ideò quicunq; eſt aliqua (mortalis) peccati ſorde pollutus, de Eccleſia dici non poteſt, neq; CHRISTO ſubiectus. Et Ambroſ. in 1. Lucæ cap. Legimus quia ſic DOMINVS dilexit Eccleſiam, ut exhibeat ſibiipſi glorioſam & immaculatã, &c. cum Eccleſia ex Gentibus, hoc eſt peccatorib. congregata ſit, quomodo ex maculatis immaculata poteſt eſſe? niſi primò per Dei gratiam, quòd abluta à delicto ſit: deinde quòd per qualitatem non peccandi abſtineat à delictis, ita nec ab initio immaculata, humanæ enim hoc eſt impoſsibile naturæ, ſed per Dei gratiam & qualitatẽ ſui, quia iam non peccat, fit ut immaculata uideatur. *Spiritualis piſcina.*

Dum uerò ſpirituales iſtę oues in hoc mundo inter medios adhuc uerſantur lupos, quòd alienorũ uocẽ nec agnoſcãt nec ſequi bona cõſcientia poſsint, addictę unicæ ſui paſtoris Chriſti uoci, ab impijs huiusq; ſeculi filijs nunquã non diſpergũtur ac mactantur, Ioh. 10. Matt. 10. Hinc illę lachrymę: Tua cauſa occidimur, totũ diẽ habiti ſumus uelut oues mactationi deſtinatę, Pſa. 44. Ro. 8.

Sed & eæ ipſe iugiter ſua Corpora hoſtiam uiuam, ſanctam, acceptam & rationabilem cultum Deo per CHRISTVM ſiſtunt, quando ſcilicet carnalis corporis actiones cum terreſtrium ſuorum membrorũ affectibus atque concupiſcentijs, diuino fortunante Spiritu, mortificant, mundoq́ue diſsimiles redditæ, ei crucifiguntur, ac uetus illud malitiæ & nequitiæ fermentum expurgantes, noua in CHRISTO maſſa, fermentum, inquam, ſinceritatis atq; ueritatis fiunt. Imò Deo eiusq; CHRISTO omnes ſuæ uitæ dies in cordis ſimplicitate ſeruire laborant, Rom. 8. 12. Galat. 5. 6. 1. Corint. 5. Coloſſ. 3. Luc. 1.

Adg. In Eccleſiæ corpus nemo intrat, niſi prius occiſus moriatur q̃d fuit, ut ſit quod non fuit.

CAP. XXIII.

מגדל המאה.

πύργος τῶν ἑκατῶν.

Turris ſeu Arx Centurionum.

Hac à parte ſtetit turris Meana, Latinis
Centenos equidem denotat illa uiros.

HISTORIA.

Hamea.



NEhemias 3. & 12. capitibus Turrim ſeu Arcem quandam nominat, ſitam non longè à Probatica ad Ouium portam.

Hamea quid.

Hamea numeri eſt uocabulũ, centum ſignificans: ſic forſan appellata, quòd ibi Cẽturiones, à Dauide turmis, circa Regiam Domum ſtationes in ſingulos menſes acturis, præpoſiti degerent: de quibus 1. Par. 27. & apud Ioſephum Antiq. 7. cap. 11. eſt legere. Quarto autem Reg. 11. eorum huiuſmodi infertur mentio: Anno ſeptimo ac-

mo accersiuit Ioiada Pontifex Hameiotas, id est, Centuriones, eisque Regis filium ostendit, atque eis praecepit, ut Regiae custodiam agerent. Fecerunt ergò Hameiotę omnia quae Ioiada eis praeceperat, & assumentes singuli suos uiros ad Ioiadam uenerunt. Tum Ioiada Hameiotis imperauit, ut Athaliam extra Templi septum educerent, &c. Hameiotae.

INTERPRETATIO.

HAmea, centenarius ille numerus, in Scriptura perfectionem denotat: Qui CHRISTI familiae in Christiana Ecclesia, uelut Centuriones, seu Oeconomi & Gubernatores, praefecti sunt, necesse est ut quoque tum exemplo tum doctrina perfectiores existant, deq; aeterni Dei Verbi semine in bonam sui cordis terram iacto, centenarium edant fructum, acceptis uidelicet talentis alios DOMINO homines lucrifacientes, & ad ueritatis redigentes obsequium: Sic centuplum à suo Hero adipiscentur, superque omnia eius constituentur bona, & tandem sempiternam uitam obtinebunt, Matth. 5. 13. 19. 21. 25. Mar. 10. Luc. 8. 12. 1. Corint. 9. 12. 2. Corint. 10. Phil. 3. Spirituales Hameiothae.

CAP. XXIIII.

חומה סביב.

Τεῖχος ἀρχαῖον.

Murus antiquus.

Murus qui sanctam ualidus praecinxerat **Vrbem**,
Vim notat & robur maxime Christe tuum:
Nanque pijs immota manes per saecula rupes,
Stant tua perpetuos moenia firma dies.

HISTORIA.

Muri antiqui descriptio.


DHVC ueterem Vrbem, tresque Ierosolymæ montes, unà cum ædificijs in ijsdem positis, descripsimus: Murus autem qui hæc omnia amplectebatur, antiquus & primus est dictus, qui propter ualles imminentemq; his desuper collem, quo erat conditus, facilè capi non poterat: ad hoc aũt, quòd loco præstabat etiam firmissimè structus fuit, Dauidis, Salomonis, Vziæ, Hiskiæ, Manassis, Nehemiæ, Maccabæorum, Hircani aliorumque interea Regum atq; Iudęorum Principum largissimis operi impensis sumptibus. Hac autẽ parte incipiens, à turri cui nomen Hippico, & ad eam, quæ dicitur Xistus, pertinens: deinde Curiæ coniunctus, in occiduam Templi porticum desinebat: parte autem altera ad occidentem ex eo loco ductus, per eum, qui dictus Betiso, descendens in Essænorum portam: deinde supra fontem Siloam in meridiem flexus, atque inde rursus in Orientem uersus, qua stagnum Salomonis erat, & usque ad locum pertinens, quem Ophlan uocabant, cum orientali Salomonis porticu coniungebatur. Diuisus in sexaginta magnificas atque præaltas turres. 2. Reg. 5. 3. Reg. 3. 9. 2. Paral. 26. 31. 33. Nehem. 2. 3. 4. 6. Syrach. 49. 1. Maccab. 12. 13. 14. Iosephus Antiquit. lib. 7. cap. 3. Lib. 8. cap. 1. 2. Lib. 12. cap. 11. Lib. 13. cap. 4. Lib. 14. cap. 10. 28. De Bello lib. 6. cap. 6. 7. 11.

INTERPRETATIO.

Spiritualis Ierosolymæ murus.

SI spiritualis Ierosolymæ murum considerare libeat, is rectè sic describitur, Tobiæ 13. cap. O Ierosolyma, tui muri cum Turribus ac propugnaculis Sapphyro, Smaragdo, lapideque precioso & auro puro construentur. Apocalypsis uigesimo primo cap. Sancta illa Ieroso-

Ieroſolyma, è cœlo à Deo deſcendens, habebat murum ingentem, & altum centum quadraginta quatuor cubitorum. Apertius autem ſic de eo ipſe DOMINVS loquitur, Zach. 2. Ego Ieroſolymæ ero murus igneus per circuitum, eroq́; in eius medio gloria. Eſa. 27. Ego cuſtodiam uineam meam per ſingula momenta, ne fortè hoſtis eam inuadat, nocte & die cuſtodiam. Cap. 60. Tuos muros ſalutem uocabis. Et ibi Hieron. Ipſe Saluator eſt fortitudo murorum Eccleſiæ. Idem in Zachariam: CHRISTVS Paſtor eſt, quia nos regit: & Oſtium, quia per eum in Eccleſiam & ad Patrem ingredimur: & Murus igneus in circuitu, ut credentes & habitantes in medio calefaciat, qui prius frigore caritatis intepuerant, ut poſsint ſpiritu eſſe feruentes. Lupos autem & ſæuiſsimas Beſtias, de quibus ſcriptum eſt: Ne tradas Beſtijs animam confitentem tibi, & quorũ fructus eſt fœnum, lignum, ſtipula, & afferunt tribulos & ſpinas, &c. ſuo igne conſumat: & qui aduerſarijs ignis eſt, ſit in medio credentium gloria. Quòd autem murus Ieruſalem ſit DOMINVS, & in alio loco legimus: Montes in circuitu eius, & DOMINVS in circuitu ſui populi.

Hæc ille.

DE BEZETHA QVARTO MONTE, SVBVRBIA, SECVNDA DICTA, & Neapolim ſeu Nouam continente Vrbem.

LIBER V.

SOPHON. I.

Illa die erit eiulatio in Secunda, & ingens contritio in collibus.

APOCAL. XXI.

Ego Iohannes uidi Ciuitatẽ ſanctam, Ieroſolymam nouam, ex cœlo à Deo deſcendentẽ, & audiui magnam uocem dicentẽ: Ecce Dei cum hominibus Tabernaculum, & habitabit cum eis.

TERTVL. III. ADVERS. MARC. LIB.

Ieruſalem matrem noſtram Apoſtolus ſurſum deſignat, & municipatum noſtrum in cœlis eſſe pronunciat, Hanc & Ezechiel nouit, & Iohannes Apoſtolus uidit: Conſtat etiam Ethnicis quoque teſtibus, in Iudæa per dies quadraginta matutinis momentis Ciuitatem de cœlo pependiſſe omni mœniorum habitu, euaneſcentem de profectu diei.

CAP. I.

משנה·

Λόφος Βεζέθα.

Suburbia, Secunda.

Vrbis iam ſequitur deſcriptio parua Secundæ,
Auctis quæ populis ædificata fuit.

HISTORIA.



RESCENTE populi multitudine, cœperunt foris antiquum murũ, ad ſeptentrionalem tractũ, Suburbia ædificare, in præalto monte, qui ea parte cõtra Templum & Antoniam ſitus erat, foſsis tamen profundiſsimis ſeparatus: indigena uoce Bezetha eſt appellatus, Ioſeph. de Bell. lib. 6. cap. 6. Bezetha.

A quo mõte & ea Suburbia Bezetha, aliâs noua Ciuitas ſunt denominata: in ſacris literis Secunda, à Ioſippo Secunda Domus, Chaldæo Paraphraſtæ Domus diſciplinæ, nuncupantur. Poſſemus etiã Mediam Vrbem appellare, 4. Reg. 22. 2. Par. 34. Sophon. 1. Ioſeph. de Bell. lib. 6. cap. 6. Egeſipp. lib. 2. cap. 15. Hieron. Quæſt. in 2. Paral. Locus erat Ieroſolymis extrà murum, id eſt, inter murum (ueterem) Ciuitatis & antemurale, qui uocabatur Secunda, cuius fit mentio in Sophonia Propheta his uerbis: Erit uox clamoris à porta Piſcium, & ululatus in Secunda, & contritio magna in collibus. Secunda.

In Secunda, poſt demigrationem præcipuè ex Babylone, Sacerdotes, Cantores, Prophetæ & ſimiles de antiquo Aharonis orti ſtemmate nobiles Viri: ut in prima ueteri Vrbe Reges, ſummi Sacerdotes atque item alij degebant.

CAP. II.

בית חלדה הנביאה·

Domus Huldæ Prophetiſſæ.

Hulda ſuburbanis Vates habitabat in oris,
Quæ fari poterat multa futura Viris.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Hulda.



VLDA Prophetiſſa in Secunda habitauit, de qua Lib. 4. Reg. 22. 2. Par. 34. & apud Ioſeph. Antiq. 10. cap. 5. in hanc ſcribitur ſententiam: Cum Ioſias audiſſet uerba Libri Legis, diſcidit ſibi ueſtimenta, & conuocatis intimis aliquot amicis, ſuoq́ue ſcriba Saphano & Hilcia Pontifice, miſit eos ad Prophetiſſam Huldam, Sellumi Thecuæ filij, Harami nepotis ueſtium cuſtodis uxorẽ, Ieroſolymis in Secunda habitantẽ, ut ea DOMINVM pro Rege, proq; populo & omnibus Iudæis ſuper uerbis Libri Legis conſuleret: timendum enim eſſe, ne propter neglectas à Maioribus leges Moſis graues caſus immineant, néue eiecti patrio ſolo, in externis regionibus deſtituti omnibus commodis miſerè uitam finiant. Auditis igitur Regijs Legatis, Prophetiſſa iubet ei renunciari, quòd Deus ſemel contra eos ſententiam tulerit, quæ nullis ſupplicationibus irrita fieri poſsit, ut ſcilicet populus eijciatur proprijs ſedibus & omnibus præſentibus commodis, propter idololatriam & nõ ſeruatas Leges, mulctetur: quandoquidem conceſſo ad reſipiſcendum tanto temporis ſpacio, ne Prophetarum quidem ullis hortatibus ad ſaniorem reuocari mentem potuerit, debitas impietatis pœnas prædicentium: & ideò decretum id mutari non

Huldæ prophetia.

ri non poſſe,ut ipſo euentu diſcant eſſe Deum,& in Prophetarũ eius prædictionibus nihil ineſſe mendacij, quibus certam ſuam uoluntatem hominibus indicare ſolet: Attamen quia Rex ſe coram Deo ſummiſerit, dilatandam aliquantiſper imminentem calamitatem: ſed ab eius obitu præfinita iam antè mala in populum certò mittenda eſſe, &c. Vbi Eucherius: Quid eſt quòd ſcribitur Huldam habitaſſe in Secunda? Reſponſio: In ſecunda ſcilicet parte, Legitur enim in ſuperiori parte huius quarti Libri de Rege Ezechia: Aedificauit quoq; omnem murum qui fuerat diſsipatus, & extruxit turres,& forinſecus alterum murum. Meminit huius loci &Sophonias,dicens: Vox clamoris ad portã Piſcium, & ululatus in Secunda: pro qua uetus editio quaſi proprium nomen loci tranſtulit in Maſana,Maſana quippè interpretatur Secunda. Quòd ergo dicitur hęc Prophetiſſa habitaſſe in Seçunda,in ſecunda Ciuitatis parte intelligere debemus. Et Hieronym.Hulda uxor Sellumi auunculi patris Ieremiæ habitauit in Secunda,id eſt, extra murum in loco,qui Secunda uocabatur. Hæc mulier tempore uicinæ captiuitatis tacentibus uiris prophetauit.Idem aduerſus Iouinianũ:Nec mirum ſi Hulda Prophetiſſa cõſulatur ab Ioſia Rege, Iudæ iam captiuitate uicina, & ira DOMINI ſuper Ieruſalem ſtillante, cum hæc norma ſit Scripturarum, ut deficientibus uiris ſanctis mulieres in uirorũ laudentur opprobrium. Idem ad Euſtocheũ: Hulda uiris tacentibus prophetauit,ut uideamus in CHRISTI ſeruitute nequaquam differentiam ſexuum ualere, ſed mentium.

Vide eundẽ Epiſtola ad Princip iam & Prologo in Sophoniam.

Veterũ Patrũ cõmune eſt dictum: Gratiam Dei neq; naturæ deberi neq; perſonæ.

CAP. III.

בית הכהנים·

οἶκος τοῦ ἱερέως ζαχαρίας.

Domus Zachariæ Sacerdotis.



Zacharias noſtris & Eliſabeth ædibus alma
Diuum Baptiſtam progenuêre ſenes:
Hìc infans utero matris concluſus adorat
(Exultans) parui numina magna Dei.

HISTORIA.

Habitatio Sacerdotum.



QVANDOQVIDEM Nehemias 3. ait cap. Cohanim, id eſt, Sacerdotes poſt Babylonicam captiuitatem à porta Equorum, in Suburbijs ſita, inſtauraſſe: hinc colligere licet ibidē & Zacharię Sacerdotis eiusq; uxoris Eliſabethę Aarone prognatæ Domum fuiſſe, ex quibus iam uietis, & Eliſabetha ſterili miranda Dei uirtute, internūcio Angelo Gabriele, ut Lucas hanc deſcribit hiſtoriam, Iohannes Baptiſta

ptiſta natus, & iam inde à matris ſuæ utero Spiritu ſancto repletus eſt, Luc.1.

Hìc Maria DOMINI mater iam grauida Eliſabethã ſuam cognatam itidem grauidã inuiſit, profecta feſtinanter Nazaretha in Montana, in Vrbem Iudeæ (id eſt Ieroſolymã) cumq; ingreſſa Domũ Eliſabetham ſalutaret, exultauit lætitia infans Eliſabethę in utero, Luc.1. Famulo nimirum in utero adhuc cõcluſo DOMINO, qui & ipſe in utero geſtabatur Virginis, aſſurgente, debitumq; adorationis honorem ſanctius dicante, Nicep. lib.1. Hiſt. Eccleſ. cap. 8.

Beda in 2. Lucæ cap. Mariã Euangeliſta hic mox Domino concepto Ieroſolymã mittit, domũ Sacerdotis intromittit, ibi & Baptiſtã natum refert. Auguſt. Hom. de Temp. Salutauit Iohannes ex utero in utero Saluatorem.

Hìc Maria cũ Eliſabetha cõmorata eſt circiter menſes tres, ſanctis colloquijs amicisq; anum obſequijs ſubleuans, deinde domum reuertit.

Hìc eadẽ magnificauit DOMINVM ſuũ Seruatorem, qui ſuã reſpexerit humilitatẽ, ſibiq; magna fecerit, & nunc demũ (eo ipſo partu quẽ ipſa in utero geſtaret) ſubuenerit Iſraelitis: ſuæ clementiæ memor, quemadmodũ Abrahamo & eius futuræ poſteritati promiſerit.

Hìc Eliſabetha ſancto repleta Spiritu, ſacrũ Mariæ uentris fructũ benedictum, Mariamq; inter omnes laudatas mulieres benedictã, & ſui matrem DOMINI uocauit, Verbo ſcilicet fœtam Deo.

Ambr. Mater Domini Verbo fœta Deo plena eſt.

Hìc etiã Zacharias, eodẽ perfuſus Spiritu, benedixit Domino Iſraelis Deo, qui ſuo populo redemptionẽ fecerit, erecto cornu ſalutis in Dauidis ſui pueri Domo, ſicut per os ſanctorũ ſuorum Prophetarũ locutus ſit, ut uteretur miſericordia erga Patres, ac ſui ſancti Teſtamenti recordaretur, præſtans iuſiurandũ quod Abrahamo Patri iurârit, ubi nos Ortus ille ex alto uiſitauit, ad illuminandos eos qui in tenebris & mortis umbra poſiti ſunt, & ad dirigẽdos pedes noſtros in uiam pacis, Luc.1.

CAP. IIII.

DE HERODIS AEDIFICIIS IN SECVNDA.

Turribus Herodes ternis aulaque decora
Tecta Suburbani cinxerat alta soli.

HISTORIA.

Herodis ædificia.



ERODEM Maiorem Domũ Secundam (id est, Suburbia, Secunda dicta) super omnes Reges ædificijs plurimũ ditasse, Iosippus auctor est. Et Iosephus 6. de Bel. cap. 6. ita scriptum reliquit: Herodes proprijs indulgens affectibus, tres Turres in antiquo ad Septentrionalem regionem muro ædificauit, magnitudine, decore, ac firmitate uniuersis quæ toto orbe essent præstantes: nam præter quòd per se sublimis admodum magnitudinis erant, ex eo tamen quòd in muro, qui & ipse excelso loco fuerat conditus, consistebant, multò uidebantur esse maiores. Mirabilis etiam in ijs fuit lapidum magnitudo, nec enim ex uulgaribus saxis, aut quæ homines ferre possent, uerùm secto marmore candido, & singulis per 20. cubitos longis, latisque decem, ac per quinque altis erant ædificatæ: quæ ita inter se copulata erant, ut singulę turres singula uiderẽtur saxa: sic autem manibus artificûm in faciem angulosque formata, ut nusquam iunctura compaginis appareret: Hisq; eo modo ad Septentrionẽ positis, intùs aula Regia coniungebatur, narratione omni præstantior.

Herodianæ turres destructa Vrbe relictæ sunt.

Titus expugnatam Vrbem funditùs cum Templo excindi iussit, relictis tantum his tribus Herodianis turribus,

ribus pręter alias eminentibus, muriq; tanto, quantum Ciuitatem ab occidente cingebat, ſpacio: id quidem ut eſſet caſtrum illic cuſtodiæ cauſa relinquendis, Turres autem ut poſteris indicarent, qualem Ciuitatē, quamúe munitiſsimam Romanorum uirtus obtinuiſſet. Huic Titi mandato milites parentes, alium totius Ciuitatis ambitum ita complanauêre, ut qui ad eam acceſsiſſent, habitatam aliquando eſſe uix crederent. Ioſeph. de Bell. lib. 7. cap. 18. Sed tandem Hadrianus & turres illas cum relicto diruit muro, quò CHRISTI prophetia omninò compleretur, non relinquendum, dicentis, uſquam de Vrbe lapidē in lapide, Luc. 19. Sed libet plura ſigillatim de Herodianis iſtis ædificijs ex Ioſepho afferre. *Deſtructio Herodianarū turrium.*

CAP. V.

Πύργος τοῦ ἱππικοῦ.

Turris Hippicus.

Prima quidem Turris fuit Hippicus alta Tyranni:
Hippicus inſigni robore conſpicua.

HISTORIA.

PRIMAM igitur ex nuncupatis iam Turribus Rex amici ſui Hippici in bello amiſsi nomine Hippicum denominauit, quę quatuor angulis erat, habens & in latitudine & in longitudine 25. cubitos, excelſa 30. nuſquam inanis: ſupra ſoliditatē uerò ſaxiſq; adunatam compaginem ciſterna 20. cubitis alta erat, imbribus excipiendis: ſuper hanc autē duplici tecto domus, 25. cubitis alta, inq; uaria diuiſa membra: & deſuper eam minæ quidem binis propugnacula uerò ternis cubitis ambiebant: ut omnis altitudo ad octoginta quinque cubitos numeraretur. *Hippicus.*

CAP. VI.

פסילן·

Φασαγλόμ.

Phaſelus.

Altera quam ſtruxit Turrim Rex, dicta Phaſelus
(Captiui proprio nomine fratris) erat:
Illius ad ſuperas tendebant culmina nubes,
Stabat & in formam turris amœna pilæ.

HISTORIA.

Ioſeph. Antiq. lib. 14. cap. 25. Lib. 15. cap. 1. De Bell. lib. 1. cap. 11. Egeſip. lib. 1. cap. 29.



ECVNDAM Turrim nomine fratris Phaſeli (qui captus à Parthis, cum nec ferri copiam nec manus liberas haberet, ad ſaxum fracto capite uitam abruperat) Phaſelidem ſeu Phaſelum appellauit.

Phaſelus.

Hæc æquè lata fuerat ac longa, cubitis quadragenis: per totidem autem cubitos in pilę modum facta, & ſolida eius altitudo ſurgebat: & ſuper hanc decem cubitis ædita Porticus erat, inſtructa brachijs, itemq; propugnaculis ſepta. In media uerò Porticu ſupereminens alia turris ſtabat, in membra magnifica & balneas diuiſa: in ſummo autem propugnaculis minisq; erat ornata, cum omnis eius celſitudo propè ad 90. cubitos tolleretur: & ſpecie quidẽ uidebatur aſsimilis Phari turri, quæ Alexandriã nauigantibus ignem procul oſtendit: ambitu uerò ampliore dilatabatur: Ioſeph. de Bello lib. 6. cap. 6. Et lib. 1. cap. 16. Lib. 2. cap. 2. ac 17. Antiquitat. lib. 17. cap. 12.

Phari.

CAP.

CAP. VII.

מִגְדַּל מִרְיַמִּי׃

πύργος μαριάμμης.

Turris Mariammes.

Struxerat in laudem Mariammes coniugis arcem
Rex aliam, qua uix maior in orbe fuit.

HISTORIA.



ERTIA Turri Rex dilectißimæ suæ coniugi Mariamme perpetuam statuit dedicare memoriam, imposito ei Mariammes nomine. Mariammes.

Hęc ad uiginti usque cubitos farta, per uiginti alios cubitos in latitudinem tendebat, magnificentioraque & cæteris ornatiora sustinebat diuersoria: cum id proprium, seque dignum esse Rex putauisset, ut uxoris nomine appellata Turris, plus haberet pulchritudinis, quàm quæ uirorum nominibus uocitatæ sunt: sicut illæ hac munitiores erant, cui fœmina nomen dederat, & cuius omnis altitudo per quinquaginta quinq; cubitos erigebatur, Iosephus de Bello lib.6. cap.6. Libro 2. capite 17.

CAP. VIII.

αὐλὴ τοῦ βασιλέως.

Aula, Regis Herodis Castellum.

Post modò descriptas turres Rex condidit aulam,
Qua nihil in tota clarius Vrbe stetit:
Marmore nam gracili, solido quoque nobilis auro
Argentique simul pondere diues erat.

HISTORIA.

Aula Regia.



INTRA iam dictas Turres Aula Regia cõiungebatur, narratione omni præstantior: nec enim magnificentia uel structura operis aliqua ex parte superari poterat: sed tota quidẽ muro per 30. cubitos edito cincta erat: æqualis autẽ distantiæ turribus ornatissimis ambiebatur, ornata uirorum receptaculis & Cœnaculis lectorũ centum capacibus. Inenarrabilis autem in ea marmorum uarietas fuit, collectis ibi plurimis, quæ ubique rara uidebantur, & fastigia simul proceritate trabium & ornamentorum claritudine mirabilia: membrorum etiam multitudo, & innumeratæ ædificij species, plenaque omnia suppellectilis, cum pleraque in singulis ex auro essent atque argento. Adhæc multæ Porticus, alia per aliam in circulum flexæ, columnæq; in singulis, & quæ inter eas sub dio patebant spacia, cum essent utiq; uiridarijs syluisq; uariegata, tum prolixas habebat ambulationes altis euripis cinctas: cisternas ubiq; signorum æneorũ plenas, quibus aqua effundebatur: multasq; turres mansuetarũ circum latices columbarũ. Hæc aula ab insidiatoribus intestinis in principio statim dissensionis Iudæorũ cum Romanis incẽsa atq; destructa est. Ios. de Bel. lib. 6. ca. 6.

Vadia-

Vadianus arbitratur hanc fuisse Regiam, quo Christus pasionis suæ tempore ad Herodem Antipam, Galileæ Tetrarcham, Iohannis Baptistæ interfectorem, à Pilato dimissus dicitur: quam rem Lucas 23. cap. his describit uerbis: Pilatus audita Galilæa, interrogauit an IESVS Galilæus esset, Et postquam eum ad Herodis pertinere potestatem cognouit, misit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis per eos dies erat. Herodes autem uiso IESV ualdè gauisus est: à multo enim tẽpore eum uidere cupiebat, eo quòd multa de eo audiret, & se aliquod ab eo signum fieri uisurum speraret (Verũ licet) eum multis sermonibus interrogauerit, ille nihil ei respondit (quamuis etiam) Sacerdotũ Principes, qui astabant, & Scribæ, eum ualdè constanter accusarent. Itaq; despicatus eum Herodes cum suis agminibus ac ludificatus, amictum ueste splendida ad Pilatum remisit, factique sunt inter sese amici Pilatus & Herodes eo ipso die: nam antea inimici inter se erant.

Christus in Herodianam Regiam ad Herodem Antipam missus.

INTERPRETATIO.

HAnc historiam Tertullianus lib. aduersus Marcionem 4. prophetica adducens præsagia, sic illustrat: CHRISTVS Herodi uelut munus à Pilato missus, Oseæ uocibus fidem reddidit: de CHRISTO enim prophetauerat: Et uinctum eum ducent xenium Regi. Delectatus est denique Herodes uiso IESV, nec uocem ullam ab eo audiuit: Tanquam Agnus enim coram tondente, sic non aperuit os suum, quia DOMINVS dederat illi linguã disciplinæ, ut sciret quomodo eum oporteret proferre sermonem: illam scilicet linguam, quam in Psalmo adglutinatam gutturi suo, tum probabat nõ loquendo. Tertulliano similia ferè Cyprianus Expositione Symboli his uerbis scribit: Quòd CHRISTVM

Esa. 53.
Psal. 21. 38.

Pilatus misit ad Herodem, qui erat tunc Rex in Israele, presignificauit etiam hoc Propheta, ubi dicit: Et alligantes adduxerunt eum ad Xenium Regis Iarim: Benè addidit Propheta nomen Iarim, quod est syluester: non enim erat Herodes (paterna linea) de domo Israel, nec de uinea Israelitica, quam eduxit DOMINVS de Aegypto, & plantauerat in cornu, in loco uberi: sed erat syluester, id est ex sylua alienigenarum, Et ideò syluester appellatur, quasi qui de Israeliticæ uitis nequaquam palmitibus pullulasset: Sed & quod ait Propheta, Xenium, conuenienter aptauit: tunc enim Herodes & Pilatus ex inimicis in concordiam reuocati sunt, & uelut reconciliationis suæ Xenium uinctum sibi inuicem mittebant IESVM. De Pilati & Herodis super IESV reconciliatione sic Theophylactus: Attende Diabolū ubique coniungentem disiuncta, ut saltem CHRITSO mortem properet: In unam enim conspirationē copulat & conciliat inimicos: Non confundimur igitur nos, siquidem ille inimicos pacificat ut CHRISTVM occidat, nos propter nostram salutem neq; amicos seruamus in officio? Et Beda: Hoc nefandissimū Herodis & Pilati fœdus, quod in occidendo CHRISTO pepigerúnt, hactenus eorum uelut hæreditario iure successores custodiunt, quando Gentiles & Iudæi sicut genere & religione, ita etiam mente dissidentes, in Christianis tamen persequendis, Christiq; in eis fide perimenda, consentiunt.

CAP.

CAP. IX.

Στρατόπεδον.

Hæc domus à rigido deduxit milite nomen,
Quà iacuit clauso carcere turba nocens.
Hìc quoq; credibile est Petrum nil tale merentem,
Agrippa, imperio uincla tulisse tuo.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

ROPE hanc Regiam & alia cõstitit Domus, à Regijs eam incolentibus administris, Stratopedon dicta, Ioseph. de Bell. lib. 2. cap. 17. *Stratopedon.*

Hìc, ut uidetur, carcer fuit, in quem Herodes Agrippa D. Petrum compegerat: id Luca 12. Actor. cap. subscriptis propemodum enarrante uerbis: Cum uidisset Herodes Iudæis gratum esse, quòd Iacobũ Iohannis fratrem (ob nominis IESV professionem) gladio sustulerat, perrexit & Petrum compræhendere (facinus adijciens facinori, & fore sperans, ut submotis præcipuis Doctorib. grex deinde sine ullo dissiparetur negotio. Quò minus aũt & hunc statim occideret obstitere qui tum) erant dies Azimorum (apud Iudæos eximiè religiosi, quo tempore IESVM etiam ueriti fuerant Iudæi occidere) Comprehensum igitur Petrum posuit in carcerem, ac (ne qua posset elabi aut ui eripi) eũ quater quaternis militibus asseruandũ tradidit: decreuerat (enim) eum (ceu gratam uictimam) post Pascha producere populo (innoxiorum sitienti sanguinẽ) Ita Petrus in carcere seruabatur (ibi festum agens) Interea fiebat pro eo (eiusq; uindicatione) assidua ab Ecclesia oratio ad Deũ. Quum uerò (peractis diebus festis) Herodes esset illum

Fuit & aliud Stratopedõ in Prætorio, pro Prætoris stipatoribus.

Carcer in quẽ Petrus compactus.

Hæc est carnalis Iudæorum in obseruãdis festis religio, non uereri litare populo innocẽtis hominis sanguine, sed uereri uiolare festũ diem, quasi purus ab homicidio sit, qui iam decreuerit occidere.

Qualis populus talis Rex.

productûrus(ad populum,commodùm)ea nocte(quę diem educendi præcedebat) Petrus dormiebat inter duos milites, duabus catenis uinctus (Cæteri)custodes ante ostium carcerē seruabant. Et ecce superuenit (repentè) Angelus DOMINI, simulque lux(admiranda) in eo fulsit habitaculo(discussa caligine tū carceris tum noctis) percussoque Petri latere eum excitauit, dicens: Surge uelociter, & (protinus ad hanc uocem) exciderunt cathenæ ex eius manibus, dixitque Angelus: Præcinge te,ac me sequere. Itaque egressus (Petrus,præcedentem Angelum)sequebatur,neque uerum esse,quod per Angelū fieret,intelligebat, sed se uisum uidere existimabat. Quumq; primam & secundam præterijssent custodiam,uenerunt ad portā ferream,quæ(sua)spontè eis aperta est. Et egressi uicum unum processerunt, tumque statim discessit ab eo Angelus, Et Petrus,ut ad se redijt (ita) dixit: Nunc uerè scio (non esse somnium quod geritur,sed) DOMINVM (suorum misertū) misisse suum Angelum, & me ex Herodis manu (qui me Iudæis immolare decreuerat) & omni Iudaicæ plebis expectatione eripuisse(simul tum Regis eludens crudelitatem,tum plebis auidam expectationē) Orta autem die erat non paruus inter milites tumultus, quidnam (de)Petro factū esset. Herodes uerò quum eum requisisset(ut productus condemnaretur) nec inuenisset,habita de custodibus quæstione,eos abduci iussit,&c.

Quos deus seruare uult, eos æquidē in summa pericula uenire patitur, at non perire.

Hac historia docemur: Primò,quænam Tyrannorum immundi mundi sint studia,ut scilicet Christiano sanguine, precioso alioquin in Dei conspectu, popularem colligant uentum, suamque dominationem,præterita omni iustitia, quouis stabiliant modo. Deinde,si fideles omnia, quæ eis ueritatis obueniunt nomine,exemplo Petri in media carnis afflictione profundo correpti

Psal.105.

repti

repti ſomno, ſecurè DOMINO committant, non dormitaturum neque dormiturum cuſtodem Iſraelis; uerùm eos ab omni tandē malo uel de improuiſo ereptu-rum eſſe. Tum autem præſentibus periculis orationi alteros pro alteris ſedulò inſiſtere, in eaque pernoctare etiam debere, quomodo Ieroſolymitanam pro captiuo feciſſe Petro Eccleſiam, & oportuno exauditā eſſe tempore, uidemus. Pſal. 120, 144. 145.

*S*tratopedon à ſeditioſis, ante ultimā obſidionem, Iudæis direptum & incenſum eſt, Ioſeph. de Bello lib. 2. cap. 17. Agrippa autem diuina uindicta à uermibus eroſus, acerba uitam morte finiuit, Actor. 13.

CAP. X.

Ζωγροτρόφιον.

Viuarium.

Hìc ferus Herodes Viuaria dira parabat,
Ritibus inuertens iura uetuſta nouis.

HISTORIA.



AC forſan Vrbis parte & Viuarium illud fuit, quo Herodes Leones, Pardos, Apros, Lupos, & alias ferocitate eminentes raraſq; inuentu beluas recludebat, eaſq; modò inter ſe, modò cum damnatis hominibus committebat: quæ peregrinis quidem ſpectatoribus plurimū admirationis ſimul atq; delectationis afferebant, indigenis uerò prorſus ad patriæ diſciplinæ diſſolutionē tendere uidebantur: impium enim putabant, ex ſpectandis hominibus cum beſtijs commiſsis, uoluptatem crudelem captare homines: abſurdum æquè ſuas cum peregrinis moribus *Ferarum cum hominibus cō miſsio.*

permutare leges. Gorion Hiſtoria Iudaica lib.5. cap.22. Ioſephus Antiquit.lib.15.cap.11.

INTERPRETATIO.

QVemadmodum uerò id temporis ferinæ iſtæ pugnæ contra receptos fiebant mores, & Herodes, ut quidem eum Iudaici apud Cæſarem legati accuſarunt, eo modo ſubditis præerat, acſi ſæuiſsimæ Beſtiæ in ipſos commiſſum fuiſſet imperium: Ita quoque & tum Iſraeliticæ Synagogæ Vinea Phariſæorum, Legiſperitorum & Herodianorum deuaſtabatur placitis, & deinceps Chriſtiana Eccleſia falſis Pſeudoprophetarum doctrinis deuaſtari cœpit: id Dauide Pſalmo.80.huiuſmodi deplorante uerbis: DOMINE, cur tuæ Vineæ diruiſti ſepem, ut ab omnibus carpatur uiatoribus? Aper ex ſylua eam deuaſtat, & fera agri depaſcitur eam. Deus Sebaoth conuertere quæſo: aſpice de cœlis, & hanc Vineam reſpice atque uiſita, Perfice uitiarum, tua quod dextera conſeuit, & propaginem illam quam tu tibi roboraſti, Incenſa igni & ſuffoſſa tua increpatione peribunt.

CAP.

CAP. XI.

מגדל התנורים.

Πύργος κλιβανῶν.

Turris Furnorum.

Furnorum Turris claram nitidissima lucem
Edidit, accendens igne micante facem:
Sic etiam CHRISTVS tenebras expellit opacas,
Protinus illustrans lumine corda nouo.

HISTORIA.



NEHEMIAS turrim quandam in Suburbijs sitam Thanurim nuncupat, Cap. 3. ita scribens: Alteram (Vrbis) partem & turrim Thanurim instaurârunt Malcijas & Hassubus. Et 12. Dimidia pars populi (erat) in muro (antiquo) à turri Thanurim usque ad latiorem (Suburbiorum) murum. *Thanuris.*

INTERPRETATIO.

THanurim Græci κλιβάνων, Latini furnorum Turrim interpretantur: sic forsan dicta, quòd ex ea ignis accensus lumen noctu ambulantibus præberet, prout de Phare Alexandriæ turri legitur: Sicque Deum & eius CHRISTVM adumbrare poterat, cui Dauid 2. Reg. 22. hoc modo supplicat: Tu mea lux DOMINE, qui meas discutis tenebras. De cœlesti etiam noua Ierosolyma Esa. 60. & Apoc. 21. scriptũ est, eam non egere Sole neque Luna, ut in ea luceant: Dei enim claritatem eam collustrare, eiusque lucernam Agnum esse. *Thanuris notatio & mysterium.*

CAP. XII.

Τεῖχος δεύτερον.

Murus Secundus.

Hiskias mediæ Murum circundabat Vrbi,
Qui bis ſeptena turre ligatus erat:
Præſidium nobis & murus aheneus eſto
CHRISTVS (in æterna luce parentis) ouans.

HISTORIA.

TANTVM de Bezethæ ædificijs pro hoc tempore conquirere potuimus, cuius mœnia, poſt Vſiæ aliorumque Regum inchoatam ſtructuram, Hiskias Rex abſoluit atque firmauit. 2. Paral. 32. Hiskias omnem dirutum murũ inſtaurauit, turres quoque deſuper & foris (circum Suburbia) alterum conſtruxit murum. Nehemiæ uidetur latior dici murus, ſic enim ille cap. 3. Vziel & Hananias Ieroſolymam uſq; ad latiorem murum reſtituerunt. Secundum hos ædificauit Rephaias princeps dimidiæ partis Ieroſolymorũ. Et 12. Dimidia pars populi erat ſuper muro (antiquo) à turri furnorum uſque ad latiorem murum. Ioſephus lib. 6. de Bello cap. 7. 8. 10. 11. ſecundum uocat murum. At 6. cap. eundem nominatim his deſcribit uerbis: Secundus murus à porta quidẽ habebat initium, quam Gennath appellabant: hæc autem fuerat muri prioris, ſeptentrionalẽ uerò tantummodo tractum ambiens, uſque ad Antoniã deſcendebat, diuiſus in quatuordecim Turres.

Deſcriptio muri Secundi.

INTER

INTERPRETATIO.

HIskias ſecundi muri exædificator, Latinis fortitudinem ſeu uirtutem DOMINI, Vziel, qui ad eundem uſque murum conſtruxit potentiam DOMINI, Hananias huius ſocius gratiã DOMINI, Rephaias uerò princeps mediæ Vrbis medicinam DOMINI ſonat. Hi omnes ſuis & nominibus & factis CHRISTVM, aheneum illum noſtrum murum, deſignârunt: Is enim 1. Corin. 1. uirtus ſeu potentia Dei, Hebr. 4. gratiæ thronus, uocatur. Idem 30. apud Ieremiam cap. cœleſtem ſuam Ieroſolymam his conſolatur uerbis: Ego incolumitatem tibi pariam, & te à tuis uulneribus ſanabo: Aedificabitur Vrbs ſuper collem ſuum. Et 33. Ego eis incolumitatem remediumq; pariam, & eis medebor, ampliſsimamque pacem atq; ueritatem manifeſtabo. Ego Iudæ & Iſraelis captiuitatem reducam, eoſque inſtaurabo ut olim fuerant.

Hiskias. Vziel. Hananias. Rephaias.

CAP. XIII.

Πύργ☉ Ανανεὴλ.

Turris Hananeel.

Hananeel turris media ſupereminet Vrbe,
　Nomina quippè trahens de bonitate Dei:
Ergo pios placidi defendit gratia CHRISTI,
　Firma quibus cuncto tempore turris erit.

HISTORIA.


SECVNDO Paral. 26. de Vzia ſic ſcriptũ eſt: Aedificauit turres Ieroſolymis ad portam anguli, & ad portam uallis, & ad (muri) uerſu-

ram, easque muniuit. Et apud Iosephum 9. Antiquit. 11. Quicquid mœniûm uel uetustate uel superiorum Regum incuria labefactum erat instaurauit, atq; eam quoque partẽ quam Amasa diruerat: Addidit insuper non paucas turres centum quinquaginta cubitorum altitudinis. In his uerò turribus & ea, quam sacræ Literæ Hananeelem uocant, numeranda esse uidetur, Nehem. 3. Sanctificauerunt Vrbem usque ad turrim Hananeelem, Cap. 12. Media pars populi ibat super muro à turri furnorum præter turrim Hananeelis. Ieremiæ 31. Ecce dies uenient, inquit DOMINVS, cum ædificabitur Ciuitas DOMINO à turri Hananeelis, usque ad portam angularem, præter quam exibit porrò mensoria linea ad collem Gareb, Goathamque circuibit, ac totam Phagarim cinerumque uallem, totamq; Scheremotham: usque ad torrentem Cedronem, usq; ad angulum portæ Equorum ad orientem, erunt Sancta DOMINI. Zachar. 14. Ierosolyma exaltata firma manebit à turri Hananeelis usque ad Regia torcularia, in eaq; habitabunt, nec ullum deinceps anathema erit, sed secura sedebit Ierosolyma.

Hananeel.

INTERPRETATIO.

ADducta Prophetarum uerba Hieronymus eiusmodi mystica dilucidat interpretatione: Nos inuocantes Dominũ Saluatorem qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, qui signatum quoque Esaiæ librum & omnium Prophetarum aperuit, & adorauerunt uiginti quatuor Seniores tenentes citharas, quòd solus potuerit reserare mysteria: aggrediamur ædificiũ Ciuitatis, ad quam Propheticus sermo dirigitur: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Et: Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Aedificatur itaq; Ecclesia à Turri

Esa. 22. *Apoc. 3.* *Psal. 86.* *Psal. 45.*

Turri obedientiæ, ſiue gratiæ & donorum Dei, hoc e-
nim interpretatur Hananeel, uſque ad portam Angu- חננאל.
li: quæ licet uideatur initium habere ſublime, quandiu
in iſta carne ſubſiſtimus, rectam ueritatis lineam (per-
fectè) non poſſumus poſsidere: ſed in angulis ſtamus &
fractis lineis: Exitque ultra funiculus menſuræ contra
eam, id eſt, portam anguli, ſuper collem Gareb, qui in גרב.
lingua noſtra uertitur aut incolatus, aut ſcabies: ut do-
ceat nos aduenas eſſe atque peregrinos, qui nec auribus
prurientes erimus, nec ad peſsimorum dogmatum no-
uitatem facilè conſenſum præbebimus. Et circuibit,
inquit, Goatha, pro quo interpretati ſunt LXX. per gy- געתה
rum, ut de electis lapidibus intelligatur, qui uoluuntur
ſuper faciem terræ, & angulari lapide conſtringuntur,
dicente Apoſtolo Petro: Et ipſi tanquam lapides uiui 1. Pet. 2.
ſuperædificamini Domus ſpiritualis. Et omnem, dicit
porrò, uallem Phagarim, quod interpretatur ruinarum פגרים.
& cineres, ſubauditur circuibit: ut quanquam nobis ui-
deamur in collibus, tamen ſemper timeamus ruinas,
& conſideremus cineres, ac pœnitentes cum Dauid di- Pſal. 101.
camus: Quia cinerem quaſi panem manducaui, & po-
culum meum cum fletu miſcebam. Et uniuerſam, in-
quit, שרמות quod nos uertimus regionem mortis,
Aquila ſuburbana uertit: Regio autem mortis, regio
peccatorum eſt, & ſuburbana regio uoluptatum, quæ
pergit uſque ad torrentē Cedron, ubi traditus eſt DO- סדרון.
MINVS, qui interpretatur tenebræ. Vide quanta lo- Ioan. 18.
ca recenſentur, Audis angulos, audis ſcabiem, audis rui-
nas, & cineres, & regionem mortis, & tenebras, & tua
uirtute & impeccantia gloriaris? Denique ſequitur:
Et uſque ad angulum portæ Equorum ad Orientem,
ut indigere nos doceat curſu atque certamine, ſi tan-
dem cum DOMINO audire merebimur. Aſcendiſti Abac. 3.
equos tuos, & equitatio tua ſalus. Idem in Zachariam:

Relinquamus ſimulatos, & ad firmos atque robuſtos angulos CHR STI tranſeamus, ad quos cum peruenerimus, ſtatim nobis occurrit turris Hananeel, quod interpretatur gratiſsimus Dei: Quid enim turre illa gratius? de qua dicitur: Deduxiſti me, quoniam factus es mea ſpes, turris fortitudinis à facie inimici. De turre Hananeel tranſimus ad Regis torcularia, de quibus DOMINVS dicit in Eſaia: Torcular calcaui ſolus, ut exuperet in illis noſtra uindemia, & exprimamus botros, & rubentia in CHRISTI ſanguine muſta calcemus, ut bibamus uinum quod lætificat cor hominis. Et Sponſa deſiderat Sponſi ſodalibus, loquens: Inducite me in cellam uini, ponite ſuper me charitatem. Si nos iſtiuſmodi inebriarint torcularia, habitabimus in Ieruſalem, in qua anathema ultra non erit, maledictio uidelicet & abominatio. Vnde dicit Apoſtolus: Si quis non amat DOMINVM, anathema ſit. Et alio in loco: Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema IESV. Ablato autem omni anathemate, habitabitabit Ieruſalem ſecura atque confidens, & illud in ſe exprimens: Qui confidit in DOMINO, beatus eſt. Et: Benedictus erit homo qui confidit in DOMINO.

Pſal. 60. Eſaiæ 63. Cant. 2. 1. Cor. 16. Ierem. 17.

CAP.

CAP. XIIII.

ביה חרתא·

Καινὴπολις.

Noua Ciuitas.

Tertia pars Vrbis, poſtremaq; mœnia reſtant
Quæ καινηπόλεως nomen aduſque gerunt:
Scilicet hæc nobis Solymæ cœleſtis adumbrant
Mœnia, quæ CHRISTI credula turba colit.

HISTORIA.



VM Vrbs magis magisq; exuperaret multitudine, cœpit populus etiam foris ſecundū murum ſeptentrionali ædificare parte, in eodem monte qui & Suburbia continens, prolixitate directus erat, Ioſephus de Bello lib. 6. cap. 6. Neapolis.

Hancque partem Ioſephus, ut quoque Secundam, Bezetham Chaldaica uoce, & καινήπολιν ſeu καινόπολιν Græcè, Item inferiorem Cœnopolim nominat, De Bell. lib. 6. cap. 6. 7. & 13. Item lib. 2. cap. 24.

Hìc Chriſtiani ferè, itemque Operarij, Coloni, Fabri & peregrini habitabant: Ioſephus eôdem forū materiarum, lanæque & ueſtium mercatum collocat, De Bello lib. 2. cap. 24. Lib. 6. cap. 9.

INTERPRETATIO.

DE ſpirituali noua Ieroſolyma CHRISTVS 3. Apocalyp. cap. ſic inquit: Qui uicerit, eum ego Columnam faciam in Templo Dei mei, ſuperq; eum Dei mei Spiritualis Neapolis.

nomen ſcribam, & nomen Ciuitatis Dei mei, nouæ illius Ieroſolymæ, quæ ex Cœlo à Deo meo deſcendit, itemq́ue meum nomen nouum. Et Iohannes 21. Vidi nouum cœlum nouamq́ue terram: nam prius cœlum, priorq́ue terra abijt: Ego Iohannes uidi Ciuitatem ſanctam, Ieroſolymam nouam, à Deo ex cœlo deſcendentem, paratam, ut Sponſam uiro ſuo ornatam: Audiuiq́ue magnam uocem ex cœlo dicentem: Ecce Dei cum hominibus Tabernaculum, qui cum eis habitabit, & ipſi eius populus erunt, & ipſe Deus erit cum eis Deus eorum. Et is qui in throno ſedebat, dixit: Ecce omnia facio noua. Vbi Auguſtinus: Nouam Ieruſalem cœleſtem Eccleſiam dicit, quę à DOMINO naſcitur: Nouam autem dixit pro nouitate nominis Chriſtiani, & quia ex ueteribus noui efficimur. Et rurſus: Ciuitas in monte conſtituta, eſt Eccleſia, Sponſa Agni: Ipſa enim Ciuitas tunc in monte conſtituta eſt, quando in humeris Paſtoris tanquam ouis ad proprium ouile reuocata eſt: Si enim alia eſt Eccleſia, alia Ciuitas deſcendens de cœlo, erunt duæ Sponſæ, quod omnino fieri nō poteſt: & hanc enim Ciuitatem Sponſam dixit Agni, unde manifeſtum eſt ipſam Eccleſiam eſſe quam deſcribit.


CAP.

CAP. XV.

ביה כנישות׃

Οἰκία Μαρίας τῆς μητρὸς Μάρκου.

Ecclesiæ Domus.



Aſpicis hìc Mariæ conſtructos ritè penates,
Omnibus hoſpitium præbuit illa pijs:
Vnanimes hìc diſcipuli ſedêre frequenter,
Cordeq; ſincero uota tulere Deo.

HISTORIA.

Ex omnibus & locorum & rerum circumſtantijs apparet, Mariam Iohannis Marci matrem in noua habitaſſe Ciuitate: de cuius ædibus hæc Actorum.12. cap. referuntur: Quum Petrus & Angelus (ex Herodiano egreſsi carcere) primã & ſecundam præterijſſent Cuſtodiam, uenerunt ad portam ferream, quæ in (nouam) ducit Ciuitatem, quæ (ſua) ſponte eis aperta eſt. Et egreſsi (ex Suburbijs) *Maria Marci Mater.*

uicum unum processerunt, tumque statim discessit ab eo Angelus. Hic Petrus re perpensa uenit ad ædes Mariæ, quæ erat mater Iohannis (non eius qui Iacobi dicitur frater, sed) qui cognomento dictus est Marcus, ubi complures coiuerant, ac (simul pro Pastoris liberatione) orabant. Vbi autem Petrus ostium Vestibuli pulsauit, prodijt ad subauscultandum puella, nomine Rhode: quæ agnita Petri uoce præ (insperato) gaudio Vestibulum non aperuit, sed intrò recurrens Petrũ ante Vestibulum stare nunciauit. At illi ad eam dixerunt: Insanis. Quum uerò illa sic se rem habere (constanter) affirmaret, dicebant (Non est Petrus, sed) Angelus eius est, (qui eius uocem exprimit) Sed Petro pulsare pergente, aperuerunt (ostium, ingressum Petrũ) uiderunt & obstupuerunt. Quum autem Petrus eis manu annuisset ut silerent, narrauit eis quomodo se DOMINVS (per Angelum) ex carcere eduxisset, dixitque: Hæc Iacobo & (cæteris) fratribus nunciate. Tum egressus (illinc) alium in locum abijt.

INTERPRETATIO.

Tertul. In cœtib. nos preces coniungere cõuenit, ut quasi manufacta Deũ orantes ambiamus.

A Fidelibus illis noctu in Mariæ domum ad instandum simul precibus coactis nos exemplum, quod nobis ex usu esse queat, capiemus: idque eo magis, quòd CHRISTVS 18. apud Lucã cap. dixerit: Semper orandum esse, nec defatigari oportere. Et Paulus 1. Thess. 5. moneat: Indesinenter orate. Item 3. ad Coloss. Orationi incumbite, in ea cum gratiarum actione uigilantes, orantes simul pro nobis quoque, ut Deus nobis ostium sermonis aperiat, quò CHRISTI mysterium eloquamur, propter quod uinctus sum. Item 1. ad Timoth. 2. Adhortor igitur primũ omnium, ut fiant obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones pro cunctis

Aug. in Psal. 56. Christus ad hoc orauit, ut doceret orare.

cunctis hominibus: Hoc enim bonum est, coramq; nostro Seruatore Deo acceptum. Quòd uerò puellæ responderunt, Petri Angelum esse qui pulsaret, ibi hoc in transcursu notabitur: Electos Deo usq; adeò esse curæ, ut & singulis, ad eorum tutelam administrationemq;, singulos attribuere Angelos dicatur, id Epistola ad Hebræos eiusmodi confirmante uerbis: Nónne sunt Angeli omnes administratorij spiritus? qui ad ministeriũ emittuntur, propter eos qui salutis erunt hęredes. Christus etiam 18. apud Matth. cap. de renatis ex Deo & in se credentibus paruulis inquit: Videte ne unum ex his pusillis contemnatis: dico enim uobis, eorum Angelos in cœlis semper uidere faciem Patris mei qui in cœlis est. Vbi Origenes: Quidam uolunt ex eo dari hominibus Angelum adiutorem, ex quo per regenerationis lauacrum in CHRISTO sunt renati, dicentes non esse uerisimile, incredulis & errantibus præesse sanctum Angelum: sed infidelitatis & peccatorum tempore hominem sub Sathanæ degere Angelis.

Piorum curam Deus Angelis suis mandat.

Heb. 1.

Facies Patris est Christus, q Col. 1. Hebr. 1. imago Dei uocatur.

Orig. Pusilli sunt qui nuper in Christo nati sunt.

HISTORIA.

QVandoquidem pij apud Mariam ferè conuenire, deque spiritualibus conferre mysterijs, & ad humiles simul decurrere preces soliti sunt, adeò ut eius Domus non immerito Ecclesiæ Domus & Sanctorum asylum dici potuerit, sita in Neapoli, cœlestem nouam designante Vrbem: Hinc nonnulli suspicantur, in eiusdem Domo accidisse, quæ 20. apud Lucam & 19. apud Iohannem infrascriptis enarrantur uerbis: Venit Maria Magdalena nunciatum Discipulis, sese uidisse DOMINVM. Venerunt etiam duo Discipuli, quibus is in uicum Emauntem proficiscentibus apparuerat, & quæ

Iesum Discipulis à sua resurrectione in Mariæ ædibus apparuisse.

in uia gesta essent narrabant, utq; eis in panis fractione cognitus fuisset. Igitur quum esset uespera illo ipso die, &(eius)domus fores, ubi Discipuli(clanculum)cõgregati, essent clausæ, propter Iudæorũ metum, uenit IESVS, in medioq; stetit, & eis dixit: Pax uobis. Cum uerò (illi)perterriti & expauefacti, se spiritum uidere existimarent, dixit eis: Quid turbati estis, & cur (istę)subeunt in corda uestra cogitationes? Videte meas manus atque pedes, quòd ipse ego sum, cõtrectate me & uidete: nam spiritus(quidem) carnem & ossa non habet, sicut habere me uidetis. Adhuc autem ipsis præ gaudio non credentibus, & admirantibus, dixit eis: Habetis hìc edile quippiam? Tum illi ei assi piscis partem & (aliquid) ex fauo apiario obtulerunt (quæ) ille accepit (ac) coram eis comedit, & iterum(sic)dicit: Pax uobis: quemadmodum misit me Pater (ita) & ego mitto uos: & hoc quũ dixisset, flauit in eos, & eis dixit: Accipite Spiritum sanctum, si quorum peccata remiseritis, eis remittentur: si quorum retinueritis, retenta erunt. Thomas autẽ unus ex Duodecim, qui (Græcè) dicitur Didimus, id est, Geminus, non erat cum eis, quando uenit IESVS. Huic igitur dixerunt alij Discipuli: DOMINVM uidimus. Sed ille sic eis dixit: Nisi(&)in eius manibus clauorum figuram uidero, & meum digitum in figuram clauorum, & manum in latus eius misero, nequaquã credam. Post dies (igitur) octo quum rursus essent intus (in eadem domo)eius Discipuli (clam coacti) & Thomas (hactenus incredulus) cum illis (simul adesset) uenit IESVS ianuis clausis, in medioque stetit, & dixit: Pax uobis. Deinde Thomę (cuius incredulitatẽ & nouerat & curandam uenerat)sic dicit: Infer huc tuum digitum, & uide meas manus, tuamque manum affer, & in meum latus immitte, & ne incredulus esto, sed credens. Et Thomas (tangendo tactus subitoq; mutatus sic)respondit: DOMINVS

Beda: Christus in suo corpore dispensationis gratia uoluit reseruare passionis indicia, ut scilicet Discipuli qui hęc uidebãt, manifeste possent dinoscere, non spiriritum sine corpore, sed corpus esse spirituale quod uidebant, certamque fidem peractæ resurrectionis eius, certam spem futuræ omnium hominũ resurrectionis mundo prædicarent,

Greg. 14. Moral. Redemptor noster ostendit suã resurrectionẽ, ut nos resurrecturos crederemus.

MINVS meus & Deus meus. Cui IESVS dicit: Quia uidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non uiderint, & (tamen) crediderint.

INTERPRETATIO.

Quomodo ſe Chriſtus Diſcipulis à reſurrectione manifeſtarit.

DE iſta DOMINI apparitione, & quemadmodum clauſis ad Diſcipulos ianuis ingreſſus, eis ſeſe intùs oſtenderit, Chryſoſtomus in hunc ſcribit modum: Dignum dubitatione eſt, quomodo corpus incorruptibile figuram clauorum acceperit, & mortali manu tangi potuerit, ſed hoc te non perturbet: hoc enim permiſſionis fuit: nam corpus tam tenuè & leue, ut clauſis ianuis ingrederetur, omni craſsitudine carebat: ſed ut reſurrectio crederetur, talem ſe exhibuit, ut & ipſum crucifixum fuiſſe, & neminem alium pro eo reſurrexiſſe intelligas. Et Cyrillus: DOMINVS clauſis foribus repentè omnipotentia ſua, natura rerum ſuperata, ingreſſus eſt ad Diſcipulos: Nullus igitur quærat quomodo clauſis ianuis eius corpus penetrârit, quum intelligat non de homine nudò, ut modò nos ſumus, ſed de omnipotente Dei Filio hæc ab Euangeliſta conſcribi: Nam quum uerus ſit Deus, rerum naturæ non ſubiacet. Quamuis uerò iam tempus eſſet, in quo eius corpus ineffabili apparere gloria deberet, non tamen apparuit in debita illa gloria, quippè quòd ſi eam explicare uoluiſſet, oculis hominum cerni non potuiſſet, ſed ex diſpenſatione in prima figura ſe oſtendit, ne aliud corpus, quàm quod de Virgine aſſumpſit, crucifixumque & mortuum fuerat, reſurrexiſſe putares. Item Nicephorus libro primo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ capite 32. & 34. Certum eſt atque perſuaſum omnibus, qui intelligere, cognitionemque aſſequi & rectè ſapere uolunt,

Auguſt. Claritas corporis Chriſti oculis Diſcipulorũ potius abſcondita fuiſſe quàm defuiſſe credenda eſt, non enim eam ferret humanus atq; infirmus aſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attẽdi, ut poſſet agnoſci.

DOMINVM non ſolum die tertio cum corpore ſurrexiſſe, ſed etiam cum corpore tenui ac leui, nec amplius mortali & craſſo, ut anteà, ſed prorſus incorruptibili & immortali, atq; (ut ſemel dicam) ſpirituali magis & diuiniore, quodq; ſimul Deus eſſet, captum ſenſus omnis excellente, alimentoque quo non indigeret ſuperiore, ita ut & clauſis foribus, nullo ei obſtante impedimento, ſine ſtrepitu tranſiret, quãuis mirifica ratione ſummiſsionis atque conformationis eis, quos ſibi in arctiorem conſuetudinem acciuerat, conſpectus ſit, & latus figuraſque clauorum contrectari ſiuerit, cibumq; cœperit, non ille quidem quòd eſuriret: ſed ut fidem reſurrectionis nouæ faceret, & phantaſmatis opinionē aboleret, ineffabili quodam modo præter naturam alimento à diuinitatis igne conſumpto.

πνευματικωτέρῳ καὶ θειοτέρῳ ὁμοθέν.

Illud: Contrectate me & uidete, nam ſpiritus quidem carnem & oſſa non habet, ſicut habere me uidetis, Theophylactus huiuſmodi explicat paraphraſi: Vos ſpiritū putatis me eſſe uel phantaſma, qualia multa circà mortuorū ſepulchra apparere ſolent: ſed ſcitis quòd ſpiritus neque carnem neque oſſa habet, ego autem carnem & oſſa habeo, tametſi ſpiritualem & diuiniorem. Item Tertullianus: CHRISTVS Diſcipulis ſuis hæſitantibus, ne phantaſma eſſet, imò phantaſma credentibus de ueritate corporis ſui confirmauit. Horum interpretationem Ignatius apud Hieronymū Catalogo Scriptorum confirmat, ita dicens: Ego uerò & ipſe DOMINVM in carne poſt reſurrectionem uidi, & credo quia ſit, & quando uenit ad Petrū, & ad eos qui cum Petro erant, dixit eis: Palpate me & uidete, quia non ſum δαιμόνιον σωματικόν, hoc eſt, corporeum ſpectrum, & ſtatim tetigerunt eum & crediderunt.

Spiritus carnē & oſſa non habet.

Pacem imprecatur CHRISTVS Diſcipulis, ut ſe

Pax uobis.

uerum

uerum Salomonem, hoc est pacificum, declaret: de quo talia in sacris Libris extant uaticinia, Esa. 9. Filius nobis datus est, & uocabitur eius nomen Princeps Salem, id est, pacis. Psal. 85. DOMINVS Deus loquetur pacem ad suum populum, suosq; sanctos. Psal. 122. Rogate pro pace Ierosolymæ. Seruabuntur qui te diligunt, fiet pax in antemurali tuo (uel Suburbijs) & salus in tuis turribus, propter fratres proximosq; meos (ait DOMINVS) pacem in te loquar.

Quòd DOMINVS insufflans in Discipulos dicit: Accipite Spiritum sanctum: eo signo, ut quidem Cyrillus scribit, ostendere uoluit, Primùm, se fontē & largitorem Spiritus esse. Deindè necessariò illis, qui ad Apostolatum mittentur, Spiritum dandum, nec Apostolos Christi mysteriū intellecturos, uel alios rectè docturos, quàm à Spiritu edocti sint, qui non aliter ad nos quàm ex Patre per Filiū transeat. Hęc ille 12. in Ioan. lib. cap. 56. *Afflando Christus Spiritum dat.*

Hoc dictum: Si quorū remiseritis peccata, &c. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 29. citat, & his illustrat uerbis: Videamus utrū peccata donet Spiritus, sed hinc dubitari non potest, cum ipse DOMINVS dixerit: Accipite Spiritum sanctū, quorumcunque remiseritis peccata, remissa erunt. Ecce quia per sanctum Spiritū peccata donantur: homines autem in remissionē peccatorum ministerium suum exhibent, nō ius alicuius potestatis exercent: Neq; enim in suo, sed in Patris, & Filij & Spiritus sancti nomine peccata dimittūtur. Isti rogant, diuinitas donat: humanū enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis. Idem de Pœnitentia lib. 1. cap. 2. Munus Spiritus sancti est, officium Sacerdotis, ius aūt Spiritus sancti in soluendis ligandisq; criminib. est. *Quorumcunq; peccata remiseritis, remissa erunt.*

De Thomæ confessione adductus modò Cyrillus

ſic loquitur: Cum Thomas CHRISTVM, ut Dei ueri Filium, ſingulariter additis utrinq; articulis ipſum DOMINVM & ipſum Deũ appellet, & Saluator hoc non increpet nec refellat, ſed laudet atq; complectatur, cæteros etiam ita prędicare uolens, hinc patêre, non aliter quàm Thomas confeſſus eſt, nos quoq; confiteri Dominum uelle: natura enim Dominũ & Deum eum eſſe, etiam poſtquam hominē aſſumpſit: Illud quoq; animaduertendũ, Diſcipulũ qui pedes & latus palpauit, ita eum confeſſum eſſe, ut in duos Filios non partiretur: Vnum enim & eundem Dominũ (atq; Deũ) Ieſum Chriſtum cognouiſſe cum Carne. Et Caſsianus lib. 3. de Incarnat. contra Neſtoriũ: Apoſtolus Thomas tetigit Chriſtum, & exclamauit: DOMINVS meus & Deus meus. Exire hinc nuſquã uales, niſi hoc quod Apoſtolus tetigit, Deũ eſſe fatearis. Ego aliud Chriſtum quàm Deum eſſe non noui: aliud mens ſana non ſentit, aliud fides ſacra nõ loquitur, quicquid eſt Chriſtus, Deus eſt: inueniri in Deo aliud non poteſt quàm Deus. Et Hilarius lib. 7. de Trin. Thomas ueritatē Euangelici myſterij intelligens, Chriſtum Dominũ ſuum & Deum ſuum eſſe confeſſus eſt. Non hic Deus honoris eſt nomen, ſed (diuinæ) naturæ confeſsio eſt: rebus enim ipſis atq; uirtutibus Deum credidit, Et Dominus profeſsionis huius religionē non honoris eſſe docuit, ſed fidei, dicens: Quia uidiſti me, credidiſti, Beati qui non uiderunt, & crediderunt: Videns enim Thomas credidit, ſed q̃d credidit quæris? Et quid aliud credidit quã profeſſus eſt? Dominus meus & Deus meus: reſurrexiſſe enim per ſe ex mortuis in uitã niſi natura Dei nõ potuit, & creditę religionis fides hoc eſt profeſſa, ꝙ Deus eſt: Religioſus aũt filius ut ueræ & Apoſtolicę fidei myſteriũ confirmaret, & naturę in ſe paternæ nomē agnoſceret, beatos eſſe docuit, qui cũ ſe reſurgentē à mortuis nõ uidiſſent, Deũ tamē per reſurrectionis intel-

Hil. lib. 3. de Trinit. Credo Thomæ Chriſtũ Dominum & Deum eſſe, non niſi cõtrectatis eius uulnerib. credituro.

intelligentiam credidiſſent. Et Epiph. in Ancorat. Contrectatus eſt à Thoma, ut non phantaſmati aſsimilaretur, ſed ueritati, qui à Thôma creditus eſt poſteaquã id quod prædictum erat, impletũ eſt: Manibus meis Deũ exquiſiui, & non ſum ſeductus, Pſal. 76. Idem rurſus ex Athanaſio: Confiteamur eum qui crucifixus eſt, Deum eſſe, fidem habentes uniuerſis diuinis Scripturis, maximè uerò Thomæ, qui cum uidiſſet in ipſo clauorum ſigna, exclamauit: DOMINVS meus & Deus meus.

CAP. XVI.

MONVMENTA IOHANNIS & Alexandri.

Altus Alexandri tumulus lucebat in Vrbe,
Hìc & Iohannis nobile marmor erat.

HISTORIA.

IN noua Vrbe fuerunt monumenta Iohannis & Alexandri, Pontificũ atq; Regum, ex Maccabæa ortorũ gente. Ioſep. de Bel. lib. 6. cap. 7. Titus cũ lectis equitibus foris circuiens, quà muros aggrederetur, explorabat. Hęſitanti autem, quia nec ab ea parte adiri poterat pedibus, qua ualles erant, & ab alio latere, prior murus machinis firmior uidebatur, placuit ad Iohannis Pontificis monumentum (hic enim tantummodo & primus humilior erat, nec ſecundo muro cõiungebatur) inuadere: neglecta enim fuerat munitio, propterea quòd nõ ſatis noua Ciuitas frequentabatur. Sic in tertium murũ facilis aditus illac erat, per quem ſuperiorem Ciuitatem & per Antoniam Templum capi poſſe cogitabat. Et cap. 8. Cum Titus iam oppugnationem aggrederetur, partiti intus murũ Iudæi,

Alexander. Iohannes.

Egeſippus libro 5. cap. 10.

fortiter restiterunt: Et Iohannes quidem eiusq; socij ex Antonia & Septentrionali Porticu Templi ab Alexandri monumento pugnabant. Simonis aũt manus iuxta monumentum Iohannis aditum clauserant usq; ad portam, qua in Hippicum turrim aqua inducebatur. Item lib. 7. cap. 5. Romanis iam Neapoli & inferiore potitis Ciuitate, progressus est ad eos secundũ Iohannis monumentum quidã ex Iudæis uir, & corpore breuis, & uultu despicabilis, Ionathas nomine, qui tum alia multa superbè proloqui cœpit, tum quem fortissimũ haberent ad singulare prouocare certamen. At qui contra stetere, multi quidem dedignabãtur: erant autem inter eos (ut assolet) etiam qui timerent: quosdã uerò non inconsulta mouebat ratio, cũ mortis cupido non debere confligere: Nam qui de salute desperassent, eos neq; cautos impetus habere, neq; Deum uereri: & cum his in discrimen uenire, quos neq; uincere magnũ sit, & uinci cum dehonestamento periculosum, non fortitudinis, sed ferocitatis uideri. Quum autẽ diu nemo procederet, multaq; Iudęus eorum timiditati illuderet, homo arrogans & superbus, Romanus ex ala equitum nomine Pudens, insolentiam eius exosus, fortasse autem etiam corporis breuitate sublatus, inconsultè prosilijt: & cæteris, commissa cũ eo pugna, risum præbuit, à fortuna proditus: lapsum enim Ionathas interfecit: deinde pede supra mortuum posito, læua scutum, dextraq; cruentum gladium coruscabat: armisq; cum fremitu concussis, exercitui & iacenti insultans, spectantes Romanos increpabat: donec eum tripudiantem & uana iactantẽ Priscus Centurio sagitta transfixit, eoq; facto, & Iudæorum & Romanorũ uarius est excitatus clamor. Ille autem dolore in uertiginem tortus, supra corpus hostis incubuit. belliq; felicitatem ratione carentem, quam uelox ultio sequeretur, ostendit.

Ionathas ad Iohannis sepulchrũ prouocat Romanũm monomachiam.

Egesippus libro 5. cap. 37.

CAP.

CAP. XVII.

Ψήφινος πύργος.

Psephina Turris.

Psephina surgebat Turris celsissima, lustrans
Iudęæ passim, finitimasque plagas.

HISTORIA.



AD Septentrionem & Occidentem in Neapolitani muri angulo admirabilis surgebat Turris, Psephina nomine, ex qua per 70. cubitos ædita, sereno cœlo Arabia prospici poterat, & usq; ad mare, itemq; ad ultima finium Hebræorum. Erat autem octo angulis, opposita Turri Hippico, Iosephus de Bello lib. 6. cap. 6. Et 2. Titus cum propè duobus à muro abesset stadijs, ad anguli eius partem contra turrim, quę appellatur Psephinos, castra ponit, ad quam muri ambitus ex aquilone pertinens, flectitur ad occidentem. *Psephina, Specula.*

CAP. XVIII.

חומה החיצונה.

Τεῖχος τρίτον.

Murus exterior.

Exterior quidam murus uallauerat Vrbem,
Fortiter hunc iussit grandis Agrippa strui,
Vrbs ut perpetuò non expugnabilis esset:
Sed contra fatum mœnia nulla iuuant.

HISTORIA.



IEROSOLYMORVM Vrbs à tribus partib. orientis, scilicet, meridiei & occidētis, in pręruptis scrobibus posita, & aliàs uallibus inuijs

Montes & uallet in Ierosolymæ circuitu.

extraq; illas prææaltis montium propugnaculis munita, ab hostium incursionibus facilè libera uidebatur, à solo Septentrione demissior erat: planiciem quandam contra Cœnopolim habens, undè eam aduersarij oppugnare, & poterant tantum, & soliti plerunque sunt, id DOMINO 1. apud Ierem. cap. his prædicente uerbis: Ab Aquilone malum aperietur in omnes istius terræ habitatores: nam ego regnorum nationes omnes ad Aquilonem cõuocabo, inquit DOMINVS, uenientq;, & suum quisq; solium collocabunt in ostio portarum Ierosolymæ, & undiq; in omnibus eius muris, cumq; eis mea iudicia super omni eorũ malo eloquar, qui me derelicto dijs alienis suffierunt, suarumq; manuum opus adorauerunt. Et cap. 6. Adduco malum à Septentrione. Cedite ligna, & extruite circum Ierosolymã aggerem. Iniquitas & uastitas auditur in ea, coram me semper cruciatus & uerberatio. O Ierosolyma, emunda tuum cor à malitia ut serueris.

Ab Aquilone omne malum.

Cum igitur Cœnopolis, præter quod is tractus, ita ut diximus, constitutus erat, insuper solido careret muro, incolę uerò eam partẽ maximè protegi desiderarẽt, Agrippa, Aristobuli filius, instituit huic malo publico obuiam ire sumptu, & huius quoq; partis murũ latiorẽ aduersusq; omnẽ humanã uim inexpugnabilẽ efficere. Eius itaq; fundamenta solidissima & inprimis ualida iecit, cõtextis saxis uiginti cubitis longis, & decẽ latis, quæ neq; ferro facilè suffodi possent, neq; machinis dimoueri: At mox partim Claudij Cæsaris interceptus timore, ne uidelicet is cõstructionis magnificentiã ad nouarum rerum aut discordiæ suspicionẽ traheret, partim etiam immatura pręuentus morte, opus imperfectũ reliquit, nec supra fundamenta progressus est. Iudæorũ deinde studio hic murus ad uiginti cubitos creuit, minis quidẽ binis

Agrippa tertij muri fundamẽta iacit.

Iudæi exædificant.

binis cubitis, propugnaculis uerò trinis adhibitis, ut sic tota eius altitudo ad 25. cubitos erigeretur. Iosep. de Bel. lib. 2. cap. 10. Lib. 6. cap. 6. Antiq. lib. 19. cap. 7.

De huius muri ambitu idem auctor lib. 6. de Bello cap. 6. hęc affert: Tertio muro Hippicos principium dabat: unde ad Boreæ tractum pertinens, deinde ad Psephinam turrim ueniens, contra monumentũ Helenæ, quæ Adiabenorũ Regina fuerat, Izatæ Regis mater, & per speluncas Regias ductus, à turri quidem in angulo posita flectebatur contra Fullonis, quod dicitur, Monumentum, cum uetere autẽ ambitu iunctus, in Cedronem uallem desinebat. *Ambitus tertij muri.*

Eo Titus die quinto, postquã oppugnare cœperat, est potitus. De Bello lib. 6. cap. 9.

CAP. XIX.

המגדלות אשה׃

πύργοι γυναικεῖοι.

Turres Muliebres.

Ecce nouemdenis Vrbs est noua turribus aucta,
    Fœmineum nomen quæ tenuêre diu.
Illarum miranda fuit structura, nec ipsi
    Cedebant Templo dexteritate sacro.

HISTORIA.



MVRVM iam dictum supereminebant Turres nonaginta, uiginti quidem cubitis in latitudinem, ac totidem in altitudinem: quadratis angulis structæ, & sicut ipse murus plenæ atque solidæ: quarum & structura & saxorum pulchritudo nihil erat Templo deterior: Post solidã uerò altitudinẽ, uiginti cubitis elatam, cellę desuper ac cœnacula erant, *Turres Muliebres.*

aquarumq; pluuialium receptacula, & tortuosi latique singularum ascensus, Iosep. de Bell. lib. 6. cap. 6.

Dicebantur Muliebres turres, Ioseph. de Bell. lib. 6. cap. 2. Titus sexcentis propè lectis equitibus comitatus, Gabatha perrexit ad Ciuitatē, quam tuta esset, Iudæorumque animos exploraturus: Quandiu autē per uiam quæ ad murum duceret, equitabat, nemo ante portas apparuit: ubi uerò itinere ad turrim Psephinon declinato, transuersum agmen equitum duxit, infiniti subito prosiliunt, qua Muliebres turres uocātur: & per eam quæ contra monumentum Helenæ porta est egreßi, equitatum intercidunt: atque alios quidem etiā tunc uia currentes, ne cum his qui diuertebant sese iungerent, à fronte oppositi prohibuerunt: Titum uerò cum paucis separant. Ille autem ultra quidem minus progredi poterat: à muro enim cuncta foßis patebant, & transuersi erant horti, multisq; macerijs impediti: ad suos autem in aggere constitutos recursus, intercedente hostili manu, desperabatur. Titus igitur in sua tantum fortitudine sitam esse prospiciens spem salutis, flectit equum: & ut se sequerentur cum clamore comites adhortatus, in medios hostes irruens, ui ad suos transiuit.

Titus Ierosolymam exploraturus, in loco qui Muliebribus turrib. obiacebat, periclitatur.

DE

DE PORTIS, ET VIIS TAM INTRA VRBEM quàm extra mœnia.

LIBER VI.

TOBIAE XIII.

Portæ Ierosolymæ construentur Sapphiro & Smaragdo, eius autẽ plateæ berillo & carbunculo pauientur, & per omnes uicos cantabitur, Alleluia.

HIER. AD EVSTOCH.

DOMINVS diligit portas Sion, nõ eas portas quas hodie cernimus in fauillam & cinerem dissolutas: sed Portas quibus non præualet infernus, & per quas credentiũ ad Christũ ingreditur multitudo.

CAP. I.

DE PORTIS ET VIIS.

Vrbem nunc extra portas describimus amplas,
Bissenas numero, quas nituisse ferunt:
Bissenos illę Patriarchas ritè figurant,
Discipulos totidem, quos Deus ipse uocat.

HISTORIA.


VONIAM hactenus de Vrbe & tribus muris, intra quos ea quadrato fuit situ cõstituta, satis multa fecisse uerba uidemur, nunc locus exigit, ut de Portis atque Vijs, quæ certa & necessaria deprehendimus, per ordinem explicemus. Accuratè uerò tum sacra monumenta tum ueteres uoluentes Historicos, duodecim præcipuas inuenimus Portas, regijs per mœnia uijs extra Vrbem in omnes orbis plagas aditum reserantes: Ad Occasum erant Piscaria, Vetus, Gennatha, Pluuialis: Ad Septentrionem Ephraimitica, Beniamitica, Angularis: Ad Orientē Equaria, Vallis, Sterquilinij, Ouiaria, Fontana. De Vijs earumq; primo structore Ioseph. 8. Antiq. cap. 2. hęc affert: Salomon diuina quadam prouidentia omnibus in rebus utebatur, & cum esset elegantiarum amator, ne uiarum quidem curam prætermisit, sed & harum, quotquot Ierosolyma, Regiæ sedem, ducebant, silice constrauit: tum ut ultrò citroque cõmeantibus essent faciles, tum ad ostentandã hac quoque parte sui principatus magnificentiam.

Numerus Portarum.

Situs Portarũ.

Viæ.

INTERPRETATIO.

Spirituales portæ.

SI cui remota umbra ueras cœlestis Ierosolymæ Portas contemplari placeat, is quæ ex sacris subijciam Literis testimonia presumere poterit: Apoc. 21. Ego Iohannes uidi Ciuitatem sanctam, Ierosolymam nouam, ex cœlo descendentem. Angelus me spiritu in magnum altumq; montem sustulit, & mihi ostendit Ciuitatẽ magnam, sanctam Ierosolymam, ex cœlo à Deo descendentem, habebatq; Portas duodecim, superq; portis Angelos duodecim, & inscripta nomina, uidelicet duodecim tribuum filiorũ Israelis. Ab Oriente tres (erant) Portæ, ab Aquilone tres, ab Austro tres, ab Occasu tres. Duodecim uerò illæ Portæ duodecim erant margaritæ, ex singulis margaritis singulæ (cõstantes) Ciuitatis platea (erat) aurum purum, pellucidum ut uitrum. Eius Portæ non claudentur per diem (nam nox illic nulla erit) & in eam afferent Gentium gloriam & honorem. In eam non intrabit quicquam cõmune (seu prophanũ) quiúe abominationem faciat & mendacium, sed duntaxat scripti in Agni libro uitæ. Et cap. 22. Beati qui DOMINI præcepta faciunt, ut per portas intrent in Vrbẽ. Tob. 13. Portæ Ierosolymæ construentur sapphiro & smaragdo, eius autem plateæ berillo & carbunculo pauientur, & per omnes uicos cantabitur, Alleluia. Esa. 26. Vrbem habemus fortem, eius portæ se aperiunt, ut iusta gens intret, custos ueritatis. Cap. 60. Aperientur tuæ portæ iugiter, nec die nec noctu claudentur: ut ad te afferatur Gentium fortitudo, earumque Reges adducantur, Portas tuas laudem appellabis.

Aug. Enarr. 86. Psalmi: Cũ dicuntur 12. portæ Ierusalem, & una porta Christus, & 12. portæ Christus, quia in 12. portis, id est, Apostolis Christus.

CAP. II.

שער הדגים.

πυλὴ τῶν ἰχθυηρῶν.

Porta Piscium.

Infrà Sionis prærupta cacumina montis
Piscibus à gelidis porta uocata fuit,
Quà uia decliuis Gazam tendebat ad urbem,
Nec non ad rubri flumina uasta maris.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

PRIMA porta Piscaria forsan est dicta, quòd mari, unde pisces adferebantur, uicinior esset: Hieron. in Sophon. Portam piscium eam uocabant, quæ Diaspalim ducit & Ioppen, & uicinior mari erat inter cunctas uias Ierusalem. *Notatio Piscariæ portæ.*

Eam uerò ad occidentem respexisse, Beda in Nehemiam sic probat: Porta piscium erat prima portarum ad occidẽtem montis Sion, cui opinioni Verba dierum uidentur consentire, ubi de Manasse scriptum est: Aedificauit murum extra Ciuitatem Dauid ad occidentem Gihonis ab introitu Portæ piscium usq; ad Ophelem. *Situs.*

Poterat indigenas spiritualium admonere piscatorum, de quibus eorumq; piscatu Ezech. 47. sic scriptũ habetur: Hæc aqua quæ ad orientalem regionem egredietur, ueniet in mare (quò cum peruenerit) sanabuntur aquæ, eritq; ingens piscium copia, quippè quò peruenerit hæc aqua: & sanabuntur ac uiuent omnia, ad quæ hic torrẽs uenerit. In eo stabunt Piscatores: ab Engedi usq; ad Eglaim retia expandẽtur, omnis generis pi- *Spirituales Piscatores.*

sces inerunt,&quidẽ maxima copia,quanta eſt piſcium
Pſal.45. maris. Vbi Hieron.de fluuio iſtius aquæ alibi ſic:Flumi-
Eſa.44. nis impetus lętificat Dei Ciuitatem. Et in Eſaia manife-
ſtius: Apparebit in Sion fluuius decurrens in terra ſitien
Matt.4. ti. Piſcatores ſunt quibus loquitur DOMINVS: Venite ad me,& faciam uos piſcatores hominũ. Plurimæ ſpecies piſcium,ſunt omne genus hominũ,nobiles & ignobiles,diuites & pauperes, ſub Apoſtolorũ miniſterio de huius ſeculi mari ad ſalutem extracti.

Qui diuini uerbi hamo capi nolebãt, in Babylonici Regis euerriculũ inciderunt.

Cum uerò indigenę nec ueritatis per figuras adumbratæ rationẽ haberent,nec ut ſpirituali hamo ex huius mundi mari in cœleſtem ducerentur terram,diligentẽ, diuino ſecundo fauore,dabant operam,immiſit eis Dominus Babylonicũ Regem,qui eos uinctos,quaſi piſces, ſuæ potentię euerriculo,ex Vrbe Babylonẽ deportauit, id Habac.1.ſuæ prophetiæ cap.his prædicẽte uerbis: Tu Domine facis homines quaſi piſces maris. Ille (Chaldęus) omnes hamo ſuo extrahet,eos in ſua ſagena colliget & in expanſum congregabit rete. Vbi Hieron. Quẽadmodũ piſcator mittit hamũ, & rete & ſagenã, ut quod hamus nõ potuit,rete cõprehendat: quod euaſerit rete, ſagenis latiorib.circũdetur: Ita & Rex Babylonius cuncta uaſtabit, & uniuerſum hominũ genus ſuã prædã faciet. Tunc & illud Sophonię eſt perfectũ: Erit illa die clamoris uox à porta Piſciũ,& eiulatio in Secunda. Vbi Beda: Sophonias hãc portã ab hoſtib.diripiẽdã pcognouit.

Reſtauratio piſcariæ portæ.

Quínam à reditu ex Captiuitate hanc inſtaurârint portam, Nehemias 3.cap. hoc cõmemorat modo: Portam piſcium conſtruxerunt Haſenaæ filij,eamq; contignârunt, & eius oſtia, ſeras ac repagula poſuerunt. Per
Haſenaæ filij.
Iohan.12. filios Haſenaæ filij illi lucis deſignantur, quos Chriſtus
Matt.4. & hominũ fecit Piſcatores,& à ſua reſurrectione in Tyberiadis lacu piſcibus inſidiãtes nactus,eiuſmodi allocutus eſt uerbis: Pueri,iacite rete ad dexterã nauigij partẽ,

&in-

&inuenietis: itaq; iecerunt, inquit Iohannes, nec id iam extrahere poterant præ piſcium multitudine, Iohan. 21.

Via à porta Piſcaria deſcendebatur Bethlehemam, Gazam, ad Deſertum, Mare & Aegyptum. Octauo in Actis cap. Lucas memorabilẽ hac in uia geſtam rem ſic deſcribit: Philippũ (aliquando) Dei Angelus allocutus eſt, dicens: *Surge*, & ſecundũ Meridiem per uiam profiſciſcere, quà ab (Vrbe) Ieroſolyma Gazam deſcenditur, quæ (uia) deſerta (& infrequens) eſt. Itaq; ille ſurrexit ac profectus eſt: Et ecce uir (quidam) Aetiops Eunuchus, Candacæ Aetiopũ Reginæ præfectus, omni eius gazæ præpoſitus, qui Ieroſolymam adoratum uenerat, reuertebatur, & in ſuo curru ſedens, Eſaiam Prophetã legebat. Dixit autẽ Philippo Spiritus: Accede, & te ad iſtum adiunge currũ. Quum igitur Philippus accurriſſet, audiuit eum Prophetã Eſaiam legere, & (mox agnoſcens religionis ſtudium) ei dixit: Intelligísne quæ legis? Cui ille ait: Quî uerò poſsim, niſi quis mihi (Prophetæ ſenſum) oſtendat? Philippumq; rogauit, ut aſcẽderet (currum) ac ſecum ſederet. Erat autem hoc ſcripti, quod legebat, argumentũ: Vt ouis ad occiſionẽ ductus eſt, utq; Agnus ante ſuum tonſorem obmuteſcens, ſic (ille) non aperuit ſuum os, &c. Et Eunuchus Philippo dixit: Obſecro te, de quónam dicit hoc Propheta? Tum Philippus ab eo ſcripto exorſus eſt ei IESVM prædicare, Cumq; per uiam profecti, ad quandam ueniſſent aquam, ait Eunuchus: Ecce aqua, quid me baptizari prohibet? Philippus dicit: *Si ex toto* corde credis, licet. Ait (ille) Credo Dei Filiũ eſſe IESVM CHRISTVM, iuſsitq; ſiſti currum, & ambo in aquam, Philippus & Eunuchus, deſcenderunt, eumq; baptizauit (Philippus) Cum aũt ex aqua aſcendiſſent, rapuit Philippum Spiritus DOMINI, nec eum uidit amplius Eunuchus (ſed) ſuam uiam gaudens profectus eſt. Vbi Beda: Via Ieroſolymis deſcendens &

Via à porta Piſcaria.

Reginæ Candacæ Eunuchus à Philippo doctus & baptizatus.

Hier. aduer. Iouinian. Hic Spado ille reginæ Candacæ ob robur fidei uiri nomẽ obtinuit.

Hier. Paulino: Eunuchus de Aetiòpia, id eſt, extremis mundi finib. uenit ad templũ, reliquit aulã Regiam, & tantus amator legis domini diuinæq; ſcientiæ fuit, ut etiã in uehiculo ſacras Literas legeret: & tum cum librũ teneret, & uerba domini cogitatione cõciperet, lingua uolueret, labijs perſonaret, ignorabat eum, quem in libro deſcriptũ, uenerabatur neſciens. Venit Philippus, oſtendit ei Ieſum. O mira & Ieſu & Doctoris uirtus. Eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis & ſanctus factus eſt: plus in deſerto Eccleſiæ fonte, quàm in aurato Synagogæ Templo reperit.

Vide eundem Epiſt. ad Euſto. & Catal. Sanctorũ.

uiam ſalutis aperiens, CHRISTVS eſt, qui eſt ueritas & uita: Is de ſuperna Ieroſolyma ad ima deſcēdit, ut noſtri peccati nigredinem unda ſui Baptiſmatis (ſpiritu & igne conſtantis) dealbaret. Eunuchus in hac uia baptizatus, Gentium deſignat multitudinē, à cultu Dei primo alienam, ſed in CHRISTO propè factam. Gloſſa Ord. Philippus dicendo: *Si credis, licet ut baptizeris*: Nō ignorabat fidem Eunuchi, ſed uolebat manifeſtam cōfeſsionem, ut baptizaturis & baptizandis exemplum interrogandi & confitendi daretur. Auguſt. de Fide & Oper. Quòd in Actis ſcriptū eſt Philippum euangelizaſſe Spadoni Dominū, nullo modo dubitandū eſt, & illa in Catechiſmo dicta eſſe, quæ ad uitā moresq́; pertinent eius qui credit in Dominū IESVM: Hoc eſt enim euangelizare CHRISTVM, non tantū dicere quæ ſunt credenda de CHRISTO, ſed etiam quæ obſeruanda ei, qui accedit ad cōpagem corporis CHRISTI: imò uerò cuncta dicere quæ ſunt credenda de CHRISTO, non ſolū cuius ſit filius, unde ſecundum diuinitatē, unde ſecundum carnem generatus, quæ perpeſſus, & quare, quę ſit uirtus reſurrectionis eius, quod donum Spiritus promiſerit dederitq́; fidelibus: ſed etiam qualia membra, quibus caput, quęrat, inſtituat, diligat, liberet, atq; ad æternam uitam honoremq́; perducat. Hæc cū dicuntur, aliquando breuius atq; conſtrictius, aliquando latius & uberius Chriſtus euangelizatur, & tamen non ſolū quod ad fidem, uerumetiā quod ad mores fidelium pertinet, non prætermittitur. Si quis uerò & hoc requirit, ubínā fons poſitus fuerit, in quo Eunuchus eſt baptizatus, reſpondet Hieron. de locis Hebraicis: Fons in quo Eunuchus Reginæ Candacis à Philippo baptizatus eſt, ſitus eſt iuxta Bethſuram, 20. ab Vrbe lapide ad radices montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur, ſorbetur humo.

Epheſ. 2.

Quid ſit Chriſtum euangelizare.

CAP.

CAP. III.

שער הישנה·

Πυλὴ παλαιὰ.

Porta Vetus.



Porta Secunda uetus quondã cognomine dicta est,
Solis ad occasum quæ fabricata fuit:
Transiuit per eam Christus cruce pressus acerba,
Funera cum uellet dira subire necis.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



SECVNDAM in Occidentali positam regione Portam Nehemias 12. cap. ueterem nuncupat: de eius autẽ reparatoribus cap. 3. hæc profert: Portam ueterem instaurarunt Ioiada filius Paseæ, & Mesullamus Besodiæ filius, eamq; contabularunt, & eius ostia, seras & repagula posuerunt. Hi *Portæ Veteris reparatores.*

cum ſuis & nominib. & factis Chriſtũ Ieſum repræſentârunt: nã Ioiada dicitur cognitor, Paſea Paſcha, hoc eſt tranſitũ faciens, Meſullamus pacificator, Beſodia Domini myſterium: At de Chriſto in Scripturis ſic legimus, Mat.11. Nemo Patrẽ cognouit niſi Filius, & cui Filius uoluerit reuelare. Ioan.13. Ante feſtũ Paſchæ ſciens IESVS ſuam ueniſſe horã, ut ex hoc mundo tranſiret ad Patrẽ. 1. Cor.5. Paſcha noſtrũ pro nobis immolatus eſt CHRISTVS. Epheſ.2. Chriſtus eſt pax noſtra. Col.1. Per Chriſtum placuit Patri omnia ſibi recõciliare, pacificãdo per eius crucis ſanguinẽ (tum) quæ in terra (tum) quę in cœlo ſunt. 1. Tim.4. Magnũ pietatis myſteriũ, Deus manifeſtatus in carne. Ioiada & Beſodia ueteris terrenę portę oſtia atq; ſeras poſuerunt: De Chriſto, ſpiritualis Ieroſolymæ portas reficiente, Dauid hunc in modũ Pſal.147. canit: Lauda Ieroſolyma Dominũ, lauda Deũ tuũ Sion, qui tuarũ ſeras portarũ cõfirmat, tuis in te filijs benedicens, qui tuis finib. pacẽ poſuit, te frumenti adipe ſatiat.

Ioiada. *Paſea.* *Meſullamus.* *Beſodia.*

Tert.lib.3.aduer. Marc. Chriſtus non bellipotens ſed pacifer eſt repromiſſus.

Per hanc portam damnati capitis ad ſupplicij educebantur locum, per quam & CHRISTVS ob noſtra damnatus ſcelera propriam baiulans crucem eductus, & foris eam occiſus eſt. Iohannis 19. Tunc eum Pilatus eis, ut crucifigeretur, tradidit, & illi IESVM acceptum eduxerunt, iſq; ſuam crucem baiulans, exiuit in locum Caluariæ appellatũ, ubi eum crucifixerũt. Heb.13. Quorum animalium ſanguis pro peccato in ſanctuariũ infertur per Pontificem, eorum corpora cremantur extra caſtra. Itaq; & IESVS, ut per proprium ſanguinem populũ ſanctificaret, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, eius opprobriũ portantes: Non enim habemus hìc permanentem Ciuitatem, ſed futuram inquirimus. CHRISTVM uerò ſic educendum ſuamq́ue ipſum portaturum crucem, Ieremias, eius ferè repræſentans perſonam, his prædixerat uerbis: Tu mihi

Chriſtꝰ per ueterem portam crucem ferens educitur.

Chryſ. Sermone de Paſſ. Non uoluit Dominus pati ſub tecto, non in Templo Iudaico, ne putares ꝓ illa tantum plebe oblatum, ſed foras Ciuitatẽ, foras muros, ut ſcias cõmune eſſe Sacrificiũ, quod totius terræ eſt oblatio, quod communis eſt purificatio.

mihi eorũ ſtudia oſtendiſti, atq; equidẽ eram ut Agnus, qui adducitur ad cœdem, nec cognoui (ullum unquam peccatũ) cogitauerunt in me cogitationes dicentes: Imponemus lignũ in eius panem, eumq́; ex uiuentiũ terra excindamus, ne nomen eius memoretur amplius. At ô DOMINE Sebaoth, iuſtè iudex, uideam tuam de illis ultionẽ: Vbi Hieron. Omniũ Eccleſiarũ iſte eſt conſenſus, ut ſub perſona Ieremiæ à Chriſto hæc dici intelligant, quòd ei Pater mõſtrauerit quomodo eum oporteat loqui, & oſtenderit illi ſtudia Iudæorũ, & ipſe quaſi agnus ductus ad uictimã, non aperuerit os ſuũ, & non cognouerit, ſubauditur peccatũ. Iuxta illud quod ab Apoſtolo dicitur: Qui cum nõ cognouiſſet peccatũ, pro nobis peccatum factus eſt: Et dixerint, mittamus lignũ in panem eius, crucẽ uidelicet in corpus Saluatoris: ipſe eſt enim qui ait: Ego ſum panis ille qui de cœlo deſcendi. Et eradicemus ſiue conteramus eum de terra uiuentiũ: hoc enim ſcelus animo cogitauerunt, ut nomẽ eius delerẽt in perpetuum. Sed è contrario iuxta aſſumpti corporis ſacramentũ loquitur filius ad Patrẽ, & imprecatur iudicium eius, dum laudat iuſtitiam, & inſpectorẽ renis & cordis inuocat Deũ, ut ipſe reddat populo quod meretur, & dicit: Videam ultionẽ tuam de eis, eorũ uidelicet qui in ſcelere perſeuerãt, & non eorũ qui uertuntur ad pœnitentiã, de illis ait in cruce: Pater ignoſce illis, quòd enim faciunt, neſciunt. Reuelatq́; Patri & aperit ſuã cauſam, quia nullo ſuo merito, ſed ſcelere populi crucifixus eſt, dicens: Ecce uenit Princeps mundi huius, & inuenit in me nihil. Huic interpretationi Tertul. libro aduerſus Iudæos, & 3. contra Marcionem ſubſcribit: Lignũ crucis, inquiens, & Ieremias tibi inſinuat, dicturis prædicans Iudęis: Venite mittamus lignum in panem eius: Vtiq; in corpus CHRISTI lignũ miſſum eſt: ſic enim ipſe CHRISTVS in Euangelio reuelauit, panẽ corpus

Ierem. 11.

Iohan. 6.

Luc. 23.

Iohan. 14.

Lact. libr. 4. cap. 18. Lignum Ieremias crucẽ ſignificat, & panẽ eius corpus: quia ipſe eſt cibus & uita hominũ, qui credunt in eius carnem.

ſuum appellans,ut & hinc iam eum intelligas corporis ſui figuram panis dediſſe, cuius retrò corpus in panem Prophetes figurauit, ipſo DOMINO hoc Sacramentũ poſtea interpretaturo. Idem ibidem: Iſaac cum à Patre in hoſtiam deditus, lignũ ſibi ipſe portaret, CHRISTI exitum iam tunc denotabat, in uictimam conceſsi à Patre, & lignum paſsionis ſuæ baiulantis.

Simon Cyrenæus crucem poſt Ieſu tergũ portat.

Cum (milites) IESVM foris (hanc portam) crucifigendum educerent, nacti ſunt illic Simonem Cyreneum ruri uenientem, Alexandri Rufiq́; patrem, quem comprehenderunt, eiq́; crucem poſt IESV tergum ferendam impoſuerunt. Sequebatur autem eum multa populi turba, & mulierum quæ plangebant & eum lamentabantur: Ad quas IESVS conuerſus, dixit: Ieroſolymitanæ filiæ, non me deflete, ſed uoſipſas ueſtrosq́ue filios deflete: nam dies uenient, quibus dicetur: Beatæ ſteriles, & uentres qui nõ genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt: tum (quidem eò uenietur, ut) incipiant dicere (homines) montibus: Cadite in nos, Et collibus: Operite nos: Nam ſi in uiridi ligno faciunt hoc, in arido quid fiet? Matth.27. Mar.15. Luc.23. Vbi Beda: Primò DOMINVS crucem portauit, poſtea Simoni eſt impoſita, & hoc cõgruè: CHRISTVS enim paſſus eſt pro nobis, ut ſuis inſiſteremus ueſtigijs. Qui uerò eum uult ſequi, tollat ſuam crucem, & ſequatur: At quia Simon non Iſraelita, ſed Cyrenæus erat, Simon autẽ obediens, Cyrenæus hæres exponitur: hinc per eum Gentiles deſignari poſſunt, qui cũ prius peregrini & hoſpites à teſtamentis eſſent, nunc obediendo per fidem ciues domeſticiq́ue Dei & cohæredes CHRISTI ſunt facti. De uilla autem Simon egrediens, crucem poſt IESVM portat: Sic populi Gentiles Paganis derelictis ritibus, Dominicæ paſsionis ueſtigia obedienter amplexę ſunt: uilla enim

1.Pet.2. *Matt.16.* *Mar.8.* *Luc.10.14.* *Epheſ.2.*

la enim Græcè πάγος uocatur, à quo Pagani nomen trahunt. Quòd DOMINVS ad mulieres inquit: Nolite me deflere, hoc dicere uult: Ne me moriturum lamentamini, cuius cita resurrectio mortē soluere potest, cuius mors & omnem mortē & ipsum mortis est destructura auctorem: uos potius uestramque progeniem dignis lachrymarum fontibus abluite, ne cum perfidis in meæ crucis ultionem damnemini. Illud: Ecce dies uenient, &c. Romanę obsidionis tempus notat, quo, ut Iosephus refert, Iudæi certatim montium cauernas colliumque speluncas, sese abdituri, petierunt. Quæ de uiridi & arido dicit ligno, hanc habēt sententiam: Si ego qui peccatum non feci, sed lignum uitæ meritò appellatus, duodenos gratiæ fructus per singulos afferens menses, sine paßionis igne ex hoc mundo non exeo, quæ illos tormenta manebunt qui fructibus sunt uacui, insuper & uitæ lignum flammis dare non timent? Similiter ferè Theophyl. Ille potest (exemplo Simonis) uerè Christi subditus fieri, eiusque tollere crucem, qui à uilla uenit, relinquens mundum & ea quæ in mundo sunt, & ad supernam atq; liberam Ierosolymam tendit. Quòd mulieres DOMINVM deflebant, id ille non approbauit, sed magis increpauit: uoluntariè enim patiebatur, Non decet autē lamentari eum qui spontè & pro omnium salute patitur, sed potius laudibus efferetur & celebrabitur: per crucem enim & mors destructa est, & infernus captiuus factus. Admonet porrò mulieres, ut ad futura mala respiciant, & ea propter fleant, quando mulieres per famem proprios filios coquent: Si enim in me talia faciunt Romani, in me ligno humido, feraci, & semper uirenti atq; uitali, in uobis, populo inquam arido, ligno sterili ab omni uiuifica iustitia, & nullum fructum afferente, quid non facient?

Apoc. 22.

Vetus Porta Somnij quoq; porta dici potest. Hebræum ueteris portæ nomen הישנה non solum uetustatem, sed & somnũ notat, ubi hoc considerabitur, quòd ueluti Deus primum Adamum in terreno Paradiso arctissimo consopiuit somno, eiq; tum unam ex costis detraxit, ex qua costa Eua formaretur: sic & alterum Adamũ DOMINVM è cœlis foris somnij portam uerissimo se mortis somno dare, & è morte reuiuiscere uoluisse, quò spiritualis Eua ex ipsius carne atque ossibus construeretur: Id quod Prophetæ, CHRISTI repræsentantes figuram, pridem antè denunciârant: ut Ierem. 31. cap. E somno suscitatus sum, uidiq;, & meus somnus mihi dulcis fuit. Et Dauid Psal. 3. Ecce cubaui, soporatus sum & expergefactus. Cumque hęc res ipso euentu cõprobata esset, eam D. Paulus 5. ad Ephes. cap. his descripsit uerbis: CHRISTVS semetipsum pro Ecclesia dedidit, eamque nutrit ac fouet, cuius (CHRISTI) corporis membra sumus nos, ex eius carne atque ossibus. Et Augustinus in Psal. 56. Quemadmodũ Deus Adamo immisit soporem, ut de latere illi coniugem faceret, sic dormiente CHRISTO in cruce, facta est coniux de latere: percussum enim eius latus lancea, & profluxerunt Ecclesiæ Sacramenta.

Genes. 2. *1. Cor. 15.* *Ephes. 5.*

CAP.

CAP. IIII.

שער גנת.

πυλὴ γέννεθ.

Porta horti ſeu Paradiſi.



Tertia quæ ſequitur, Paradiſi porta uocatur,
  Extrà quam nitidis floribus hortus erat,
In quo Saluator poſt ultima fata quieuit,
  E gelida ſurgens hic rediuiuus humo.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



DE hac porta Ioſeph. 6. de Bell. cap. 6. ſic ſcribit: Secundus murus à porta, quam Gennath appellabant, habebat initium, hæc autem porta fuerat muri prioris. *Gēnadicæ portæ ſitus.*

Gennath interpretatum ſignificat concluſum hortum ſeu Paradiſum: debuit Iſraelitas commonefacere, *Gennath quid.*

quòd postquã primus Adamus, ob diuini mãdati transgresionem, ex גן hoc est Paradiso, in Edene consito, exterminatus sit, & ita cœlestis quoque Paradisi accesionem amiserit, huc nec illi nec posteris alia uia aditũ dari posse, quàm per eum, qui & cœli porta in Scripturis nuncupetur, & Esa. 22. sub Eliachimi Helciæ filij persona eiusmodi depingatur modo: Illa die, inquit DOMINVS, uocabo meum seruum Eliachimum, qui erit Ierosolymæ habitatoribus Pater, Dauidicæq; Domus clauem in eius dabo humerũ, ita ut quod (is) aperuerit nemo claudat, & quod clauserit nemo aperiat. Hic uerò Eliachimus suum obire munus tunc cœpit, cum ad sinistram portæ Gennadicæ plagam cruci affixus, Latroni, primi Adami successori, sed tum conuerso, diceret: Hodie mecũ eris in Paradiso. Confirmat hanc sententiam Cyrillus 9. in Leuiticum libro his uerbis: CHRISTVS illi qui in cruce se regem esse confessus est, aperuit Paradisi ianuas, dicendo: Hodie mecũ eris in Paradiso: & per hoc omnibus credentibus & confitentibus ingrediendi aditum dedit, quem prius Adam peccante clauserat: Quis enim alius Rhomphæam flammeam uersatilem, quæ apposita est custodire lignum uitæ, & fores Paradisi, poterat dimouere? quis alius Cherubim peruigili excubantẽ custodia ualebat inflectere, nisi ipse solus, cui data est potestas omnis in cœlo & in terra? Matt. 28.

Damascen. Crux Christi clauis est Paradisi, hæc cõuertentiũ manuductio, perficientium perfectio, animæ salus, omniũ bonorum datrix.

Foris Gennadicam portam hortus fuit, in quo DOMINVS sepultus, & resuscitatus Magdalenæ hortulani forma apparuit. In uia autem ad hanc portam id accidisse apparet, quod Matthæus 28. cap. narrat: Egressæ (mulieres) à monumento cum timore & gaudio, currebant ut Discipulis (DOMINVM reuixisse) renunciarent: ut autem id renunciatum ibant, ecce IESVS occurrit eis, inquiens: χαίρετε, Gaudete. Atque illæ accesserunt

ſerunt, eiusq; pedes prĕhẽderunt, & eum adorauerunt. Tum IESVS eis ait: Ne timete (ſed) ite (ac) renunciate meis fratribus, ut abeant in Galilæã, & ibi me uidebunt. Vbi Hieron. Quæ ſic quærebant, quæ ita currebant, merebantur obuium habere DOMINVM reſurgentem, & primùm audire, χαίρετε, ut maledictum Euæ in mulieribus ſubuerteretur. Idem in illud Pſal. 68. Suppeditabit DOMINVS Verbum euangelizãtibus, &c. hic mulieres illę ſignificantur, quæ Apoſtolis euangelizârunt cum ſibi dictum eſſet: Euntes dicite fratrib. meis, eos in Galilæa me uiſuros.

Chriſtus mulieribus apparet.

CAP. V.

שער המטרה.

Πυλὴ ὑετοῦ.

Porta Pluuialis.

Quarta quidem nomen Pluuiarũ porta receptans,
Flumina cœleſtis larga notabat aquæ:
Hinc in caſtellum uia deflectebat Emaum,
Diſcipuli CHRISTO quod comitãte petunt.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



QVARTA Porta Nehemiæ 12. à pluuijs aquis, per eam ad irrigandas purgandasq; Vrbis plateas deductis, pluuiæ porta eſt appellata.

Pluuialis porta.

De myſtica cœleſtis Ieroſolymę pluuia, Eliphas Iobi 5. ſic fatur: Ego DOMINVM quæram, eique meum proponam eloquium, qui pluuiam per terras prębet, & aquam per plateas immittit: ut collocet humiles in ſub-

Spiritualis pluuia.

limi,ac mœrentes ad ſalutem confugiant. Et Zachar.10. ſuorum uaticiniorũ cap. Petite à DOMINO pluuiam, & is nubila faciet, uobisq; pluuiũ dabit imbrem. Quænam uerò hæc ſit pluuia, Iohannes in illud DOMINI dictum: Qui in me credit, eius ex uentre fluent aquę uiuæ flumina, &c. in hanc explicat ſententiam: Hoc Chriſtus dixit de Spiritu, quẽ accepturi erant qui in eum crederent. Et Irenæus lib.3. cap.19. Deus promiſit effuſurũ ſe Spiritum, qui renouaret homines à uetuſtate in nouitatem CHRISTI. Et DOMINVS pollicitus eſt mittere ſe uelle Paracletũ, qui nos Deo aptaret: ſicut enim de arido tritico maſſa una fieri nõ poteſt ſine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Chriſto IESV poteramus, ſine aqua quæ è cœlo eſt: Et ſicut arida terra, ſi non percipiat humorem, non fructificat: ſic & nos lignũ aridum exiſtentes primùm, nunquam fructificaremns uitam, ſine ſuperna uoluntaria pluuia, hoc eſt, ſine diuino Spiritu.

Iohan.7.

Raban. in 24. Eccleſ. Sanctam Eccleſiam ipſa ueritas ſuo dogmate ſemper irrigat & inebriat, ut fcuctũ partus ſpiritualis quotidie profeerat, in doctrina uidelicet uera, ſacrisq; uirtutibus & merito proficiat, illuminata à Sole iuſtitiæ ipſo que oriente, de q̊ ſcriptum eſt: Ecce uir Oriens nomen eius.

Via à Pluuiali porta.

Via à Pluuiali incipiens porta, in uicum Emauntem mittebat, in qua DOMINVS ipſo reſurrectionis die duos ſuorum Diſcipulorum acceſsit, & cum ijs iter faciens, à Moſe & Prophetis exorſus, per omnes Scripturas, quæ de ſe dicta forent, explicuit: eoq; loquente illorum corda ardebant, Luc.24. eodem nimirum accenſa Sermone, quo & Ieremias ſe accenſum fatetur: DOMINI Sermo, inquiens, eſt mihi in corde quaſi ardẽs ignis, in meis concluſus oſsibus, quem deficiens ſuſtinere nequeam, Cap.20.

Chriſtus cum duobus Diſcipulis Emauntem pergit.

Foris hanc Portam quintę Romanę legionis caſtra fuêre poſita, Ioſeph. de Bello lib.6. cap.3.

CAP.

CAP. VI.

שער אפראים.

πύλη τῆς καρποφορίας.

Porta Ephraimitica.

Porta dehinc ſeptem ſpectabat quinta Triones,
Quæ fuit Ephraim nomine dicta ſuo:
Ex hac directus tendebat in Hellada trames,
Gentes quam Graiæ tum coluere diu.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



VINTA Porta à Septẽtrione Iudaicæ & Beniamenſi tribui uicinos Ephraimitas reſpiciebat, à quibus & ſuum forſan nomen eſt ſortita. Eius Nehemias 8. & 12. capitibus mentionem infert. *Ephraimitica porta.*

Hieronymus in Oſeam & libro de Nominibus Hebraicis: Ephraim interpretatur καρποφόρος, fructifer, fœcundus, ſiue creſcens, aut creſcere faciens: quam expoſitionem illud Geneſ. 41. confirmat: Ioſephus alterum ſuum filium nuncupauit Ephraimum, quòd eum fœcundaſſet Deus in terra ſuæ afflictionis. CHRISTVS eſt uerus Ephraimus & ſpirituale lignum, quod ad uitalis aquæ puros riuos conſitũ, ſingulis menſibus ſuum edit fructum, cuius folia non decident, ſed ad Gentium ſanitatem pertinent, Pſal.1. Apoc.22. Ipſe eſt Abrahæ ſemen, in quo omnes fideles fœcundantur Gentes, Geneſ.17.28. Leuit.25. Pſal.105. Actor.3. Ipſe diuinum illud Verbum, de quo DOMINVS 55. apud Eſaiam cap. hæc pronunciat: Quemadmodum delabitur è cœlo pluuia

Auguſtin. in illud Pſal. 107. Ephraim ſuſceptio capitis mei: Ephraim fructificatio interpretatur. Chriſtus nos ſuſcipiẽdo fortes facit, fructificans in nobis.

Hier. Verbũ Domini in hac similitudine ille est, de quo scriptum: In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, qui nõ reuertetur uacuus nisi Patris perfecerit uoluntatẽ, & uniuersa cõpleuerit, propter quæ fuerat corporatus, & mundum recõciliauerit Deo. Qui de ore procedere dicitur, non ꝙ Deus os habeat ut nos, sed quòd nos naturã Domini per nostra uerba discamus.

Tytus: Christus exijt ut seminaret semen suum, non autẽ accepit Verbum quasi mutuatum, cum ipse naturaliter sit Verbum Dei uiuum.

Cyrill. in Iohan. Christus est frumentũ quo fidelis anima uiuere debet: ipse granũ de quo spiritualis seges debet crescere, & solidę fidei afferre fructũ.

aut nix, nec eo reuertitur: sed terram irrigat, & (ita) grauidat atq; fœcundat, ut (&) semen ad seminandum, & panem proferat ad uescendum: Ita erit meum Verbum quod ex meo egredietur ore, non redibit ad me uacuũ, sed faciet quod ego uolo, & fructum edet in ijs ad quos miseram. Ipse est spirituale semen, quod à cœlesti satore in bonam iactum terram, fructum effert partim cum centesimo, partim cum sexagesimo, partim cum trigesimo. Ipse granum frumenti, quod iactum in terram, & mortuum, multum edidit fructum, Iohannis 12. Ipse Iohannis 15. cap. ad suos Apostolos sic inquit: Ego sum uera uitis, uos palmites: qui in me manet, & ego in eo, is multum fert fructum: Siquidem sine me (uos) nihil facere potestis. Et paulò post: Ego uos elegi, & (eò) constitui, ut abeatis, & fructum feratis, uesterque fructus maneat.

Ioas murũ Vrbis diruit.

Cum Ioas Israelitarum Rex Amasiam Iudæorum deuicisset Regem, facta in Vrbem expeditione, murum diruit à porta Ephraimitarum ad portam Anguli quadringentos cubitos, curruque per id interstitium triumphabundus inuectus, Vrbis Dominus est factus, 4. Regum 14. 2. Paralyp. 25. Iosephus Antiquitatum libro 9. cap. 9. Ioas dicitur urens uel dissidens, aut aduersarius, denotat CHRISTI Aduersarium, hominem illum scelerosum, qui 1. Iohannis 4. Antichristus, Amos. 4. uentus urens, Psalmo 80. agrestis fera, DOMINI depascens uineam, nuncupatur. Vsias murum, unà cum Portis & Turribus à Ioa dirutis, instaurauit, 4. Regum 15. Iosephus Antiquitat. 9. cap. 11. Eius nomen fortitudinem seu potentiam DOMINI signat: Si nostrum respiciamus CHRISTVM, is Psalmo 27. fortitudo suæ plebis, & 1. ad Corinth. 1. Dei potentia uocatur. Idem Amos. 4. cap. de se ita fatur: Illa die ego reædificabo

Vsias instaurat.

Dauidi

Dauidi Tabernaculum, quod collabitur, eiusq; murorum aperturas reficiam,& ruinas ſuſcitabo.

Via ex hac porta ducebat Ioppen & in Græciam. *Via ex Ephraimitica porta.*

Poſtquam CHRISTVS, ſpiritualis ille Ephraimus, Ieroſolymis apparuit, ſuumque edidit fructum,& omnia quæ de ſe prædicta erant, perfecit: Indigenæ uerò eum nec recipere, nec, eius oblata gratia, fructum populo Dei dignum edere uellent, immiſſus eſt eis cum Romano exercitu Titus, qui foris Ephraimiticam portam ſua habuit caſtra, & Vrbe potitus, eam in rudera redegit, ubi nulli unquam orientur fructus, Luc.13,19. Ioſep. de Bello lib.6.cap.5. Lib.7.cap.18. Huc illud Irenæi ſpectat, cauſam Ieroſolymitani excidij huiuſmodi afferentis: Adhuc & de Ieroſolyma & de DOMINO quidam audent dicere, quoniã ſi eſſet magni Regis Ciuitas, non derelinqueretur. Simile autẽ eſt dicere, ſi quis diceret, quoniam ſi eſſet ſtipula Creatura Dei, nunquam à frumento derelinqueretur:& ſarmenta uineæ, ſi à Deo facta ſunt, nunquam à botris deſtituta abſcinderentur. Quemadmodum autem hæc non propter ſe principaliter facta ſunt, ſed propter creſcentem in eis fructum, quo maturo facto & ablato derelinquuntur,& è medio auferuntur, quæ iam non ſunt utilia ad fructificationẽ: Sic & Ieroſolyma, quæ iugum in ſe ſeruitutis portauerat, in quo domitus eſt homo, qui anteà non ſubijciebatur Deo, cum mors regnabat,& domitus habilis factus eſt ad libertatem, adueniente fructu libertatis & aucto & demeſſo, & in horreum apportatis ab ea his, qui fructificare poſſunt,& in omni mũdo diſſeminatis, quemadmodum Eſaias ait: Filij Iacob germinabunt,& florebit Iſrael, & fructu uentris eius adimplebitur uniuerſa terra: in uniuerſa enim terra fructu diſſeminato, meritò derelicta eſt, & de medio ablata eſt, quæ aliquando

Titi caſtra foris Ephraimiticam portam.

Cur Ieroſolyma demum ſtirpitus ſit exciſa.

quidem fructificauerat benè: ex ipſa enim ſecundũ carnem CHRISTVS fructificatus eſt, & Apoſtoli: nunc autem iam utilis non eſt ad fructificationem: quæcunque enim temporale initium habent, neceſſe eſt ea & finem habere temporalem. Hæc ille, lib. 4. aduerſus Hæreſes cap. 7.

CAP. VII.

שער בנימין·

Porta Beniamitica.

Et ſextæ ſitus portæ reſpexit ad Arcton,
Beniamin nomen cui dedit ipſe ſacer:
Ad Sion cuius ducebat ſemita montem,
Sic monſtrat ueram Chriſtus ad aſtra uiam.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Beniamitica unde dicta.



EXTAM portam in humili regionis ſeptentrionalis parte ſitam, à Beniamine duodecimo Iſraelis filio, & quòd illac ad Beniamitas exirent, Beniamiticam uocabant.

Beniaminis notio & myſterium.

Hieronymus in Zachar. & lib. de Nomin. Hebraicis, Beniaminem filium dexteræ exponit: Si nos noſtrũ intueamur CHRISTVM, is & Dei dextera & ad dexteram Dei ſedere in Scripturis dicitur: id uerò quomodo intelligi aut diſcerni debeat, ex ſubiectis Cyrilli & Ambroſij licet colligere uerbis, ſic enim ille de Incarn. Vnigeniti: Dexteram Dei Scriptura eius Filiũ (quoad Verbum) nominat, Nam cũ libro Eccleſiaſtici Filius inducatur, dicens: Ego mea manu firmaui cœlum, Dauid alibi ſic canit: Verbo DOMINI firmati ſunt cœli. Et Expoſi-

Eccleſ. 24. Pſal. 32.

poſitione Symboli Niceni: Quòd incarnatum Dei Verbum conſideat & æqualis ſit gloriæ cum Deo & Patre etiam in carne, tanquam exiſtens Filius, manifeſtat ſapientiſsimus Paulus: Talem, inquiens, habemus Pontificem, qui ſedet ad dexteram Throni magnitudinis in ſublimibus. Præterea & ipſe DOMINVS, interrogantibus eum Iudæis, nunquid ipſe eſſet uerè CHRISTVS: Si dixero uobis, inquit, non creditis, amodo erit Filius hominis ſedens à dextris uirtutis Dei: Ideò etiam incarnatum Filium in diuinitatis ſolio ſanctorum Prophetarum chorus contemplatus eſt. Hic autem lib. 3. de Sancto Spiritu cap. 2. Scriptura Filium Dei dexteram Dei dixit, ſicut lectum eſt: Dextera tua DOMINE glorificata eſt in uirtute, dextera manus tua DOMINE confregit inimicos. Idem lib. 1. de Fide: CHRISTO ſecundum carnem ſedes uenerabilis ad dexteram Dei Patris æqualitatis potentia à Patre defertur. Et rurſus libro ſecundo: Sedet ad dexteram Patris Filius, & propter rationem corporis (Pater) dicit: Sede à dextris meis. Dic nunc qui de ſecularibus arbitraris æſtimanda diuina, num tibi uideatur inferior, qui ad dexteram ſedet? Hæc illi.

Hebr. 7. *Luc. 22.* *Exod. 15.*

Beniamitica porta media erat, ſternens uiam per tenebroſam uallem ad montis Sionis portam. Myſtica cœleſtis Ieroſolymæ porta, exaltans nos è mortis portis, CHRISTVS eſt, Pſal. 9. Idem quoque uia, qui ſuos fideles, per lachrymarum tranſeuntes uallem, ab altera uirtute ad alteram deducit, uſque dum in ſuperiorem perueniant Sionem, ibi apud Deorum Deum appariturі, Pſalm. 84. Iohannis 14. Hebr. 10. De eo Auguſtinus alicubi ſic ſcribit: Cœleſtis Ciuitatis ciues ſumus, inquantum Chriſtiani ſumus, & indè peregrinamur quãdiu mortales ſumus, Rex ipſius Ciuitatis ſe

Beniamiticæ portæ ſitus & myſterium. *Chriſtus.*

fecit uiam,ut ad Ciuitatem perueniremus:ambulemus ergo in CHRISTO. Et Origenes in Psal.36. Nos ergo neque ad dexteram neque ad sinistram declinantes, ingrediamur mediã uiam quæ est CHRISTVS IESVS.

Anathoth.

Ieremias in Bẽiamitica capitur porta.

Digresso aliquando Chaldæorum exercitu à Ierosolymis,instituit Vrbe exire Ieremias, & in Beniamiticam proficisci terrã,natale suum solum Anathoth reuisurus,quod ab Vrbe 22. stadijs erat disitum: Sed ubi ad Beniamiticam portam uentum est, portæ custos,Ierias nomine,Selemiæ filius,Prophetam comprehendit,calumnians quòd ad Chaldæos uellet transfugere. Propheta contrà negauit,eum uerum afferre crimẽ, sed ire se in patriam. At ille nihil eius uerbis motus,duxit eum ad populi Principes in iudicium,qui Ieremiam diu torserunt,cæsumque in carcerem coniecerunt, in ædibus scribæ Ionathanis, ubi Propheta aliquanto tẽpore coactus est uiuere in ima specu,Ierem.37. Ioseph. Antiq.10. cap.10. Ieremias typum CHRISTI gesit,qui quòd Iudæis dixerat:Postquam adhuc pusillum temporis apud uos fuero,discedam ad eum qui me misit, Quæretis me nec inuenietis. Item: Videbitis Filium illũ hominis sedentem ad dexteram uirtutis,& in nubibus uenientem cœlestibus. Item:Eorum Domum desertam iri.Et:Dei regnum ab eis auferendum,Gentiq; dandum fructus editur æ,&c. Multas sustinuit calumnias,& demũ comprehensus à Pontificibus, Pilato ad mortis traditus est iudicium,Iohan.7.Matt.26.Luc.24.Actor.3.

Mysterium instaurationis Ierosolymæ.

Zachariæ 14. Ierosolyma exaltata firma manebit à porta Beniamitica ad locũ primæ portæ, & ad portam angularem. Vbi Hieron.Nos hìc Ierosolymã interpretemur Ecclesiam, quæ in carne ambulans non uiuit secundum carnem,sed (exaltata) suum municipatum in cœlo habet:hæc habitabit in loco suo, de quo scriptum

est:

eſt: In loco paſcuæ me collocauit. A porta Beniamin, qui interpretatur filius dexteræ, habitatur uſque ad locum primæ portæ, & uſq; ad angularem portam, cum à CHRISTI uirtute, quæ dextera dicitur, incipimus, & peruenimus uſque ad portam priorem, ut per eam ingrediamur ad cæteras, ſtatimque nobis occurrit porta Angulorum, ubi angularis Lapis eſt, quem reprobauerunt ædificantes, & factus eſt caput anguli.

CAP. VIII.

שער הפנים.

πυλὴ γωνίας.

Porta Angularis.

Septima porta ſimul geminos tendebat ad Vrſos,
Angulus huic olim nomina clara dabat:
Hæc iter oſtendens, ad mœnia celſa Damaſci
Ducit, ubi Paulus fulmine tactus erat.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



SEPTIMA Porta murum Septentrionalem cum Orientali coniungens, Angularis dicebatur, 4. Reg. 14. 1. Par. 26. Ierem. 31. Zach. 14. *Angularis.*

Hieronymus in illud Zachariæ: Ieroſolyma firma manebit à porta Beniamitica ad locũ primę portę & ad portã Angularẽ: Cum à porta Beniamitica incipimus, & peruenimus ad portam priorẽ, ſtatim nobis occurrit porta Angulorũ, ubi angularis Lapis eſt, quẽ reprobauerunt ædificãtes, & factus eſt in caput anguli: qui angularis lapis parietem utrunq; cõnectit, & duos populos in unũ redigit: de quo & Deus loquitur per Eſa. Ecce ponã *Spiritualis angulus.* *Eſa. 28.*

in Sion lapidem angularẽ & preciosum in fundamentis eius, & qui crediderit in eum non confundetur. Hic lapis angularis & cæteros lapides angulares superædificari sibi uoluit: ut Apostolus Paulus liberè posset dicere: Aedificati super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum ipso angulari lapide CHRISTO IESV. Hos lapides non imitantur, qui omnia gloriæ & lucri causa faciunt: & orant in angulis platearum, rectam semitam relinquẽtes, quos nos uicissim ut simulatos angulos relinquemus, & ad firmos atque robustos CHRISTI angulos transibimus.

Ephes. 2.

Via Damascũ ducens.

Via extra hanc portam ducebat in Galilæam, Cæsariam Philippi & Damascum, in qua DOMINVS Paulum, Christianos persequi uolentem, prostrauit, & ei sic dixit: Ego sum IESVS, quem tu persequeris.

CAP. IX.

שער הסוסים.

Πύλη τῶν ἵππων.

Porta Equaria.

Octauæ portæ facies spectabat ad Ortum,
Quæ tulit à sæuis nobile nomen equis:
Hierichunta uiam rectè monstrabat ad urbem,
Quæ uia non paucis exitiosa fuit.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Equariæ portæ descriptio & mysteriũ.



ORTAE octauæ Ieremias 31. his uerbis cõmeminit: Mensoria linea ducetur usque ad angulum portę Equorum ad orientẽ (positæ) Sanctum

ctum DOMINI nunquam euelletur. Et Nehem. 3. cap. A porta Equorũ instaurârunt Sacerdotes contra suam quisq; domum: Vbi Beda: Portam Equorum Ieremias significat in orientali Ciuitatis esse plaga, scribens sub (historiæ) typo de Ecclesia: Ad portam autem Equorũ ædificant Sacerdotes, cum ijs, qui ad refrenandos lasciuos carnis uel animæ motus ianuas Ecclesiæ intrant, illustria uiuendi exempla præbent. Hieron. in citatum ex Ieremia locum: Funiculus mensoriæ lineæ exit usq; ad angulum portæ Equorum orientalis, ut (mysticè) doceat, nos in hoc seculo indigere (spirituali) cursu atque certamine, si tandem cum DOMINO audire merebimur: Ascendisti equos tuos, & equitatio tua salus. In porta orientali in porta quadrigarum sanctificatio DOMINI esse dicitur, ut tunc nos perfectos arbitremur, quando dixerimus ad DOMINVM: Currus Dei decem milium multiplex milia lætantium, DOMINVS in eis in Sina in sancto. Istiusmodi ædificatio, quæ super fundamentum CHRISTI posita est, nunquã destruetur, sed permanebit in perpetuum.

Habác. 3.

Psal. 67.

Via ab hac porta, mittens per desertum Ierichuntẽ, dicebatur Bethagan seu uia deserti, de qua 4. Reg. 25. Ieremiæ 39. 52. & apud Iosephum Antiquitat. libro 10. cap. 11. hæc legimus: Cum Sedecias, Iudææ Rex, omnesque eius milites uidissent, Regis Babyloniæ proceres Vrbem (facta irruptione) ingressos esse, aufugerunt noctu regiorum hortorũ uia, per portam duobus muris interpositam, & profecti sunt per deserti uiam: sed eos persecuti exercitus Chaldæorum, Sedeciam in Ierichuntijs campis, cum uxoribus & liberis assecuti, (dilapsis eius omnibus militibus, quà quenque effugij spes tulit) comprehenderunt, & Reblatham, in Hemathensi sitam terra, ad Babyloniæ Regem Nebu-

Via deserti.

Hieron. de Loc. Hebr. Bethagan uia per quã Sedechiam fugisse legimus.

Sedeciæ fuga & captiuitas.

chadneſarem adduxerunt. Vbi Rabanus: Interrupta per uarias dęmonum tentationes (ſpirituali credentis) populi cuſtodia, hi qui (diuinipotentibus) armis Ciuitatem debebant defendere, nocte ignorantię & peccatorum uallati fugiunt: quia Mercenarius, qui Paſtor non eſt, ſi lupum uenientē uidet, dimittit oues, ac fugit, tum lupus oues rapit, diſpergitque. Quòd Sedecias eiusque milites per uiam portæ, quæ eſt inter duplicem murū, ad hortum, fugiunt: eo Doctorum inertia notatur, qui ſub duorum Teſtamentorum muro (Chriſto nempè Deo & homine) conſtituti, non belligerare, ſed effugere, hoc eſt in delicijs magis diffluere (quod hortus ſignificat) quàm fidei ſcuto hoſtibus obſiſtere quærunt. Fugit Sedecias ad campeſtria, quia Dæmonibus populum circundantibus (malus) rector fugit, non quidē ad montes, de quibus dicitur: Montes in eius circuitu, ſed ad ſolitudinis campeſtria, id eſt, ad latam & ſpacioſam uiam ad mortem ducentem. Sedeciam Chaldæi in Ierichuntis compręhenderunt planicie, cum quidem eius Bellatores diſperſi eum relinquerent: nempè ubi (myſticorum armorum) uirtutes hominem deſeruerint, quibus tamen defendi debebat, tū capitur in planicie Ierichontis, id eſt, in carnalis ſenſus defectione: Iericho enim interpretatur Luna, & carnis ſignificat defectum, qui hoſti reſiſtere nequit.

2. Cor. 10. Iohan. 10. Ephes. 6. Psal. 124. Matt. 7.

De homine in uia Ierichontē iacente in latrones lapſo.

Lucæ 10. de hac uia eiuſmodi infertur mentio: Legiſperito cuidam quærenti, quis ſuus proximus eſſet, quem ut ſeipſum amare deberet, IESVS ita reſpondit: Homo quidā Ieroſolyma ad Ierichontem deſcendens, in latrones incidit, qui eum diſpoliauerunt, inflictisque uulnerib. abierunt, eo ſeminece relicto. Accidit (tum) ut Sacerdos quidam per eandem uiam deſcēderet, qui illum (ut) uidit, præterijt. Similiter & Leuita ad eum

locum

locum delatus ubi uenit,uiditq;,prẹterijt. Samaritanus uerò quidam iter faciens,uenit ad eum, eoq; uiso,misericordia motus, accessit, & eius uulnera oleo uinoque perfusa obligauit, & eum iumento suo impositum, duxit in Diuersorium, eiusq; curam egit: & postero die egressus,deprompsit duos denarios, & hospiti dedit,inquiens: Eius curã habeto,& quicquid præterea insumpseris,ego in meo reditu tibi reddã. Quis ergo horum trium tibi uidetur proximus illius fuisse,qui in latrones inciderat?Et ille dixit:Qui in eum misericordiam exercuit. Tum IESVS ait:Vade,& tu facito similiter. Vbi Ambrosius:Si hæc uerba altius cõsiderentur,admiranda signant mysteria: Hiericho enim figura istius mundi est,in quam de Paradiso,hoc est,de Ierusalem illa cœlesti eiectus Adam, præuaricationis prolapsione descendit:hoc est,de uitalibus ad inferna demigrans,cui nõ loci,sed morum mutatio naturæ suæ fecit exilium: Longè enim mutatus ab illo Adam,qui inoffensa beatitudine fruebatur: ubi in secularia peccata deflexit,incidit in latrones: in quos non incidisset,nisi his,mandati cœlestis deuius,se fecisset obnoxium. Qui sunt isti latrones? nisi Angeli noctis atque tenebrarũ, qui se nõnunquam transfigurant in Angelos lucis,sed perseuerare non possunt. Hi aũt despoliant quæ accepimus indumenta gratię spiritualis,& sic uulnera inferre cõsuêrunt: Nã si intemerata quæ sumpsimus indumẽta seruemus, plagas latronum sentire non possumus. Caue ergo ne ante nu deris,sicut Adam ante nudatus est,mandati cœlestis custodia destitutus, & exutus fidei uestimento, & sic læthale uulnus accepit,in quo omne genus occidisset humanum,nisi Samaritanus ille descendens, uulnera eius acerba curasset. Non mediocris iste Samaritanus, qui eum,quem Sacerdos,quẽ Leuita despexerat,non etiam ipse despexit. Nec uocabulo sectæ despicias,quem uer-

Quis sit cuiusque proximus

bi interpretatione miraris: Samaritani etenim uocabulo custos significatur. Hoc habet interpretatio: Quis est custos nisi ille de quo dictum est? Custodiens paruulos DOMINVS.

Psal.112.

Itaq; sicut Iudæus alius in litera, alius in spiritu: ita est Samaritanus, alius foris, alius in occulto.

Iohan.3.

Hic ergo Samaritanus descendens: Quis est qui descendit de cœlo, nisi qui ascendit in cœlum, filius hominis qui est in cœlo? Videns semiuiuum, quem nemo poterat ante curare, uenit secus illum, hoc est, factus compassionis nostræ susceptione finitimus, & misericordię collatione uicinus. Et alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum.

Verbum crucis uinum, Verbũ gratiæ oleum.

Multa medicamina medicus iste habet, quibus sanare consueuit. Sermo eius medicamentũ est. Alius eius sermo constringit uulnera, alius oleo fouet, alius uinũ infundit. Constringit uulnera austeriore præcepto, fouet remissione peccati, sicut uino compungit denunciatione iudicij. Et imposuit, inquit, in iumentum suum: Audi quomodo te imponat: Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & pastor imposuit ouem lassam super humeros suos: Homo enim iumentis similis est factus, & ideò supra iumentum suum nos imposuit, ne nos essemus sicut equus & mulus, ut per nostri corporis assumptionem infirmitates nostræ carnis aboleret. Denique duxit nos in stabulum, qui eramus iumenta: Est autem stabulum, quo fessi longo itinere succedere solent. Duxit itaque in stabulũ, qui suscitat à terra inopem, & de stercore erigit pauperem.

Psal.112.

Sed non uacabat Samaritano huic diu in terris degere, redeundũ erat eò unde descenderat. Itaque altero die, de quo dictum est: Hęc est dies quē fecit DOMINVS. i. dominicæ suæ resurrectionis die, protulit duos denarios, duo nempè Testamenta, eius imaginem expressam in se habentia cuius precioso sanguine redempti sumus, ut ultimæ mortis uulnera uitaremus, Et hos dedit stabulario,

Psal.117.

Possumus etiam per duos denarios duplicē Christi cognitionē intelligere, nempe carnis & spiritus cognitionem.

Iren. lib.3. ca.19. uult Stabularium Spiritumsanctum esse.

rio, illi qui ait: Misit me CHRISTVS euangelizare, ut ægroti curam haberet, & ait: Quodcunque supereroga ueris, reuertens reddam tibi. Bonus dispensator Paulus, cuius Sermones & Epistolæ, uelut ei rationi quam acceperat, supererogatæ uidentur. Quando autem reuer teris DOMINE? nisi in die iudicij: Nam licet ubique sis semper, & stans in medio nostrûm non cernaris à nobis, erit tamen tempus, quo uniuersa caro te aspiciat reuertentē. Reddes ergo quod debes, beati quibus es debitor. Quomodo autē reddes? nempè cum dices: Euge bone serue, quoniā supra pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam, intra in gaudium DOMINI tui. Ergo quoniam nemo magis proximus, quàm qui uulnera nostra curauit, diligamus eum quasi DOMINVM, diligamus & quasi proximum: nihil enim tam proximum quàm caput membris. Diligamus etiam eum qui imitator est CHRISTI: diligamus eum qui inopiæ alterius corporis unitate compatitur: non enim cognatio facit proximum, sed misericordia: quia misericordia secundum naturam: nihil enim tam naturæ consentaneum, quàm iuuare consorem naturæ. *Matt. 25.*

CAP. X.

שער הגיא.

Πυλὴ τῆς φάραγγος.

Porta Vallis.

Nona quidem Vallis cognomine porta uocatur,
Solis ad exortum cui patuêre fores:
Quos Sol iustitiæ supero collustrat ab ortu,
His licet ex dira ualle meare necis.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

NONA porta à ualle Iosaphata, in quam desinebat, est nomen adepta. Beda: Extra portam uallis ad orientalem plagam erat uallis Iosaphat.

Nehemias 2. sui libelli cap. de seipso & hac porta sic loquitur: Ego noctu per portam uallis egressus sum, & fontē Draconis pretergressus, ad Sterquilinij portā perueni, & dirutos Ierosolymæ muros portasq; igne consumptas cōtemplatus, redij ad portā uallis, & per eā ingressus sum. Nehemiæ nomē consolantē Dominū notat. Verus Nehemias ille est, qui sua Incarnatione huius mundi uallē ingressus, postquā degentib. in tetrę noctis umbra apparuit, lugentesq; est consolatus, & suū perfecit munus, eò unde descenderat redijt, demisso deinde uicario Paracleto, ueritatis nēpè Spiritu, qui semper cū fidelib. manens, eos in omni cōsolaretur calamitate, ut cū Dauide canere queant: Dominus meam recreat animam, me per iustitię semitas propter suū nomen deducit (Itaq;) licet per lęthalis umbræ uallem ambulauero, nō metuam malū, quoniā tu es mecū (DOMINE) me tua uirga consolatur & baculus, Psal. 23. Cū hac explicatione Beda ferè consentit: Nehemias, inquiens, interpretatur cōsolator Dominus, uel cōsolator à Domino, qui cū Ierusalē muros renouârit, populumq; ab hostib. liberatū, in Iudæā reduxerit (& afflictos sit cōsolatus) patet eum & nomine & opere Christum significasse, qui ait: Ego rogabo Patrē, & alium uobis paracletū dabit, ut maneat uobiscū in æternū, Spiritum ueritatis. Et Psalmista de eodē: Aedificans Ierusalē Dominus. Hic passus semel in cruce, mundū suo redemit sanguine, descēdensq; ad inferos ueros inde Israelitas ad supernę ciuitatis mœnia deduxit, & etiānū hodie fideles à mundi perturbatione (per

Nehemiæ nominis notatio & mysterium.
Matt. 4. 5.
Ephes. 4.
Ioan. 14. 15. 16.
Actor. 1.

(per ſuum)congregans(Spiritum)ad Eccleſiæ conſortium perenneq́ue regnum conuocat.

Portam uallis inſtaurauit Hanum & Zanæ incolę, qui & eam ædificârunt, eiusq; oſtia, & ſeras repagulaq; poſuerunt: & inſuper muri mille cubitos uſque ad portam Sterquilinij. CHRISTVS quoque uerus eſt Hanũ, id eſt, gratioſus Dominus, qui ſua gratia omnes, & cadentes ſuſtinet, & lapſos alleuat, Pſal.145. In eo ſolo fideles certã obtinent pacem, cum in mundo perpetua habeant bella, Iohan.16. Vnde etiam Zanoh, id eſt, requies iurè uocari poteſt, laborantes recreans, & ſuum tollentibus iugum æternam præſtans requiem, Matt.11. Idem cœleſtis Ieroſolymæ muros reficit, eiusq́ue cunctas ſpirituales conſtruit ruinas: cui Dauid his ſupplicat uerbis: Benefac DOMINE bona tua uoluntate Sioni, ædifica muros Ieroſolymæ, Pſal.51. *Portæ uallis inſtauratores.* *Hanum.* *Zanoah.*

Via per hanc exiens portã, ducebat ad Iordanem, ubi Iohannes pœnitentiam prædicauit, ſuaq́; confitentes peccata baptizauit aqua ad peccatorũ remiſsionem, clamans poſt ſe uenturũ, qui ſancto Spiritu & igne baptizaturus eſſet, Matt.3. Mar.1. Luc.3. Iohan.1.

Hàc quoq; in deſertum ibatur, in quo cum Sathan CHRISTVM tentaret, ab eo ſuperatus & eiectus eſt: uincentę ex Iudæ tribu nato Leone, rugientem illum Leonem, qui nunquam non circuit, quærens quem deuoret, Matt.4. Mar.1. Luc.4. Iohan.1. Apoc.5. 1.Pet.5.

Eadem uia iter Pellam fiebat, quò Chriſtiani ante ultimam Vrbis euerriculationem, à DOMINO acciti, profugiſſe dicuntur. Epiphanius: Præmoniti Diſcipuli à DOMINI Angelo, tranſmigrârunt ab Vrbe funditùs perdenda, & habitârunt in Vrbe Pella ultra Iordanem. *Euſeb. Eccleſ. hiſt. lib.3. ca.5.*

CAP. XI.

שער האשפות·

πυλὴ τῆς κοπρίας·

Porta Stercorea.

Hic decimā (Lector) portā quoq; cernis ad ortum,
Vrbe per hanc populus ſtercora fœda tulit,
(Sic nihil immundum patitur noua Regia cœli)
Ad mare defunctum carpitur inde uia.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Stercoreæ Portæ ſitus & notio.



DECIMAM uallis portę in orientali plaga fuiſſe contiguam, tum Nehemię dudum adducta uerba oſtendunt, tum quæ ex Bedæ in Nehemiam Commentarijs ſubſcribam, declarant: Ferunt, inquit ille, urbis Ieroſolymæ ſitum ita molli cliuo contra Orientem fuiſſe diſpoſitum, ut pluuia decidens illic fluuij inſtar per orientales portas defluere, cunctasque ſecum platearum ſordes rapere, & in Cedronē, uallis Ioſaphatæ torrentem, exonerare poſſet. Videtur ergo ſterquilinij porta uocari, per quam præcipuè ſtercorata colluuies, omniumque platearum ſordes egerebantur.

Malcijas. Rechabus. Betaccarema.

De huius portę refectore Nehemias 3. cap. ſic fatur: Portā Stercoream refecit Malcijas Rechabi filius, princeps tractus Betaccaremę, is, dico, eam inſtaurauit, eiuſque ſeras, oſtia & repagula poſuit: Malcijas idē eſt quod Dominus Rex, Rechabus auriga uel equitans, Betaccarema domus uineæ: CHRISTVS in ſacris Literis Dominorum Dominus, Rexque Regum, Apoc. 17. & ſimi liter

liter ſub Heliæ typo Iſraelis auriga uocatur, eundē Da- 4.Reg.2.
uid Pſal.68.in hanc deſcribit ſententiam: Cantate Deũ, pſallite nomē eius, exaltate eum qui cœlorum orbibus (uelut equis) inſidet, cuius nomen eſt DOMINVS, Is ſolitarios domũ inhabitare facit, compedibus uinctos educit (cum interim) deſertores torridam incolant terram. Tu munificentiæ pluuia tuam Deus hęreditatem conſperſiſti, laborantesque confirmaſti. Suppeditabit DOMINVS Verbum euangelizantibus (mulieribus) magna uirtute. (DOMINVS ſic dicit) etiamſi (hactenus) iacueritis inter ſtercora, fietis (deinceps) columbæ ſimiles, cuius alæ in (purum) argentum, plumæ in fuluum conuerſæ ſunt aurum. Et Pſal.113. DOMINVS inopem excitat ex puluere, pauperem alleuat ex ſtercore, ut (eum) inter Principes collocet, & gloriæ thronum hæreditate faciat obtinere.

Poterat quoque Stercoreæ portæ nomen Iudæos commonefacere, niſi cœleſti paſcerentur pane, ſpiritualique internas ſordes abluerent pluuia, in calamitatum fimeta abijciendos, gehennæque ſtercoribus demum ſuffocandos eſſe, id quod eis Ezechiel ſtupendo oſten- Ezech.4.
dit exemplo, ſuum in eorum conſpectu panem ex bubulo parans ſtercore, Ieremias autē ipſo rei euentu tandem comprobatum eſſe, 4. Lamentationum his deplorat uerbis: Qui delicijs (in terreno Paradiſo) ueſcebantur, uicatim inedia conſumuntur: qui in cocco fuerant educati, in ſtercore pereunt.

Hiero. Quicunq; terrenam auaritiam uoluptatũq; delitias ſequutus, uiã iſtius uitæ incorrectus expleuerit, nō ad æternæ uitæ gaudia, ſed ad pœnarum eſt peruenturus fœditatem.

CAP. XII.

שער הצאן·

πύλη προβατική·

Porta Ouiaria.



Vndecimam Gregis hìc portam ſpectare licebit,
Quà tranſibat ouis ſacrificanda Deo:
Sic per eam IESVS ad funera ducitur aræ.
Hinc ad Meſſadam carpe uiator iter.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Gregis portæ ſitus, notio.

EDA in Nehemiam: Porta gregis propè Templum in Probaticæ uicinia fuit: inde nomen ſortita, quòd per eam pecora in Templo offerenda introducebantur.

Chriſti per Ouiariam portã ingreſſus.

Apparet CHRISTVM per hanc portam ueniſſe, cum noctu in horto trans torrentẽ Cedronem captus, Pon-

Pontificibus eſt adductus,& ab his porrò ad capitale iudicium Pilato traditus: ut reipſa demonſtraretur eum uerè ouem eſſe, in quā greges hactenus in Templo immolatę collimârint, cuius unius mactatione omnes reliquæ ſpirituales oues uindicandæ & in unum ſint cogendæ, prout infraſcripta indicant teſtimonia: Eſa.53. Omnes nos ut oues errauimus, ſuam quiſque uiam reſpicientes,& DOMINVS in eum omniũ noſtrûm iniquitatem coniecit, ut ouis ad mactationem ductus eſt, ut Agnus ante ſuum tonſorem obmuteſcens,ne os quidem aperuit,ex uinculis & iudicio ſublatus, è uiuorum terra abſciſſus eſt, accepta ob mei populi ſcelus plaga. Iohan.11. IESVS moriturus erat,ut diſperſos Dei filios in unum congregaret.

Ab Ouium porta cœpta eſt Vrbis à reditu ex captiuitate inſtauratio,id Nehemia his atteſtāte uerbis: Ego poſtquam Ieroſolymam ueni, atq; ibi triduum fui,coactos Magiſtratus & Sacerdotes ſic allocutus ſum: Vos uidetis quanta ſumus in calamitate, uaſtata Ieroſolyma eiuſq; portis igne conſumptis, Adeſte igitur reficiamus muros,ne amplius ſimus probroſi.Ergo excitati Eliaſibus ſummus Pontifex, eiuſq; fratres Sacerdotes cœperunt portam Gregis extruere, & eiuſdem erectis oſtijs eam ſanctificare uſq; ad turrim Hameam. Niſi ad huius typi regulam uerus Eliaſibus,id eſt, DOMINVS ſedens, CHRISTVS ſcilicet IESVS, qui ad ſui Patris dexteram ſedens, æternus ſecundum Melchiſedechi ordinem Sacerdos exiſtit,ſpiritualem ſpiritualis Vrbis auſpicetur refectionem,eiuſq; ruinas inſtauret & oſtia ſuo luſtret Spiritu, fruſtraneam impendent operam ad hanc rem nec initiati,nec certam fabricandi tenentes uſum.

Vrbis mœnia ab ouiaria porta cœpta ſunt inſtaurari.

CAP. XIII.

שער העין שלה.

Πυλὴ τῆς πηγῆς.

Porta fontis Siloæ.



Vltima porta quidem, fontis quæ nomen adepta,
Inter erat montes ædificata duos,
Per quam tranſibat cunctanti CHRISTVS aſella,
Hinc & in Engeddam ſemita trita patet.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



VODECIMA porta cõſtitit in ualle Moriam à Sione ſeparante, propter fontem Siloam, unde & nomen accepit: de ea ſic Nehemias 2. capite: Perueni ad portam fontis, & ad Regiã piſcinam. Et 12. Hi ad portam fontis per gradus Ciuitatis Dauidis aſcenderunt. Idem cap. 3. Portam fontis refecit Sal-

cit Sallumus Colhoziæ filius, Miſpenſis tractus Princeps, is (dico) eam ædificauit ac operuit, eiusq; oſtia, ſeras, repagula fixit: itemq; murum piſcinæ Selaæ ad hortos Regis, uſque ad gradus quibus ex Ciuitate Dauidis deſcenditur. Sallumus idem eſt quod pacificator aut perpetuò manens, Cholhoza omnia uidens, Seloa miſſus: Noſter ille CHRISTVS unicus eſt pacificator, æternùm durans, Coloſſ.1. Iohan.7. Is ęternus Sermo, cuius flammeis oculis omnia nuda ac reſupina ſubiacent, Hebr.4. Apoc.1. Hunc cœleſtis Pater in lachrymarum huius mundi uallem, ut promiſſum Meſsiam uerumq; Iſraelis Regem, demiſit, ut confractos in remiſsionem emitteret, iuſtitiamque ſitientes ad uitalis aquę fontem deduceret, & ſuos æmulos in cœleſtem transferret Ieroſolymam, Matth.5. Luc.4. Eaq; re is per fontis portam aſina uectus terrenam ſubijſſe Ieroſolymam creditur, quò ipſo facto oſtenderet, de ſe intelligēda eſſe, quæ in propheticis extant ſcriptis, hoc modo: Geneſ.49. A Iuda ſceptrū non recedet, uſque dum ueniat Siloa, miſſus ille Meſsias, cuius eſt regnum. Eſa.19. DOMINVS illis Seruatorem Magiſtrumque mittet, qui liberet eos. Zach.9. Exulta uehementer filia Sion, exclama lætè filia Ieroſolyma, ecce uenit Rex tuus, qui iuſtus & Seruator eſt, humilis equitans in aſino & pullo aſina nato.

Sallumus. Cholhoza. Seloa.

Ioſephus hanc portam ab Eſſenis, per eam ad Engedi nemora comeantibus, Eſſenorum uocat portam, De Bello lib.6. cap.6. Eſſeni.

DE PORTIS INTRA VRBEM.

CAP. XIIII.

שער התיך.

Πυλὴ μέση.

Porta Media.

Hìc mansere Duces magna Babylone profecti,
Vrbs ubi capta fero maxima ab hoste fuit.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



LEGITVR & de alijs portis, sed quòd eas intra Vrbem fuisse putamus, quamuis incerti quonam loco, seorsim breui describere placuit.

Media porta. Ieremias 39. cap. portæ cuiusdam Mediæ his uerbis commeminit: Capta & interrupta Vrbe anno Sedeciæ Regis undecimo, quarti mensis die nono, ingressi omnes Regis Babyloniæ Principes, consederunt in porta Media Neregal, Saræzer, Sangarnebo, Rabsaris, Neregar, &c. *Babylonij duces.* Scilicet quia Ierosolymitani nullam DOMINI habebant rationem, qui tamen in eorum medio ad eos seruandos uersabatur, iuxta illud Sophoniæ: O Ierosolyma, DOMINVS Deus tuus in tui medio uersatur, potens ut te seruet: *Soph. 3.* immissi sunt Chaldæi, qui Vrbe capta & diruta, Regem cum subditis Babylonē captiuos traduxerunt, ut suo experirentur malo, utrum cōmodius sit Deo seruire an homini, quantumúe differat inter Dei & terrestrium regnorum imperium. *2. Par. 12.*

CAP.

CAP. XV.

שער המים·

πυλὴ τοῦ ὕδατος.

Porta Aquaria.

Non procul hinc Esdras, populi præsente caterua,
Explicuit Legis iussa uerenda sacræ.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



PORTAM Aquarum eandem esse, quæ & Orientalis & Sacra porta uocatur, ex subiectis constabit testimonijs: Nehem. 8. Cum mense septimo totus populus, quasi Vir unus, in plateam, quæ est ante portam Aquarum, conuenisset, Esdras Scriba & Sacerdos librũ Mosaicæ Legis coram ijs legit, è suggestu ligneo, ad eã rem facto, Cap. 12. Hi quidem ad portam fontis è regione aliorũ per gradus Vrbis Dauidis ascenderunt, supra Dauidis domum, usque ad aquæ portam Orientalem. Cap. 3. Nethinæi refecerunt usq; contra portam aquæ ad Orientem. Et rursus: Post Sadocũ refecit Semaias Sechaniæ filius custos portæ Orientalis. 3. Esd. 9. Primo die mensis septimi Esdras Sacerdos legem attulit, eamq; pręsente omni uirorum, mulierũ & Sacerdotũ multitudine legit, in area portæ sacræ, ad Orientem uersæ. Ioseph. Antiq. 11. cap. 5. Septimo mense dum Scenopegiæ festũ celebratur, & fermæ totus populus conuenit, accedentes ad patentem Templi partem, quæ Orientalẽ portam spectat, rogauerunt Esdram, ut eis legem Mosis legeret: quod & fecit stans in medio multitudinis à manè usq; meridiem: Ex qua lectione non solum in præsens & futurum discebant

Porta Aquaria, Orientalis, Sacra.

Esdras populo legem recitat.

Scenopegia festum.

quid eſſet rectum, ſed etiam prӕteritorum memoriam retractantes lachrymabantur, ſic cogitantes: quòd nullas calamitates fuiſſent perpeſsi, ſi præſcripta Legis diligenter obſeruaſſent. Ex eo quòd Eſdras ad Aquariã portam Legem recitabat, auditores diſcere poterant, ſe cõclusum uelamineq; tectum Legis librum nec cum fructu lecturos, nec rectè intellecturos eſſe, niſi ad promiſſum Meſsiam, qui & cœli porta, ortusq; & uerus ſit Eſdras, coacti, ab eo ſpiritualib. gratiæ aquis perfundãtur, nouaq; donẽtur luce: de quo apud Prophetas huiuſmodi uaticinia extent, Eſa. 22. Illa die, inquit DOMINVS, uocabo meum ſeruum Eliachimum, in eiusq; humerũ dabo Dauidicæ domus clauem, ita ut quod (is) aperuerit, nemo claudat: & quod clauſerit, nemo aperiat. Et Pſal. 147. Emittet ſuum Verbũ, eosq; liquefaciet, cumq; is ſuo Spiritu flabit, fluent aquæ. Zachar. 6. Ecce uir Oriens eius nomen, ſub eo orietur. Malach. 4. Vobis meũ nomen timentibus orietur iuſtitiæ Sol, cuius in alis erit ſanitas.

CAP. XVI.

שער ברזל.

Πυλὴ σιδηρᾶ.

Porta Ferrea.

Angelus huc uenit ducens è carcere Petrum,
Mox cecidêre tuæ ferrea porta feræ.

HISTORIA.



ACTORVM 12. Petrus dormiebat (in Herodiano carcere) inter duos milites, duabus uinctus cathenis, & ecce ſuperuenit Angelus Domini, qui

qui percuſſo Petri latere eum excitauit, dicens: Surge, &(protinus ad hanc uocem) exciderunt cathenæ ex eius manibus, dixitq́ue Angelus: Me ſequere. Quumq́ue primam & ſecundã præterijſſent cuſtodiam, uenerunt ad portam Ferream, quæ in (nouam) ducit Vrbẽ, hæc eis (ſua) ſponte aperta eſt (quamlibet ſeris & obijcibus munita) Et Petrus, ut ad ſe redijt, ita dixit: Nunc uerè ſcio DOMINVM me ex Herodis manu rapuiſſe. *Porta ferrea.*

INTERPRETATIO.

PORta ferrea Hebræi admonebantur, quòd uelut eos DOMINVS idcircò ex ferrea Aegypti fornace eripuerit, ut ei eſſent peculiaris populus: ſic eundẽ ſolum ſpiritualia peccati oſtia perfringere, ferreaq́ue æternæ mortis clauſtra conterere, & ex inferni portis liberare poſſe, quem obſeruare, proq́ue unico ſuo uindice atque Seruatore ſemper ac inprimis colere debeãt, uelut Scripturæ ſparſim oſtendant: uerbi cauſa, Deuter. 4. DOMINVS Deus ueſter uos ex ferrea Aegypti fornace eduxit, ut ei eſſetis peculiaris ſeu hęreditarius quidam populus. Pſal. 107. Qui in tenebris & mortis umbra ſedent, miſeria & ferreo conſtricti (compede) ſi in his periculis DOMINVM inuocant, ille eos liberat, abruptis eorum uinculis. Confiteantur illi DOMINI benignitatẽ & miracula apud hominum filios, qui oſtia effregerit ærea, ferreaq́ue clauſtra perruperit. Pſalm. 9. Eripe me (DOMINE) de portis mortis, ut tuas laudes omnes in portis filiæ Sionis enarrem.

CAP. XVII.

שער המפקד·

Πυλὴ τῆς ἐπισκέψεως·

Porta Miphcada.

Porta Sacerdotum fuit hæc addicta cohorti,
Officij nomen quæ tulit inde sacri.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



DE hac porta Nehemias eo 3. capitis loco, ubi habitationis Nethineorum atq; Leuitarũ mentionem facit, hęc affert: Malcijas aurificis filius instaurauit usque ad ædes Nethineorũ & Negotiatorum contra portam Miphcadam, usque ad Cœnaculum anguli. Malcijas exponitur Rex meus DOMINVS, Miphcada porta Episcopi seu uisitationis: quę nomina indicabant, uerum illum spiritualis Israelis Regem unicumq; fidelium animarũ Episcopum CHRISTVM IESVM sua in carne præsentia Ierosolymam inuisurum, iuxta illud Sophoniæ: Visitabit eos DOMINVS ipsorum Deus, & omnem captiuitatem auertet: Verumenimuerò cũ de eo iam præsente Zacharias testaretur, Inuisit uos Ortus ab alto, nec suæ Ierosolyma uisitationis tẽpus agnoscere uellet, immissi sunt ei Romani, qui eam adeò complanârunt, ut ne lapidem lapidi impositum reliquerint, Luc. 1. 19.

Malcijas. *Miphcada.* *1. Pet. 2.* *Soph. 2.*

CAP.

C A P. XVIII.

שער הארסית׃

Πυλὴ ὀστρακίνη.

Porta Lateritia.



Fictile uas allidit humo frangitq; Propheta,
(Sic etenim fuerat iussus ab ore Dei)
Et Solymas arces simili ratione modoq;
Casuras quondam, uoce gemente docet.

HISTORIA.

NARRAT Ieremias 19. suæ prophetię cap. Dominum sibi hęc mandasse: I emptũ testaceam fideliam à figulo, & (assumptis) ex populi Sacerdotumq; Senioribus, exito in uallem Benhennomi per portam Tharsitam (hoc est, lateritiã, seu ut alij interpretantur, Solarem) & ibi frange fideliam in eorum conspectu, qui tecum erunt, eisque sic dicito: Hæc dicit DOMINVS Sebaoth: Sic ego istum populũ

Lateritia uel Solaris porta.

Vaticinium de Vrbis complanatione.

Ciuitatemq; confringam, ut frangitur fictile uas, quod deinceps non potest refici. Vbi Hieron. Vult Scriptura diuina non solum auribus doceri populũ, sed & oculis: magis enim mente retinetur quod uisu, quàm quod auditu ad animum peruenit. Quanquã autem ea quæ hìc prophetantur, & in Babylonia captiuitate accidisse populo nouerimus, tamen quia postea Vrbs instaurata populusque in Iudæam reductus, & pristinæ est restitutus abundantię, plenius referuntur ad tempora Saluatoris, quando obsessi sunt à Vespasiano & Tito, & Ciuitas eorum Hadriani temporibus in æternos cineres collapsa est, cuius ruinæ ad consummationem usque seculi permansuræ sunt, quanquam sibi Iudæi auream atq; gemmatam Ierusalem restituendam putent, rursumq; uictimas, & sacrificia, & coniugia sanctorum, & regnũ in terris DOMINI Saluatoris, &c. Hæc tamẽ nos non sequimur, edocti Prophetæ uerbis, quemadmodũ uas fictile & testeum si fractum fuerit, in antiquam speciem non potest reformari: sic & populũ Iudæorũ & Ierusalem subuersa, pristinum statum non esse habitura. Denique cassum est hodie nomẽ ipsius Ciuitatis, & ab Aelio Hadriano Aelia dicitur, & cum habitatione pristina, pristinum quoq; nomen amisit, ad decutiendã eius habitatorum superbiam. Sanctæ autem crucis & resurrectionis uocabula (quæ iam sunt) non Vrbem ueterẽ significant, sed locũ (ubi DOMINVS in monte Caluarię crucifixus & resuscitatus est) nec diuitiarũ quondã magnitudinem, per quam perijt populus Iudæorum, sed gloriam sanctitatis, quã nostra paupercula posidet Bethlehem, non habens aurum & gemmas, sed panis memoriam qui in ea natus est. Hæc ille.

Ierosolymam adeò dirutam, ut nec poßit nec debeat instaurari.

Ierosolymæ etiam nomẽ deletum. Aelia.

Bethlehem.

DE

DE COLLIBVS, VALLIBVS, FONTIBVS: NEC non Caſtellis, Vrbibusq; & item alijs celebrioribus locis atque ædificijs, proximè circum Vrbem, à quatuor mundi regionibus, poſitis.

LIBER VII.

PSAL. CXXV.

Ieroſolyma habet montes in circuitu, & Dominus in ſui populi eſt circuitu ex hoc tempore in ſempiternum.

IOSEP. DE BEL. LIB. VI. CAP. VI.

Interiores Ciuitatis duo colles foris profundis uallibus cingebantur, & utrinque obſtantibus rupibus nulla ex parte adiri poterant.

ARIST. AD PHILOC.

Regio circum Vrbem eſt ampla & bona uerſus quidem Samaritas, & quà attingit Idumæos magna ex parte eſt campeſtris: in alijs nõnullis locis montoſa, conſita paſsim arboribus oliuarum, & ferax omnis generis frumenti & leguminum: adhęc uineis & mellificio abundat, palmæ uerò & alię frugiferæ arbores ſunt innumerabiles apud ipſos: itẽ iumẽta & pecora omnis generis multa, & paſcua uberrima.

DE LOCIS IN MERIDIONALI REGIONE.

CAP. I.

נם גי ביזהנם.

Φάραγξ ἐννόμ.

Vallis Benhennomi.



Vallis erat geminos inter denſiſsima Montes,
A mœrore graui nomen adepta ſuum:
Dæmonis illa refert domicilia ſæua Tyranni,
Queîs pauor & luctus nocte dieq; cubat.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



INTER Chalcaldemam & Sionem montes in meridionali, proximè Vrbis muros, regione erat uallis Gehĕnomi ſeu Gebenhennomi: Ioſuæ 15. Tribus Iudæ terminus aſcendit per uallem filij Hennomi à meri- *Gehĕnomi uallis deſcriptio.*

die ad latus Iebuſis (quæ eadem Ieroſolyma eſt) Et 18. Meridianus Beniamiticæ ſortis limes deuergit in uallem Hennomi, ad auſtrale latus Iebuſis. Nehem. 11. Iudęi occupârunt Lachin à Berſaba uſque ad uallem Hennomi. Hieron. Benhennon, quę alio loco Gehennon dicitur, id eſt, uallis filiorum Ennon, haud procul à Ieruſalem erat, ab ea accepit originem nomen Gehenna. Et libro de Locis Hebraicis: Gehennon interpretatur uallis Hennon, à qua quidam appellatã gehennam putant. Cecidit autẽ in ſortem tribus Beniamin, iuxta murum Ieruſalem contra Orientem.

Gehennæ appellatio.

Hennon dicitur deceptor, seductor, uim inferẽs: denotat antiquũ ſerpentẽ Sathanam, qui teſte Iohanne totũ mundum ſeducit.

Topheth. *Baal.* *Moloch.*

In ualle Hennomi Topheth erat, ubi Iſraelitæ uero ueri Dei cultu poſthabito, deaſtris ſacella conſtruxêre, Baalemq; ſunt uenerati, atque adeò ſuos liberos Molocho igni crematos immolarunt: 2. Paral. 28. Achazus regnauit Ieroſolymis annos ſexdecim, nec rectè ſe geſsit coram DOMINO, quemadmodum pater ſuus Dauid fecerat, ſed Regum Iſraelitarum uijs inſiſtens, nõ ſolum Baali ſimulachra cõflauit, ſed & in ualle filij Hennomi adoleuit, & filios ſuos, † ritu Gentili, igni cremauit. 2. Paral. 33. Manaſſes Gentium abominationes imitatus, aras Baali erexit, ſuosq; filios per ignem in ualle filij Hennomi traiecit. Ierem. 7. cap. Extruxerunt excelſa in Topheth, quod eſt in ualle filij Hennomi, ad ſuos filios filiasq; igni cremandos. Et 32. Baalis excelſa quæ ſunt in ualle filij Hennomi ædificârunt, ad ſuos filios filiasque Molocho initiandos. Hieron. in 7. cap. Ierem. Topheth quæ eſt in ualle filiorum Ennom, illum locum ſignificat, qui Siloe fontibus irrigatur, & eſt amenus atque nemoroſus: Hic autem Gentilitatis error omnes prouincias occupauit, ut ad capita fontium lucosq; amœniſsimos uictimas immolarent, & omnis prauæ ſuperſtitionis religio ſeruaretur. Topheth lingua Hebræa interpretatur latitudo, traduntq; Hebræi ex hoc loco appellatam

Topheth notio.

latam Gehennam, quòd ſcilicet omnis populus Iudæorum ibi perierit, offendens Deum. In quo loco etiam filios ſuos in igne idolis conſecrârint, ſiue holocauſtum obtulerint, quæ DOMINVS illis non præceperit, nec ulla legis iuſſerit ſanctione. Quod ſi Iephte obtuliſſe filiam ſuam Virginē Deo dicitur, non (ideò) ſacrificium placet: Neque enim ſi canis, aut aſinus, aut immundum quodlibet animal primùm occurriſſet patri, à cœde hoſtium reuertenti, Deo illud offerre debuerat. Et rurſus: In ualle filij Hennom fuit delubrum Baal, & lucus Siloę fontibus irrigatus, & ara ſuper quā immolauerunt ſuos filios Iudęi. Idem de Locis Heb. Topheth, pro quo in Ieremia Arantophet legimus, eſt in Suburbanis Aeliæ uſque hodie locus, qui ſic uocatur, iuxta piſcinam fullonis & agrum Aceldema. Ac iterum: Vallis filiorum Hennom ſubiacet Siloæ fontibus, & amœnitate ſui, quia locus irriguus eſt, populū prouocauit ad luxuriam, quam idolorum cultus ſequitur.

Iephte.

† M. B. S. *Eſt in Hiſtorijs, Ariſtomenem Meſſenium Ichometi Ioui trecentos uiros mactaſſe, Tauros populos, qui circa Tauricam Cherſoneſum habitabant, hoſpites ſuos qui mari aberraſſent, Tauricæ Dianæ immolaſſe, Ioui mactari ſolitos homines à Leſbijs. Tradunt item Erechtheum Atticum filias ſuas ſacrificaſſe. Calchas legitur iußiſſe Agamemnonis filiam immolari, & Tireſias Creontis filium mactari uictimam pro patria. Meſſenijs Delphicus dæmon promittit uictoriam contra Lacedemonios, ſi uirginem ex Aegyptidarum familia Deo immolarent. Is eſt prodigioſus Deorum alienorum cultus, quem pernicialis humani generis hoſtis excogitauit, ut hominum pariter corpora & animos perderet.*

Immani iſta ac Druidica idolomania Dominus Iudæis aliquoties interdixerat, Deut. 11. Cauete ne ueſtro decepti corde à Domino ad alios Deos recedatis, eosq́; colatis atq; adoretis. Leuit. 18. Semen tuum ne dato (per ignē) traijciendū Molocho. Cap. 20. Quicūq; uel ex Iſraelis filijs uel inter Iſraelitas cōmorantib. peregrinis de ſuo ſemine Molocho dederit, morte mulctator, à populo lapidib. obruitor. Cōtra huiuſmodi ego uirū meā faciē ſtatuā, eumq́; de mei populi medio ſuccidā, ut q de ſuo ſemine Molocho dederit, & (ita) ſanctuariū meū polluerit,

Cæſar Cōment. lib. 6. Galli pro uictimis homines immolant, miniſtrisq; ad ea ſacrificia Druidibus utuntur.

Interdictus Molochi cultus.

ſanctumque nomen meũ prophanauerit. Quod ſi terræ populus in eo Viro, qui ſuum ſemen Molocho dederit, conniuens, eum non interfecerit: ipſe ego tum contra eum tum eius cognationẽ meam ſtatuam faciem, & eum & omnes, qui eius exemplo cum Molocho adulterauerint, de ſui populi medio extirpabo.

Ratio & modus cremandorum puerorum Molocho.

Sunt qui uelint hoc idolum principatum tenuiſſe inter cætera idola: atq; id indicare uerbum imperandi regnandiq; מלך à quo nomẽ idoli illius ſit deductum. Huc ſpectãtes LXX. uertunt ἄρχον.

Lyra & alij Eccleſiaſtici Scriptores tradunt, Molochi idolum æneum atque concauum fuiſſe, figura Regis ita fabrefactum, ut brachia porrigeret, ſubiectoque igne totum incandeſceret, ante id inter duos parietes focum accenſum eſſe, per quem pueros, ad conſecrandũ traditos, Flamines eouſq; traduxerint, quoad in Molochi amplexus, igni iam etiam candentes, impellerentur & illic, grata futuri uictima, prorſus cremarẽtur: ne uerò lugubris puerorum clamor exauditus paterna commoueret uiſcera, tympana pulſari ſolita, atque hinc locum illum תפת à הפה quod pulſare eſt, nominatum, Alij Topheth Suadelam, Hieronymus & Eucherius latitudinem interpretantur, ibi quippè antiquus ille Serpens phaleratis ſuis ſuggeſtionibus homines in latã deduxit uiam, ut & ſeipſos & ſuos liberos filios gehennæ, id eſt, perditionis facerent, perſuaſi ſe Deo non minus ipſo Abrahamo, qui iuſſus ſit Iſaacum filiũ offerre, rem gratam facere.

Topheth.

Matt. 23.

Ioſias Topheth polluit.

Quarto Reg. 23. Ioſias, pius ille Iudææ Rex, polluit Topheth, quod erat in ualle filij Hẽnomi, ne quis ſuum filium filiamúe per ignem Molocho traijceret: Per Ioſiam CHRISTVS adumbratur, de quo Euangeliſtæ hæc narrant: Offerebant ei pueros ut eos tangeret, Diſcipuli uerò eos qui offerebant increpârunt, Quod cum IESVS uidiſſet, indignatus dixit: Sinite pueros ad me uenire, néue eos prohibete, Et eos amplexus, manibusq; eis impoſitis benedixit, Mar. 10. Matth. 19. Luc. 16.

Liberos nõ Satanæ, ſed Chriſto offerendos

Cum

Cum Ieremiæ tempore hęc idolomania instaurata iterum uigeret, iussit eum DOMINVS, quæ subijciam, & facere & prædicare: I emptum testaceam fideliam à figulo, & (assumptis) ex populi Sacerdotumque Senioribus, exito in uallem Benhennomi, & ibi uerba, quæ ego ad te loquar, prędicato, atq; (ita) dicito: Audite DOMINI Verbum Iudææ Reges & Ierosolymæ incolæ, Sic dicit DOMINVS Sebaoth: Ego (eiusmodi) malum in hunc locum inducam, ut quisquis id audierit, aures ei tinniant: quoniam derelicto me, locum istum abalienârunt, adolentes in eo Dijs alienis, quos nec ipsi nec eorũ Patres aut Iudææ Reges nouerant, eumq; locum sanguine repleuerunt innocentũ, constructis Baali excelsis, ad filios suos igni cremãdos, Baali uictimas, quod ego non præcepi, neque (unquam) locutus sum. Idcirco dies uenient (dicit DOMINVS) cum non amplius uocabitur locus iste Topheth, aut uallis filij Hennomi, sed uallis occidionis: dissipaboq; Iudæ & Ierosolymæ consilium in isto loco, & eos gladio in ipsorũ hostium conspectu prosternam, atque eorũ cadauera auibus bestijsque obijciam uoranda, eosq; suorum filiorũ filiarumq; carne cibabo, ita ut alij aliorũ carnem comedant in obsidione & angustia, qua eos constringent hostes. Franges autem fideliam in eorũ cõspectu qui tecum erunt, eisq; ita dicito: *Sic inquit* DOMINVS *Sebaoth*: *Sic ego* istum populum Ciuitatemq; confringam, ut frangitur fictile uas, quod deinceps nõ potest refici: & in Topheth sepelientur, eò quod alius non erit locus ad sepulturam. *Sic ego* isti loco faciam (dicit DOMINVS) & eius habitatoribus, reddamq; Vrbem istam similem Topheth, ita ut sint Ierosolymæ Regumq; Iudęæ ædes, qualis est Topheth locus, immundæ scilicet, Cap. 7. & 19. Vbi Hieron. Quanquam hæc & in Babylonica captiuitate accidisse nouerimus, ubi tanta populi cædes facta est, ut

Vaticinium de loci Topheth & Vrbis uastatione.

in locò prius religioni dicato ſepulchra innumerabilia ſint erecta, & quos ibi ſepelire nõ potuerant, ab auibus ſint lacerati, & à beſtijs deuorati: ſed tamen plenius referuntur ad tempora Saluatoris, quando obſeſsi ſunt à Veſpaſiano & Tito, & Ciuitas eorum Hadriani temporibus in æternos cineres collapſa eſt: ut qui obtulerant filios ſuos idolis, ipſi eos poſtea, famis neceſsitate compulſi, in ciborũ uſum uerterent: carnesq́; omniũ darentur uolatilib. cœli & beſtijs terræ, ut qui DOMINI muneribus abuſi fuerant ad impietatem, & propria uiſcera idolis immolârant, uentres ſuos facerent ſepulchra liberorum.

CAP. II.

רוש ההר אשר על פני גי הנם.

Κορυφὴ τοῦ ὄρους. Ερωγὴ.

Mons Meridionalis.

Mons altè rigidus tepidum ſurgebat ad Auſtrum,
Contra Sionem culmina celſa ferens.

HISTORIA.


VNC montẽ Ioſua 15. cap. eiuſmodi deliniat uerbis: Tribus Iudæ terminus effertur in uerticem montis poſiti è regione uallis Hẽnomi. Et cap. 18. Meridianus Beniamiticæ ſortis limes deſcendit ad montis extremũ, qui obiacet ualli filij Hennomi. Zieglerus Deſcript. Paleſtinę Chalcaldemã uocat. Videtur idẽ eſſe de quo Ioſep. Antiq. 9. cap. 11. hæç affert: Cũ Vſias Rex ſumpto ſacerdotali habitu ingreſſus Templũ, ad aureum Altare Deo ſuffitũ facere inſtituiſſet, terręmotus factus eſt, quo ante Vrbẽ in loco, qui dicitur Eroge, dimidiũ montis ad Occidentẽ uergentis reuul-

Chalcaldema.

Eroge.

reuulſum, perque quatuor ſtadia uolutum, obiectu demùm Orientalis montis conſtitit, abſtructa uia publica, oppreſsisq; ruina hortis Regijs. Iſtius certè terræmotus etiam Amoſ.1. & Zach.14. mentio fit.

C A P. III.

ביפא חיונה·

πέτρα τῆ περιστερεῶνος.

Columbaria Petra.

Petra Columbarum de nomine nomen habebat,
Ad Medium latè conſpicienda diem.

HISTORIA.



OLVMBARIAM petram Meridionali contiguam fuiſſe monti, Ioſephus inſinuat lib.6. de Bello cap.13. ita ſcribens: Murus ab exercitu Romano circũ Vrbem triduò extructus cœpit à caſtris Aſſyriorum, & inde ad inferiorem Cœnopolim ductus eſt: hinc per Cedronem ad Elæon montem reuertens, à Meridie montem complectebatur, uſque ad ſaxum, quod Periſtereonos uocatur, eiq; proximũ collem, qui ſuper uallem imminet Siloam, ac inde ad Occidentem flexo ædificio ad uallem fontis deſcendebat, &c.

Murus à Romanis circũ Vrbẽ extructus.

Periſtereonis ſaxum.

CAP. IIII.

חקלדמה·

Αγρὸς αἵματος.

Sanguinis Ager.

Sanguinis hic Ager eſt Haceldema nomine dictus,
Olim quem figulus uendidit ære ſacro:
Innocui ſiquidem precio fuit ille cruoris
Emptus, ut hoſpitibus hic monumēta forent.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Haceldemi agri ſitus.



IERON. de Locis Hebraicis: Haceldema ager ſanguinis, qui hodie quoq; demonſtratur in Aelia, ad auſtralem plagam montis Sion, & hactenus, iuxta Iudęorum cōſilium, mortuos ignobiles alios terra tegit, alios ſub diuo putrefacit. Et rurſus: Topheth eſt in Suburbanis Aeliæ uſque hodie iuxta agrum Haceldema.

De huius agri & uſu & nominis notione ſic in Nouo ſcribitur Teſtamento: Matth. 27. Tunc Iudas, DOMINI proditor, uidens eum eſſe damnatum, pœnitens retulit triginta (nummos) argenteos Sacerdotum principibus & Senioribus, dicens: Peccaui, ſanguine prodito innoxio. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu uideris. Ille (uerò) abiectis in Templo Argenteis ſeceſsit, & ſe laqueo ſtrangulatum abijt. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Nō licet eos in Corbonam referre, quia precium eſt ſanguinis: Itaq; capto conſilio emerunt eis agrum figuli, ad hoſpitū peregrinorū ſepulturam, Ideoque uocatus eſt ager ille Ager ſanguinis ad hodier-

Ager figuli.

hodiernum usque diem. Tunc impletum est quod per Ieremiam Prophetam dictum fuerat his uerbis: Et acceperunt triginta argenteos precium æstimati, qui æstimatus fuit ab Israelis filijs, eosque in Figuli agrum dederunt, sicut mihi constituit DOMINVS. Et Actor. 1. Iudas quidem ex iniustitiæ mercede agrum acquisiuit, & pronus factus (seu strangulatus) crepuit medius, effusaque sunt eius omnia uiscera, id quod omnibus Ierosolymæ habitantibus innotuit, adeò ut appellatus sit Ager ille, propria ipsorum lingua, Aceldema, hoc est, ager sanguinis: scriptum est enim in Psalmorum libro: Fiat eius commoratio deserta, neque sit qui in ea habitet. Hieronymus in adductum ex Matthæo locum: Iudæi figuli comparantes agrũ, id alia fecerunt uoluntate, ut æternum suæ impietatis relinquerent monimentum: Cæterùm nos, qui peregrini eramus à Lege & Prophetis, praua eorum studia suscipimus in salutem, & in CHRISTI sanguinis precio acquiescimus. Et August. de Ser. Dom. Prouidentia Dei factum puto, ut precium Saluatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret, ut iam exinde CHRISTVS & uiuos sanguinis sui pasione redimat, & mortuos preciosa pasione suscipiat. Precio ergo Dominici sanguinis Ager figuli comparatur: legimus in Scripturis, quòd totius generis humani salus redempta sit sanguine Saluatoris: Ager ergo iste mundus hic totus est, Figulus autem qui mundi posit habere dominatum, ipse est qui nostri corporis uascula fecit de limo. Istius itaque Figuli ager CHRISTI sanguine emptus est peregrinis, in quo qui sine domo, patria & toto orbe exules iactabantur, requiem CHRISTI sanguine acceperunt. Istos autem peregrinos esse dicimus ueros Christianos, qui renunciantes seculo, nihilque in hoc mundo posidentes, in uno CHRISTI sanguine acquiescunt: Sepultura e-

Mysterium de figuli agro, ex sanguinis Christi precio comparato.

Ephes. 2.

1. Pet. 1.
Ephes. 1.
Matt. 13.

Genes. 2.
Esa. 29.

nim CHRISTI nihil aliud eſt quàm Chriſtiani requies: Rom.6. Conſepulti enim ſumus, ſicut ait Apoſtolus, cũ illo per Baptiſmũ in morte. Nos ergo peregrini in hoc mundo ſumus, & tanquam hoſpites in hac luce uerſamur.

CAP. V.

חר המשחית׃

Ὄρος τῆς διαφθορᾶς.

Mons Offenſionis.



Mons inter fuit hic Orientem celſus & Auſtrum,
Cui nomen ſeuæ perditionis erat:
Hìc ſtruxit Salomon fictis altaria Diuis,
Fœmineo miſerè captus amore ſenex.

HISTORIA.

Hamaſchitæ ſitus.

IEGLERVS: Mons Hamaſchita inter Meridiem & Orientem in Vrbis conſpectu eſt poſitus, humilior Oliuarum monte, & interueniente diſcretus ualle.

Hìc

Hic Salomon sub tempus senectutis, per alienigenas suas seductus uxores, fana Gentilibus deastris construxit: 3. Reg. 11. Adamauit Salomon Rex multas mulieres alienigenas, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidoneas, Hettæas, de quibus Gentib. Dominus Israelis filijs ita dixerat: Ne ingredimini ad illas, nec illæ ad uos ingrediantur, alioquin futurũ est ut uestra corda ab illis ad ipsarũ pelliceantur Deos. Illis itaq; amore iunctus Salomon, uxores regias septingentas, & concubinas trecentas habuit, per quas uxores eius deflexum est cor ad alienos Deos, ut Astorethum Sidoniorũ Deum, & Melcomum Ammonitarum abominationẽ coleret: adeoq́ue DOMINVM offendit Salomon, ut etiã Chamoso Moabitarum abominationi fanum in monte, qui est è regione Ierosolymæ (ad meridiem) cõstruxerit, & Molocho Ammonitarũ abominationi: idemq́; fecerit omnibus suis uxoribus alienigenis, quę suffitus & sacra suis facerent dijs. Nehem. 13. Licet Salomon ita Deo suo charus esset, ut regnum in omnes sit Israelitas adeptus, eum tamen ad peccandũ mulieres perduxerunt alienigenę.

Hier. Vitali Salomõ neglecto deo patrum suorũ, extruxit idola Gentium plurimarũ, & factus est non ut prius Iedidia, id est, amabilis Domini, sed amator mulierum.

Epiph. Idolũ est, ꝙ homines putãt speciereferre Deum, sic Edomei Mosi imaginem, Sidonei Astarithis matris Melchisedec effigiem adorabãt, & prętere a omnes Gentes peculiares habẽt Diuos, quos ueluti Mediatores colunt, & opera manuũ hominum adorant.

INTERPRETATIO.

HOc supra omnia mira mirabile foret Salomonẽ tot Dei donis cumulatũ, tanta sapientia præditũ, tam religiosum, post tot magnifica & uerè diuina opera in senectute demũ, ubi hæc omnia in eo succrescere, uitia uerò emori debuissent, per plures suas uxores à diuinis pręceptis, à uera religione, à tẽplo & uero ueri Dei cultu ad turpẽ transgressionẽ, ad diabolũ abominandãq́; deastrorũ idololatriã perductũ esse, nisi id ineffabili quadã Dei ꝑmissione primũ ea de causa accidisse appareret, ne promissiones Dauidi eiusdẽq́; regno factę in Salomone reipsa ꝑfectę crederẽtur, ꝙ tamẽ Iudęis, quorũ mẽtes in

Amb. lib. 3. in Lucam: Salomonem errasse ideo fortasse tam grauiter, ne errarẽt homines, & ad ipsũ crederetur manasse promissiũ Dauidi factum, diuinarum serie cognouimus lectionum.

ueteris Teſtamēti lectione uelamine tectæ ſunt, etiam-num perſuaſum eſt. Deinde ut uideremus Deum non abſque re tum omnibus Iſraelitis tum ſigillatim eorum Regibus commertio alienigenarum mulierum inter-dixiſſe, quippè qui futurum ſciret, illas eos ad ſuam perducturas eſſe idolomaniam: Nam ut Cyrillus lib.2. contra Iulianum hanc ipſam rem ex profeſſo tractans, aſſerit: Deceptrix res eſt mulier, & idonea ad decipiendum ſemel ſuis captos laqueis: habet enim inter alia arma uoluptatem, qua mens uincitur. Tum autē ut hoc exemplo nullam in ullo homine, quantumuis excellat, quantacunque Lux mundi uideatur, ſpem reponendam eſſe doceremur, quod & Dauid nos Pſalm.118. his admonet uerbis: In DOMINO habere ſpem melius eſt quàm in homine. In DOMINO (inquam) ſpem habere melius eſt quàm in Principibus. Et Pſal.146. Nolite in Principibus (nolite) in hominis filio confidere, in quo ſalus non eſt (ne ſe quidem nedum alios ſeruare poteſt) Item Ieremias: Maledictus eſt uir qui confidit in homine, & carnem ſuum brachium facit: benedictus autem qui DOMINO fretus, in eo ſuam ſpem collocat, Cap.17. Præterea quò in Salomone perpetuam humanæ imbecillitatis inconſtantiæque imaginem haberemus, quiq; ſibi fide ſtare uideatur, ne inſoleſcat, ſed timidus, ne cadat, proſpiciat, Rom.11. 1. Cor.11.

Aug. de Geneſi ad Lit. Salomon uir tantæ ſapientiæ nunquid nam credendum eſt, q̄ in ſimulachrorū cultu credidit eſſe aliquid utilitatis? ſed mulierum amori ad hoc malum trahenti reſiſtere non eualuit, faciens quod ſciebat non eſſe faciendū, ne ſuas, quibus deperibat atq; diffluebat, mortiferas delicias, contriſtaret.

Idem in Pſal.125. Quod in Dei populo cæcidit Salomon, & Adam in Paradiſo, inde docemur in nullo hominū ſpem eſſe ponendam.

Alienigenarū Salomonis uxorum myſterium.

De alienigenis Salomonis mulierib. Origenes Homelia 20. in Numeros huiuſmodi proponit allegoriam: Ego puto, inquiens, multas Mulieres multa dogmata diuerſaſque multarum Gentium philoſophias denotare, quæ ſingula cum Vir ſapientiſsimus & ſcientiſsimus ſcrutari & agnoſcere uult, ſemetipſum intra diuinæ legis regulam tenere non poteſt. Decipit Moabitica philoſophia, ut idolo Moabitico immolatio fiat, ſimiliter & Am-

& Ammonitarũ reliquarumq; Gentium mulieres, hoc eſt, prophana ſtudia: grandè eſt ergo & uerè opus Dei, tam multis dogmatibus, quaſi mulieribus, miſceri, nec tamen à ueritatis regula declinare.

Salomonem uerò tandem pœnitentia ductũ, Hieronymus in Eccleſiaſten his conteſtatur uerbis: Hebręi aiunt Eccleſiaſten Salomonis eſſe pœnitentiam agentis: quòd in ſapientia diuitijsque confiſus, per mulieres offenderit Deum. Idem in 43. Ezechielis cap. Ipſe externi Templi fabricator Salomon peccauit, & offendit Deum, licet poſtea egerit pœnitentiã, ſcribens Prouerbia, in quibus ait: Nouiſsimè ego egi pœnitentiam, & reſpexi ut eligerem diſciplinam. *Salomonis pœnitentia.*

Ioſias Rex Salomonia ſacella deſtruxit, 4. Reg. 23. Excelſa in conſpectu Ieroſolymæ ad dexteram montis Maſchitæ (poſita) quæ Salomon, Iſraelis Rex, Aſtarotho Sidoneorum, & Chemoſo Moabitarum, Milcomoque Ammonitarum nefario idolo conſtruxerat, Ioſias prophanauit, ſtatuasque perfregit, lucos ſuccidit, eorumque locum humanis compleuit oſsibus. *Ioſias deſtruxit ſacella Salomonis.*

Maſchita exponitur mons ſeductionis, deceptionis ſeu offenſionis: denotat antiquum illum Serpentem Sathanam, qui ut Euam ſua aſtutia, & Salomonem per alienigenas ſeduxit mulieres, ſic extremis temporib. per falſos Prophetas, per filium perditionis & Beſtiam duo habentem cornua, terræ incolas, ut ſepticipiti Beluæ imaginem faciant, eamque adorent, decepturus eſſe dicitur, id Apoſtolis huiuſmodi præſagientibus uerbis: 2. Theſſal. 2. Sceleroſi hominis aduentus erit ſecundum Sathanæ operationem, cum omni iniuſtitiæ ſeductione, in ijs qui pereunt. Rom. 16. cap. Obſecro uos fratres, ut eos qui diſsidia & offenſiones contra eam, quam uos *Maſchitæ notio & myſterium.*

didiciſtis, doctrinam excitant obſeruetis, eosq́ue declinetis: Nam huiuſmodi homines nõ DOMINO noſtro IESV CHRISTO, ſed ſuo uentri ſeruiunt, & per blandiloquentiam aſſentationemq́ue ſeducunt corda non malitioſorum. 2. Corinth. 11. Ego uos uni uiro adiunxi, CHRISTO ſcilicet, ſed metuo ne fortè, ut ſerpens Euam ſua uerſutia ſeduxit, ſic ueſtri ſenſus à ſimplicitate, quæ eſt in CHRISTO (corruptę) ſeducantur. Apoc. 12. Draco ille magnus Serpens antiquus, qui Diabolus & Sathanas appellatur, totum orbem ſeducit. Cap. 13. Vidi Beſtiam ex terra aſcendentem, quæ duo cornua habebat, & terræ incolas decipiebat, dicens: Vt imaginem facerent Beſtiæ (ſepticipiti) eiq́ue datum eſt ut efficeret, ut quicunque non adorarent imaginem Beſtiæ, occiderentur. Cap. 20. Cum perfecti fuerint mille illi anni, ſoluetur Sathanas ex ſuo carcere, & exibit ad decipiendas Gentes, quę in quatuor terrę angulis erunt: At quomodo tandem uerus ille Ioſias, CHRISTVS IESVS, uenturus ſit contra hoc malum pro Electis ſuis, à Ieremia 51. cap. ſub Babylonici excidij imagine demonſtratur: Ecce ego tibi (reſiſtam) mons Maſchita, dicit DOMINVS, qui totam corrumpis terram, extenſaq; in te manu de petris te deuoluam, & exuſtum montem reddam, ita ut perpetua ſis uaſtitas. Et à Iohanne, Apoc. 12. Draco ille magnus, qui totum ſeducit orbem, deiectus eſt ad terram, eiusq́ue Angeli deiecti ſunt. Item 20. Diabolus, qui ſeducebat, deiectus eſt in igneũ ſulphureumq́ue ſtagnũ, ubi & Beſtia & Pſeudopropheta (erat) cruciabunturq́ue dies & noctes in ſeculorum ſecula. Nec non ab Apoſtolo 2. Theſſ. 2. Iniquũ illum DOMINVS oris ſui Spiritu conficiet, aduentusq; ſui claritate abolebit.

CAP.

CAP. VI.

ביתלחם אפרתה׃

Βηθλεέμ.

Ciuitas Dauidis.



Vrbs ego longæuos Bethlem celebrata per annos,
Splendida uatidici patria Regis eram:
Post ex me Christus superis est redditus auris,
Quem peperit uerum uirgo Maria Deum.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



IERONYMVS de Locis Hebr. Quęstionibus in Genesin, & Comment. in Michæam: Bethlehem aliàs Ephrata & Ciuitas Dauidis dicta, in tribus Iudæ sorte, sexto ab Aelia miliario, contra meridianam posita est plagam, iuxta uiam, quæ ducit Chebron, ubi & sepulchrum Iessæ ostenditur: Sed & propter eandem Ciuitatem Bethlehem Regis

Bethlehemæ situs.

Iessæ sepulchrum.

Archelai tumulus. *Hieronymi cella.*

quondam Iudææ Archelai tumulus monſtratur: qui ſemitæ ad cellulam noſtram è uia publica diuertentis principium eſt. Geneſ.35.48.Mortua & ſepulta eſt Rachel in uia Ephratæ,quę eadē Bethlehema eſt. Iudic.17. Fuit adoleſcens quidam ex Bethlehema Iudęæ,Leuita, is ab urbe Bethlehema profectus, peruenit in montem Ephraimitarum, domum Michæ, & à Micha interrogatus,unde ueniret, ita reſpondit: Leuita ſum ex Bethlehema Iudææ,& proficiſcor ad peregrinandum ſicubi licebit. Cui Micha dixit: Mane mecum,mihiq́ue Pater eſto & Sacerdos. Cap.19.Leuita quidam in latere montis Ephraïmitarū habitans, uxorē duxerat à Bethlehema Iudęæ,quæ ab eo diſceſsit domū Patris ſui Bethlehemam Iudææ,cúmque ibi per quatuor menſes fuiſſet,ſecutus eſt eam maritus, ut blandis allectam uerbis reduceret,&c. Ruh.1.2.3.& 4. Boozus Bethlehemita duxit Bethlehemæ Rutham in matrimonium, & ea Obeden ſuſtulit,qui fuit pater Iſæi,patris Dauidis.1.Regum 16.Bethlehemę Samuel Iſæi filium Dauidem Regem unxit.

Bethlehemæ et Ephratæ notio.

Gregorius: Bethlehem Domus panis interpretatur, ſic nimirū dicta, quòd ibi per carnis naturam eſſet appariturus,qui electorum mentes interna cœleſtis panis ſacietate reficeret. Hieronym. Quæſtionib. in Geneſin: Domus Ephrata & Bethlehem unius Vrbis uocabulum eſt,ſub interpretatione conſimili,ſiquidem in frugiferam & in domum panis uertitur, propter eum panem qui de cœlo ſe deſcendiſſe dicit. Et Paula apud eundem,Epiſtola ad Euſtochiū: Salue Bethlehem Domus panis,in qua natus eſt ille panis,qui de cœlo deſcendit. Salue Ephrata regio uberrima atque καρποφόρε,cuius fertilitas Deus eſt.

Iohan. 6.

CHRISTVM uerò Bethlehemæ naſciturum eſſe, hæc

hæc prophetica denunciârunt uaticinia: Micheæ 5. Et tu Bethlehema Ephrata, quæ minima quidem es inter chiliadas Iudęæ, ex te mihi prodibit Dux, qui sit in Israelitis dominator, cuius erit ab initio exitus, ab æternitatis diebus. Quasi diceret DOMINVS (inquit hîc Hieronymus) Tu Bethlehema, id est, domus panis, quæ uocaris Ephrata, id est frugifera, minima quidem es in Ciuitatibus Iuda, & tantis millibus comparata, uix paruus es uiculus, sed ex hoc paruo uiculo egredietur CHRISTVS, qui est dominator in Israele. Ac ne putes eum de genere Dauid tantum esse, cui repromisi, dicens: De fructu uentris tui ponam super tuam sedem, carnis assumptio diuinam non impedit maiestatem: de me enim natus est ante omnia secula, & temporũ conditor in tempore non continetur, ipse est cui & in alio Psalmo dixi: Ante Luciferum genui te: In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ, hoc erat in principio apud Deum, & idcirco egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Item Habac. 3. Deus à Themane (id est, Austro) ueniet, sanctus à monte Pharone, Diapsalma. Vbi adductus iamiam Hieronymus: Audiui quendam Hebræum istum locum ita disserere, quòd Bethlehem sita sit ad Austrum, in qua natus est DOMINVS atque Saluator, & ipsum esse de quo nunc dicatur: DOMINVS ab Austro ueniet, hoc est, nascetur in Bethlehem, & inde consurget, & quia ipse qui natus est in Bethlehem, legem quandam dedit in monte Sinai, ipse est Sanctus qui uenit de monte Pharon: Pharon quippè uicinus est locus monti Sina. Et quòd infertur Diapsalma, id est semper, habere sensum: ipse qui natus est in Bethlehem, & qui in Sina, id est, in monte Pharon Legem dedit, semper in uniuersis, pręteritis, & pręsentibus, & futuris, auctor est & largitor.

Vaticinia de Christi Bethlehemæ futura natiuitate.

Psal. 131.

Psal. 109.

Iohan. 1.

Nunc quomodo allata uaticinia perfecta sint, ex

Euangelistis audiamus: Lucæ 2. Decretum exijt ab Augusto Cæsare, ut describeretur totus orbis, quæ prima descriptio facta est Cyrenio pręside Syriæ (Igitur) cum omnes, ut describerentur, in suam quisque Ciuitatem irent, ascendit etiam Iosephus à Galilæa, ex oppido Nazaretha, in Iudæam, in Dauidis Ciuitatem, quæ Bethlehema uocatur, quòd ex Dauidis domo atque familia esset, ut describeretur unà cum Maria desponsa sibi uxore prægnante. Accidit autem (ut) dum illic sunt, illa, completis ad pariendum diebus, filium suum pareret, Primogenitum: quem fascijs inuoluit, & in præsepi reclinauit, quòd eis in Diuersorio locus non esset. Vbi Ambrosius & Beda hæc ferè in suis ponunt Commentarijs: CHRISTVS pacatissimo tempore sub totius orbis Monarcha Augusto nasci uoluit, ut se pacificatorem omniumque DOMINVM ostenderet, sub quo iustitia oritura, Deique augendum foret regnum. Nascituro CHRISTO describitur orbis, quoniam ille in carne apparere statuit, qui suos Electos cœlo in uitali ascripturus erat libro. E uirgine natus, quia Esaias prædixerat: Ecce uirgo quædam pariet filium, quem Emanuelem, id est, nobiscum Deum uocabunt. Primogenitus appellatur, tum quòd omnium in Lege de primogenitis & primitijs figurarum ueritas existeret, tum quòd ipsius Pater de eo iam ante huiusmodi emiserat uocem: Ego eum primogenitum statuam summum Regum terrarum, Ille paruulus, ille infantulus factus est, ut tu uir perfectus esse possis: ille inuolutus pannis, ut tu mortis laqueis absolutus sis: ille in præsępi, ut tu in peccato delitescens erigereris: ille in terris, ut tu in cœlis: ille alium locum in eo Diuersorio non habebat, ut tu plures in cœlestibus haberes mansiones. Qui cum diues, inquit Paulus, esset, propter uos pauper factus est, ut illius inopia uos ditaremini. Meum ergo paupertas illius patrimonium

Christus Bethlehemæ nascitur.

Coloss. 1. Actor. 10. Zach. 6.

Esa. 7.

Psal. 131.

2. Cor. 8.

nium est, & infirmitas DOMINI mea uirtus est. Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret. Me illius infantiæ uagientis abluunt fletus, mea lachrymæ illæ delicta lauerunt. Plus igitur DOMINE IESV tuis debeo iniurijs quòd redemptus sum, quàm operibus quòd creatus sum: Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset.

Cum igitur IESVS in Bethlehema Iudææ natus esset temporibus Regis Herodis, aduenerunt ab oriente Magi Ierosolymam (sic) dicentes: Vbínam est Iudęorum ille natus Rex (nos) enim eius uidimus stellam in Oriente, itaq; eum adoratum uenimus (Quibus) auditis, turbatus est Rex, unaq; cum eo tota Ierosolyma, & conuocatis omnibus Pontificibus & Scribis populi, sciscitatus est ab eis, Vbínam CHRISTVS ille nasciturus esset? Cui illi dixerunt: In (ea) Bethlehema (quæ est) Iudęæ. Tum Herodes clam uocatis Magis, exquisiuit ab eis tempus, quo stella apparuisset, eisq; Bethlehemã dimissis (ita) dixit: Ite (&) de puerulo penitùs exquirite, & cum inueneritis, mihi renunciate, ut ego quoq; ad eum adorandũ ueniam. Igitur illi audito Rege, profecti sunt: & ecce stella, quam in Oriente uiderant, eis pręibat, donec progressa, staret supra (locũ) ubi puerulus erat (Illi) uisa stella, magno ualdè gaudio gauisi sunt, & domum ingressi, puerulũq; cum eius matre Maria inuenientes, prociderunt, eumq; adorârunt, & apertis suis thesauris, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Deinde responso (à DOMINO) accepto in somnijs, ne ad Herodẽ reuerterẽtur, per aliam uiam recesserunt in suam patriam. Vbi Ambrosius: Istum paruulum quem tu quasi uilem, qui infidelis es, arbitraris, Magi ex Oriente uenientes, tam longo spacio sequebantur, & procidentes adorant, & Regem appellant, & resurrecturum fatentur, offerentes de thesauris suis aurum, thus & myr-

Matt. 2.
De *Magis Bethlehemam uenientibus.*

Remig. Puchre ab Oriente Magi uenisse dicuntur, quia omnes qui ad Dominum ueniunt, ab ipso & per ipsum ueniunt: ipse enim est Oriens, secundũ illud: Ecce uir Oriens nomen eius.

Greg. Cœli Rege nato Rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum cœlestis aperitur celsitudo.

Aug. Magi desiderant Redemptorem, Herodes timet successorem.

Remig. Vident hominem, & agnoscunt Deũ.

rham. Quæ ſunt iſta ueræ fidei munera? Aurum Regi, thus Deo, myrrham defuncto: Aliud enim Regis inſigne, aliud diuinæ ſacramentum eſt poteſtatis, aliud honor eſt ſepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, ſed reſeruet. Nos quoque qui hæc audimus & legimus, de theſauris noſtris talia fratres munera proferamus: habemus enim theſaurū in uaſis fictilibus: Si igitur in teipſo non ex te debes æſtimare quod es, ſed ex Chriſto, quanto magis in Chriſto non tua debes æſtimare, ſed Chriſti? Ergo Magi de theſauris ſuis offerunt munera. Vultis ſcire quàm bonum meritum habeant? Stella ab eis uidetur, & ubi Herodes eſt non uidetur, ubi Chriſtus eſt rurſus uidetur, & uiam monſtrat. Ergo ſtella hæc uia eſt, & uia Chriſtus, quia ſecundū incarnationis myſterium Chriſtus eſt ſtella: Orietur enim ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Denique ubi Chriſtus, & ſtella eſt: Ipſe enim eſt ſtella ſplendida & matutina. Sua igitur ipſe luce ſe ſignat. Accipe illud documentum. Alia uenerunt uia Magi, alia redeunt: Qui enim Chriſtum uiderant, Chriſtum intellexerant, meliores utiq; quàm uenerant reuertuntur: Duæ quippe ſunt uiæ, una quæ ducit ad interitum, alia quæ ducit ad regnum. Illa peccatorum eſt quæ ducit ad Herodem: hæc uia Chriſtus eſt, qua reditur ad patriam: hìc enim temporalis eſt incolatus, ſicut ſcriptū eſt: Multum incola facta eſt anima mea. Caueamus igitur Herodem, mundanæ ad tempus præſulem poteſtatis, ut patriæ cœleſtis æternum conſequamur habitaculū. Magi uiderant nouam ſtellam, quę nō erat uiſa à creatura mundi. Viderant nouā creaturā, & nō ſolū in terra, ſed etiā in cœlo. Gratiā noui hominis requirebāt, ſecundum ꝙ Moſes propheticè poſuit, quia orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Et cognouimus hāc eſſe ſtellā quę hominē Deūq; ſignabat, & adorauerunt paruulū. Vtiq; nō adoraſſent, ſi paruulum tantum-

2.Cor.4.

Stella dux eſt Magis ad Chriſtum, Et Chriſtus ducit Magos ad ſe, nō ad aliam ſapientiam, quoniā ipſe eſt uera Patris ſapientia.

Pſal.119.

Num.24.

tantummodo credidiſſent. Magus ergo intelligit ſuas ceſſare artes, tu non intelligis tua dona ueniſſe. Ille fatetur alienum, tu non cognoſcis promiſſum: ille contra ſe credit, tu pro te non putas eſſe credendum. Natum ergo Magi nunciant Regem, Perturbatus Herodes congregat Scribas & Principes Sacerdotum, & interrogat ubi CHRISTVS naſcatur. Magi tantũmodo Regem nunciant, Herodes CHRISTVM requirit. Ipſum igitur Regem, de quo interrogat, confitetur. Deinde cum ubi naſci haberet inquiritur, utiq; prænunciatus oſtenditur: Neque enim quæri poterat, qui non erat nunciatus. O amentes Iudæi, ueniſſe non creditis quem uidetis: ueniſſe non creditis, quem dicitis eſſe uenturũ. Nunciate, inquit, mihi ut ueniam, & adorem puerum. Inſidiatur quidem Herodes, ſed Deum non negat quẽ memorat adorandum. Deinde infantes occidi iubet. Cui alij, niſi Deo, talis uictima debebatur? Expers licet ſenſus infantia, DOMINVM tamen, pro quo interimitur, confitetur. Hieronymus: Deferuntur Magi ſtellæ indicio in Iudæam, ut Sacerdotes ab eis interrogati, ubi CHRISTVS naſceretur, inexcuſabiles de huius aduentu fierent. Magorum munerum ſacramenta pulcherrimè Iuuencus Presbyter uno uerſiculo compræhendit: Thus, aurũ, myrrham, Regiq; hominiq; Deoq; Dona ferunt. Deinceps qui munera DOMINO obtulerant, reſponſum accipiunt. Reſponſum autem quod Græcè dicitur χρηματισθέντες, non per Angelum fit, ſed per ipſum DOMINVM. Reuertuntur autẽ per aliam uiam, quia Iudæorum infidelitati non erant miſcendi. Irenæus libro 3. aduerſus Hęreſ. cap. 10. Matthęus Magos ab Oriente uenientes ait dixiſſe: Vidimus ſtellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum: deductosq́ue à ſtella in domum Iacob ad Emanuel, per ea quæ obtulerunt munera oſtendiſſe, quis erat qui adorabatur, Myrrha quidẽ,

Gẽtiles fuêre Magi, atq; ita primitiæ erant uocationis Gentium, & ſapientes erant ut nemini dubiũ eſſe poſsit, etiã ex ſapientibus huius mundi ſapientia Dei imbui poſſe, ſed ita, ut ſapientia mundi diuinæ cedat ſapientiæ.

Gloſſ. Ord. Sicut Moſes tacens clamabat, ſic iſti pio affectu interrogabant, quid diuina iuberet uoluntas? Hic reſponſio nõ fit per Angelum, ſed per ipſum Deum: quia nullus alius uiam reuerſionis inſtituit, niſi ille qui dicit: Ego ſum uia, ueritas & uita.

quòd ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur & ſepeliretur. Aurũ uerò, quoniã Rex, cuius regni finis non eſt. Thus uerò, quoniã Deus, qui & notus in Iudæa factus eſt, & manifeſtus eis qui nõ quębant eum.

Iubetur Ioſephus cũ puero Bethlehema in Aegyptum fugere.

Quoties Chriſtus publicatur, toties ad necem quæritur.

Oſeæ 11.

Humana conſilia tametſi ſunt crudelia & aſtuta, tamẽ ſæpè fruſtrãtur.

Ierem. 31.

Hunc tumultũ in occidẽdis pueris Deus fieri pmiſit, ut qui fideles in Iudæa eſſent, reſpicerẽt ad promiſſiones, Chriſtumq; præſentem agnoſcerent.

Hier. Ea quæ typicôs præcedunt in alijs, iuxta ueritatem & adimpletionem referuntur ad Chriſtum.

Digreſsis Magis DOMINI Angelus Ioſepho in ſomnijs apparet (ita) dicens: *S*urge, & aſſumpto puerulo eiusq; matre, fuge in Aegyptum, & eſto illic, donec (ego) tibi dixero: futurum eſt enim ut Herodes puerulũ quærat ad eum perdendũ. Igitur ille aſſumpſit puerulũ unà cum eius matre, & noctu ſeceſsit in Aegyptũ, ibiq; fuit uſq; ad Herodis obitũ: ut perficeretur quod fuerat à DOMINO dictũ per Prophetã (ita) dicentem: Ex Aegypto euocaui Filium meũ. Tunc Herodes uidens ſe à Magis illuſum eſſe, ualdè indignatus eſt, ac miſsis (Satellitibus) interfecit pueros omnes, qui Bethlehemæ & in omnib. Bethlehemiticis finibus erant, infrà bimatum, pro tempore quod à Magis exquiſierat. Tunc perfectum eſt (id) quod à Ieremia Propheta dictũ fuerat: Auditur in Rhama (in excelſis) uox, lamentatio, ploratio & multus fletus, Rachel (id eſt, Bethlehema, ubi Rachel ſepulta eſt) ſuos filios deplorans, nec conſolationem admittere uoluit, quia non exiſtant, Matth. 2. In puero CHRISTO Chriſtianæ uitæ initia uidemus, quæ mox crucem uarioſq; dolores afferunt. Dictum ex Oſea citatũ typicôs in typicum filium Iſraelem, uerè aũt in uerum atq; unigenitum Dei filium CHRISTVM conuenit: Nam ut ille ex Aegypto in promiſsionis tranſlatus eſt terram, ita hic nactus in promiſſa terra fugit in Aegyptũ, quæſitus ad necẽ, ut uocaretur ex Aegypto, atq; ſic figura conſtaret ſubſequente ueritate. Altera quoq; ex Ieremia allata prophetia pręceſsit in decem tribubus, quarũ princeps Ephrata fuit, & perfecta eſt in occiſis infantibus.

CAP.

CAP. VII.

באר ביתלחם.

Λάκκος ἐν τῇ πύλῃ.

Fons in Bethlehemæ porta.

Fons erat in Bethlem liquidis uberrimus undis,
Cuius prædulces Rex ſitiebat aquas:
Hic uerum fontem Verbi cœleſtis adumbrat,
E cuius ſancto corpore uita meat.

HISTORIA.



IEGLERVS: In porta Bethlehemæ, qua ad Occidentalem cliuum in oppidum deſcendebatur, uiuus oriebatur fons, perennibus prorumpens aquis. *Fontis Bethlehemitici ſitus.*

De eo 2.Reg.23. & apud Ioſeph. Antiq.7.cap.10. huiuſmodi uerba habentur: Cum aliquando Philiſtimorum exercitus, prȩſidio ad Bethlehemam poſito, caſtra ſua haberet in ualle Rephaima, Dauid in Arce (Sione) cõſidens, amicos ſuos ita eſt allocutus: O quàm bonam habemus Bethlehemæ in mea patria aquam, maximè in fonte portæ uicino, ô ſi quis eam mihi daret ad bibendum, id certè mallem quàm multum argenti accipere. His auditis tres ipſius heroes è ueſtigio excurrerunt, cũque per media Philiſtimorum caſtra Bethlehemã perueniſſent, hauſta è fonte aqua, per eandem uiam ad Regem ſunt reuerſi, attonitis audacia tanta Barbaris, nec auſis eorum paucitatem contemnere. Eam aquam Dauid bibere noluit, ſed DOMINO libauit, gratias agens pro uirorum incolumitate, itaq; dixit: Abſit hoc à me DOMINE ut committam ut hominum ſanguinem bibam, qui hanc uitæ ſuæ periculo petierunt.

Dauid deſiderat aquam ex fonte Bethlehemitico.

Hieron. Quæſt. Heb. Hi tres fuerunt Abiſai filius Saruiæ, & Sibrachai Vſathites, & Ionathan filius Senamaa fratris Dauid.

INTERPRETATIO.

EVcherius ex Gregorio: In hoc facto quantum ad hominum mores pertinet, cogitandum summopere est, ut qui se illicita commisisse meminit, à quibusdam etiam licitis abstinere studeat, quatenus per id suo Conditori satisfaciat, ut qui cõmisit prohibita, sibijpsi etiam abscindat concessa, seque in minimis reprehendat, qui suum in maximis commeminit delictum. Lex certè ueteris Testamenti alienam uxorem concupisci prohibet. Regi uerò fortia iubere militibus uel aquam desiderare, non pœnaliter uetat. Et cuncti nouimus Dauidem concupiscentię mucrone transfixum, alienam uxorem & concupiuisse & abstulisse, cuius culpam digna uerbera sunt secuta, & malũ quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. † Qui cum longè post contra hostium se daret cuneos, aquã bibere ex desiderio uoluit, cuius electi milites inter medias aduersantium cateruas erumpentes, aquam, quam desiderauerat, illæsi detulerunt. Sed Vir DOMINI flagellis eruditus, semetipsum protinus, quòd cum militum periculo aquam desiderasset, repræhendit, eamq; DOMINO fundens libauit: In sacrificium quippe DOMINI aqua effusa conuersa est, quia concupiscentiæ culpam mactauit per suæ repræhensionis pœnitentiam. Qui ergo quondam concupiscere alienam cõiugem nequaquam timuit, postea etiam, quia aquam concupisset, expauit: Qui enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum iam rigidus etiam à licitis abstinebat. Quòd si uerò altius uelis spectare & introspicere mysterium, sitiebat Dauid, non aquam quæ est in Bethlehem, sed nasciturum in eadem Bethlehem ex Virgine CHRISTVM in spiritu præuidebat. Ergo uolebat bibere, non aquam fluminis, sed lauacrũ ex latere CHRISTI fluens: hoc est,

non

non aquarum sitiebat elementum, sed sanguine CHRISTI, Vnde etiam non bibit oblatam aquam, sed DOMINO fudit, significans, se sitire sacrificium, non naturæ fluentum, sed illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum: illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena deleret.

† *Ambros. De Iacob & uita Beata lib. 1. cap. 1. Passio grauissima culpæ cocupiscentia, quam licet ratio eradicare non possit, potest tamen sobria impressione mollire ac reprimere. Corporales autem motus solus Dominus potest excidere: eius rei quem de hominibus meliorem & fortiorem assumemus (in exemplum) quam sanctum Dauidem, qui cupiditatem, qua concupierat aquam de lacu Bethlehem, hostili interclusam exercitu, sibi auferre non potuit, potuit (tamen) mitigare? Nam cum alijs utiq; defuisse non inueniamus, id est, tanto exercitus numero, cum utique multò minus Regi deesse potuerit ex cæteris fontibus aqua, irrationabilem quandam concupiscentiam passus, desiderauit eam quæ hostium erat circumfusione uallata, unde sine maximo periculo non facilè potuisset deferri. Itaque ait: Quis mihi dabit potum de lacu, qui est in Bethlehem ad portam? Et cum essent reperti tres uiri, qui hostium castra præciderent, & deferrent aquam, quam summo desiderio desiderasset, cognoscens quòd periculo alieno aqua sibi eadem constitisset, profudit illam Domino, ne sanguinem illorum, qui eam detulerant, bibere uideretur. Quæ res indicio est, quòd concupiscentia quidem rationem præueniat, sed ratio cupiditati resistat. Humanum itaque quod passus est Dauid, ut irrationabiliter concupisceret: sed illud laudabile, quòd irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato fraudauit remedio. Dum laudo uiros qui erubuerunt desiderium sui Regis, & maluerunt finem eius uerecundiæ uel periculo propriæ salutis afferre: plus laudo eum qui erubuit in suo desiderio alienum periculum, & aquam dubiæ sortis precio quæsitam sanguinis comparauit, simul quasi repressa uictor cupiditate profudit aquam Domino, ut ostenderet quòd concupiscentiam suam Verbi consolatione restingueret. Potest igitur mens sobria impressione refrenare ac reprimere quamuis grauem passionem, & feruorem omnem cupiditatis flagrantissimæ refrigerare, deriuare aliò motus, & rectæ rationis despuere passiones.*

CAP. VIII.

קבורת רחל.

Μνημεῖον ῥαχήλ.

Monumentum Rachelis.

Beniamin formosa Rachel enixa puellum,
　Occubuit partu (pressa dolore) suo:
Huic posuit coniux monumenta celebria quondã.
　Hęc quoque de Christo mystica multa tenent.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



VNA à Bethlehema ſtatione, iuxta uiã, Rachel in partu moriens ſepulta eſt. Geneſ.35. Cũ (Iacobus eiuſq; domeſtici) Bethele profecti ab Ephrata una ſtatione (uel iuguri ſpacio) abeſſent, peperit Rachel, & quidem difficulter, in quo partu cum ægrè eniteret, dixit ad eam obſtetrix: Ne timeas, nam tibi filius eſt natus. Illa uerò animã agens (eo enim in nixu mortua eſt) filiũ Benonim uocauit, pater uerò Beniaminem. Itaq; mortua Rachel ſepulta eſt in uia Ephratę, quæ eadẽ Bethlehema eſt, cuius ſepulchro Iacobus titulũ (ſeu cippum) impoſuit, qui ad hunc uſq; diem titulus monumenti Rachelis dicitur. Cap.48. Mihi ex Meſopotamia uenienti mortua eſt Rachel in Cananeæ terra in uia, cũ ab Ephrata una itineris ſtatione abeſſem, ibi eam ſepeliui in uia Ephratæ, id eſt, Bethlehemæ. Depoſito uelo occurret alia Rachel aliuſq; Beniamin, de quibus Apoc.12. ſic dicitur: Viſum eſt magnũ ſignum in cœlo, Mulier amicta Sole, ea in utero geſtans clamabat, & parturiens cruciabatur ut pareret. Peperit autẽ Filium marem, qui omnes Gentes ferrea uirga recturus erat, & raptus eſt ad Deum eiuſq; thronum.

Hier. ad Euſtoc. Deinde Paula perrexit Bethlehemam, & in dextera parte itineris ſtetit ad ſepulchrum Rachel, in quo mater Beniamin, non ut uocauerat moriens Benoni, hoc eſt, filium doloris mei, ſed ut pater prophetizauit in ſpiritu, filium dexteræ procreauit.

Amb. lib. 5. Epiſtol. In uia ſepulta eſt ſancta Rachel, quæ typus fuit Eccleſiæ, ut tranſeuntes dicant: Benedictio Domini ſup uos, & uenientes ueniant cum exultatione.

Primo Reg. 15. dicit Samuel Sauli Beniamitæ: Digreſſus hodie à me, inuenies uiros duos apud ſepulchrũ Rachelis, in finibus Beniamitarũ iuxta Selſom, qui tibi ita dicent: Inuentæ ſunt aſinæ ad quas ueſtigandas profectus es. CHRISTVS eſt uerus Saul, certuſq; Beniamin, id eſt, filius dexterę, qui prope Rachelis monumentum, Bethlehemæ ſcilicet, naſci uoluit, ut myſticã Rachelem, id eſt, ouem perditam atq; mortuam quęreret, ſpiritualeſq; deprehenſos aſellos, in cœleſtem deduceret Ieroſolymam.

CAP.

CAP. IX.


מגדל עדר.

πύργος γαδέρ.

Turris Gregis.

Hic Iacobus oues quondam pauiſſe refertur,
Paſtoris CHRISTI munera ritè gerens.
Nocturnis pariter coram cuſtodibus olim
Angelus hìc natum nunciat eſſe Deum.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



IERON. de Locis Heb. Turris Eder mille circiter paſsibus à Bethlehem eſt ſita. Geneſ.35. Profectus Iſrael ex eo loco, ubi mortuā Rachelem ſepelierat, ultrà turrim Ederem ſuum tetendit tabernaculū. Quid Patriarcharū in promiſſa terra peregrinatio tabernaculorumq́; inhabitatio denotârit, Apoſtolus 11. ad Hebr. cap. his indicat uerbis: Fide Abrahamus cōmigrauit in promiſsionis terram, ut alienam (&) in Tabernaculis habitauit cū Iſaaco & Iacobo, eiuſdē cum eo promiſsionis hæredibus: Expectabat enim fundamenta habentē Ciuitatem, cuius artifex opifexq́; Deus eſt.

Turris Ederis ſitus.

Patriarchæ in Tabernaculis degebant.

Mich. 4. de turri Edere ita dicitur: Et tu turris Eder uſq; ad te ueniet poteſtas prima: Quæ prophetia perfecta eſt, cū paſtoribus ad Ederem turrim paſcentib. nunciaretur, Chriſtū Bethlehemę natū, de quo hęc Hier. ad Euſtoc. Iuxta turrim Eder, id eſt gregis, pauit Iacob greges ſuas, & paſtores nocte uigilantes audire meruerunt: Gloria in excelſis Deo, & ſuper terrā pax hominib. bonę uolūtatis: dumq́; ſeruant oues, inuenerūt Agnū Dei puro & mūdiſsimo uellere, quod in ariditate totius terræ

Paſtorib. apud turrim Eder nūciatur Chriſti natiuitas.

cœlesti rore completum est,& cuius sanguis tulit pecca ta mundi & exterminatorem Aegypti, litus in postibus fugauit. Idem de Locis: Turris Eder interpretatur turris Gregis, quodam uaticinio pastores Dominicæ natiuitatis cõscios significans. Et Lucas 2. cap. (CHRISTO Bethleheme nato) erant pastores in eadem regione excubantes, & nocturnis uigilijs gregem suum custodientes: quibus ecce DOMINI Angelus astitit, eosque DOMINI claritas circumfulsit, & magno timore cõterritis (sic) Angelus dixit: Ne timete: ecce enim (ego) uobis magnum euangelizo gaudium, quod toti populo futurum est: Nam uobis hodie natus est Seruator, qui est CHRISTVS DOMINVS in Ciuitate Dauidis. Atq; hoc uobis signum erit: inuenietis infantem fascijs inuolutum, positum in præsepi. Et subitò extitit cum Angelo cœlestis militię multitudo, Deum laudantiũ, & (ita) dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Deinde ubi ab eis discesserunt in cœlum Angeli, Pastores illi (sic) se inuicem alloquebantur: Transeamus Bethlehemam usque, & uidea mus Verbum illud quod factum est, quod DOMINVS nobis ostendit. Itaque festinantes uenerunt, & inuenerunt Mariam & Iosephum, & positum in præsepi infan tem: quo uiso (reipsa) cognouerunt Verbum quod sibi de puero illo dictum fuisset. Ac quotquot audierunt ea, quæ eis de his (rebus) à Pastoribus dicebantur, mirati sunt. Vbi Ambrosius: Videte quemadmodum diuina cura fidem astruat, Angelus Mariam, Angelus Ioseph, Angelus Pastores, edocet: Non satis est semel missum, duobus enim & tribus testibus stat omne uerbum. Benè uerò hic Angelorum nominantur exercitus, qui Du cem cœlestis militiæ sequebantur. Cui igitur laudem Angeli, nisi DOMINO suo dicerent? iuxta quod scriptum est: Laudate DOMINVM de cœlis, laudate eum in ex-

Turris Eder notio.

Psal. 148.

in excelsis: laudate eum omnes Angeli eius. Impleta igitur prophetia est: Laudatur de cœlis DOMINVS, & uidetur in terris. Vides porrò festinare pastores: Nemo enim cum desidia CHRISTVM requirit. Vides eos Angelo credidisse, & tu Patri, Filio, Spiritui sancto, Angelis, Prophetis & Apostolis credere non uis. Vide quàm signanter Scriptura singulorũ libret momenta uerborum. Festinant, inquit, Verbũ uidere: Etenim cum caro DOMINI uidetur, Verbum uidetur, quod est Filius. Non mediocre fidei tibi hoc uideatur exemplum, non uilis persona pastorũ. Certè quo uilior ad prudentiam, eo preciosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientium, sed plebem DOMINVS simplicem requisiuit, quæ phalerare audita & fucare nesciret: Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. Beda: Pastores uerè quasi uigilantes non dixerunt uideamus puerum, sed Verbum quod factum est, id est Verbum quod semper erat, uideamus quomodo pro nobis caro factũ est, siquidem hoc ipsum Verbum DOMINVS est.

CAP. X.

בית עור.

Βεθσυρα πόλις.

Bethsura.

Vrbs erat hic Bethsur, circumuallata niuosis
Montibus, hinc rupis dicitur ipsa domus:
Denotat hęc CHRISTI uenerabile nomen IESV,
Quod nobis solidæ petra salutis erit.

HISTORIA.



HOC Oppidum in angustijs montium à Meridie est positum, sic ut Iudaicæ tribus uię, Beth lehemam, Gazam & Aegyptum ducenti, sit *Bethsuræ situs*

claustrũ, ab Vrbe circiter quinq; distans stadia. Iosuæ 15. Tribus Iudæorũ oppida meridiana sunt Cabseel, Halhul, Bethsura, Gedor, &c. 1. Mac. 14. Simon Maccabæus oppida Iudęæ muniuit cum cætera tum Bethsuram in finibus Iudææ positam. 2. Maccab. 11. Lysias Iudæam ingressus & Bethsuram aggressus locum natura munitũ, à Ierosolymis circiter quinque stadia distantem, oppugnare cœpit. Iosephus Antiqui. 13. cap. 9. Bethsura locus totius Iudææ munitissimus. Hieronymus de Locis Hebraicis: Bethsur in tribu Iuda, & est hodie Bethsoron uicus euntibus nobis ab Aelia Chebron in uicesimo lapide, iuxta quem fons ad radices montis ebulliens ab eadem in qua gignitur sorbetur humo, in quo Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus à Philippo, ut Apostolorum Acta referunt.

Bethsuram muniuêre Roboamus Rex, Iudas & Simon Maccabæi, 2. Paral. 11. 1. Maccab. 4. 6. 13. 14. 2. Maccab. 11. 14. Iosephus Antiq. 12. cap. 11. Lib. 14. cap: 9.

INTERPRETATIO.

Bethsuræ notio & mysterium.

BEthsura uel Bethsora ijsdem & literis & punctis exponitur fortis petra, uel domus fortis in petra posita. Quod fuit corporatè Bethsura terrenæ in Iudæa Ierosolymæ, hoc est Deus cum sacro suo nomine CHRISTO IESV spiritualiter nouæ ex cœlo descendẽti Vrbi, claustrum nempè fortisque petra & firma munitio. Psalm. 18. DOMINVS mea rupes est, arx mea, meus liberator, meus Deus meumq; propugnaculum. Quis est Deus præter DOMINVM? quis est Sur, id est, fortis petra prȩter Deũ nostrum? qui Deus me uirtute accingit. Psal. 27. Dominus mea lux & salus est, ecquem timerẽ? Dominus meæ uitæ firmamentum est, ecquem expauescé-

descerem? Si contra me castra fiant, nõ timebit meum cor, si in me prælium surgat (tamen DOMINO) confidam. Psal. 31. Esto mihi DOMINE firma rupes, munita domus ad me conseruandum: Nam tu mihi petra & propugnaculum es, qui me propter tuum nomen ducas atque deducas. Quemadmodum montes in Ierosolymæ circuitu, sic DOMINVS in sui populi est circuitu. Prouerb. 18. Nomen DOMINI est firma turris, in quam confugiendo iustus defenditur.

DE LOCIS IN OCCIDENTALI PLAGA.

CAP. XI.

עמק רפאים.

Κολὰς τῶν γιγάντων.

Vallis Gigantium.

Vallis Gigantum fueram spaciosa ferorum,
Hostes Psalmographi me coluêre pij.

HISTORIA.



IOSEPHVS Antiq. lib. 7. cap. 4. & 10. Vallis, quę dicitur Gigantiũ, propè Vrbem incipiens 22. stadiorum spacio Bethlehema usq; pertinet. Iosua 15. cap. Tribus Iudaicæ limes effertur in uerticem montis positi è regione uallis Hennomi ad Occidentem, qui est ad extremũ uallis Rephaimorũ ad Aquilonem. Gigantiũ uallis situs.

Philistimi postquã audierunt Dauidem omnium esse Israelitarum Regem unctum, expeditioné uniuersi contra eum facientes, & occupata conualle, quę dicitur

Rephaimorum, non procul Ierosolymis sita, castra ibi posuerunt. Tum Dauid, qui nihil inconsulto Deo solitus est agere, conscensa Arce DOMINVM interrogauit: Ascendámne contra Philistimos? eos ne tu mihi in manum trades? Cui DOMINVS respondit: Ascende, nam Philistimos ego tibi in manum tradam. Hìc Dauid cõtra hostes exercitu ducto, ut in BaalPerasium uenit, illos ibi superauit, atq; ita dixit: Per meam manum dissipauit DOMINVS inimicos meos, sicuti aqua dissipatur: Inde loci illius nomen BaalPerasium est uocatum. Vbi relicta ab illis ipsorum sculptilia Dauid igni cremari iussit. Cumq; iterata expeditione Philistimi iterum in Gigantiũ ualle castra metati essent, interrogauit rursus Dauid DOMINVM de euentu. Qui ei sic respondit: Noli eos à tergo adoriri, sed ab eis longiore circuitu digressus, quà mororũ in frõtẽ sylua, fletus cognomine, patet, aggredere, ac simul ut incessus sonitũ in arborum cacuminibus audieris, erumpe in prælium: tunc enim DOMINVS tibi ad percutienda Philistimorum castra præibit. Hoc Dauid, quemadmodũ à DOMINO iussus erat, fecit, & cœsi sunt Philistimi à Gaba ad Gazarem usque oppidum, 2. Reg. 5. 1. Paral. 14. Iosephus Antiquit. lib. 7. cap. 4.

Hier. In Hebræo flentium sylua, legitur, non pyrorũ, ut alij habent. Ex aduerso itaq; flentium eum uenire iubet, id est, ex aduerso idolorum, ubi scilicet idola eorum erãt in quib. confidebant: Quæ idola idcirco flentium uocantur, quia fletu digna sunt, & eos qui ea colũt ad fletũ miserandum perducunt.

INTERPRETATIO.

Philistimorum notio & mysterium.

PHilistimi dicuntur ruinam ponentes, seu poculo corruentes, significant stulti Pastoris genios, qui ut mysticæ Ierosolymæ ciues obsessos supprimere, & in ruinam perducere instituant, Hoseas 9. capite his indicat uerbis: Speculator Ephraimitarum apud Deum meum, Propheta nempè, laqueus est aucupatorius in omnibus eorum uijs, Inimicitiæ in Domo eorum Dei, in altissimam peccati foueam ceciderunt, depra-

deprauati ſunt ut (Gabaano tempore) Beniamitę deprauati erant (turpè committentes adulterium) Baalphegarem adierunt, & in confuſionem pertracti ſunt. Vbi Hieron. Veteres ſcrutans hiſtorias, inuenire nõ poſſum ſcidiſſe Eccleſiam, & de Domo DOMINI populos ſeduxiſſe, præter eos qui Sacerdotes à Deo poſiti fuerant & Prophetæ, id eſt, Speculatores. Iſti ergo uertuntur in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum, ut quicunque per uias eorũ ingreſſus fuerit, corruat, & in CHRISTO ſtare non poſsit, uarijsq; adducatur erroribus, & ſemitis tortuoſis ad præcipitia deferatur. Hi ſunt Speculatores Ephraim, qui inſaniam in Domo DOMINI confinxerunt, hoc eſt, in Eccleſia, ſiue in Scripturis ſanctis, peruerſè eas interpretantes, uel certè in unoquoque credentium, qui Domus Dei rectiſsimè nominatur: propterea corrupti ſunt & interierunt iuxta dies collis, quando iniquitatẽ in excelſo locuti ſunt, & aſcenderunt in tecta uana. Recordabitur Deus iniquitatis eorum, per quam iniquè geſſerunt in proximũ, educentes eum de Eccleſia, & uiſitabit peccata eorum, quibus in ſuas animas peccauerũt. Hoc eſt quod in Pſalmo legimus: Iuxta ſemitam ſcandalum poſuerunt mihi: Niſi enim quis Dei uiderit ſemitã, id eſt, CHRISTI nomen audierit, nõ ingredietur per eam. Idcircò & Hęretici ſub nomine CHRISTI iuxta ſemitam ponunt laqueos, ut qui in CHRISTO calcare ſe credit, de quo legimus, quòd ipſe ſit uia: calcet & in eorum laqueis, qui inſaniam in Domo Dei confinxerunt. De ſpiritualiũ iſtorum Philiſtimorũ interitu hæc Iohannes 20. in Apocal. cap. refert: Sathanas exibit ad ſeducendos Gentiles, Hi aſcenderunt, & Sanctorum caſtra atq; dilectam Ciuitarem circumierunt, ſed eos deſcendens à Deo ignis de cœlo deuorauit.

Pſal. 139.

CAP. XII.

הר גיחון׃

ὄρος γίων.

Mons Gihon.

Mons erat hic Gihon diuinæ proximus Vrbi,
Nactus ubi Salomon Regia ſceptra patris,
Qui fuerat Chriſti clariſsima Regis imago,
Cuius non regnum terminat ulla dies.

HISTORIA.

Gihonis ſitus.



IHON altus & directus in prolixitatem mons totum occidentale ambiens latus, inuia tamen ab Vrbe diſcretus eſt ualle. 2. Par. 33. Menaſſes Vrbis Dauidis exteriorem inſtaurauit murum in conualle, quà Gihon eſt ad occaſum, & quà per portam Piſcium itur circumque Ophelem, eumque (murum) fecit altiſsimum.

Salomon in Gihone Rex ungitur.

In Gihone Salomon Rex unctus eſt, de quo 3. Reg. 1. & apud Ioſephũ Antiq. 7. hæc referuntur: Dauid ſummo iam confectus ſenio iubet aduocare Sadocum Pontificem, Nathanemq; Prophetam & Banaiam præfectum Satellitum, ijsq; ita imperat: Aſſumite uobiſcum DOMINI ueſtri ſeruos, & Salomonem filium meum mulæ meæ impoſitum, extra Vrbem in Gihonem deducite, eumq; ibi tu Sadoce Pontifex & tu Nathan Propheta Iſraelis Regem ungitote, tubaq; clangentes ita dicitote: Viuat Rex Salomon. Deinde uobis ſequentibus ipſe uenito ſeſſum in Throno meo, pro me regnaturus, Huic enim ego præcipiam, ut ſit Dux & in Iſraelitas & in Iu-

in Iudęos. Tũc Sadocus, & Nathan, & Banaias, & Cheretæi & Pheletæi descendunt, impositumq; Regis Dauidis mulæ Salomonem extra Vrbem in Gihonem deducunt, & sumpto olei cornu ex Tabernaculo, Sadocus Pontifex Salomonem Regem ungit, & tuba dato signo uniuersi ita dixerunt: Viuat Rex Salomon. Deinde eum in Vrbem ascendentẽ, cum tanto tibiarum cantu tanq; lætis acclamationibus insequuntur, ut eorum strepitu terra simul ac aer tremerent: moxq; adductum in Regiam in Throno paterno collocant. Hìc Dauid in lecto adorans ita dixit: Benedictus DOMINVS Israelis Deus, qui mihi hodie (aliquem) dedit, qui in meo Throno me meis oculis uidente sederet.

Hier. Cherethæi & Phelethæi septuaginta senes Iudices erant.

INTERPRETATIO.

REmoue hìc umbram, & uerus occurret Salomon, qui ut pacificatis omnib. tum quæ in cœlo tum quæ in terra sunt, post suam à mortuis resuscitationem, spiritualium Israelitarum Rex lætitiæ oleo unctus, & in Patris sui Throno æternûm regnaturus positus sit, infrascripta ostendent testimonia: Danielis 7. Spectabam in nocturna uisione, & ecce cum cœli nubibus Filius ille hominis ueniebat, qui ad Longæuum usque peruenit, atque ei tanta potestas, gloria, regnum datum est, ut omnes populi, tribus & linguæ eum colerent. Eius potestas æterna est, quæ nunquam auferetur, eiusq; regnum nullo destruetur tempore. Hebræorum.1. cap. Filius Dei facta per semetipsum purgatione peccatorum nostrorum, consedit ad dexteram Maiestatis in excelsis: tanto Angelis factus præstantior, quanto excellentius præ illis nomen sortitus est: Cui enim dixit unquam Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ei Pater, & ipse mihi Filius erit.

Item cum in orbem ducit Primogenitum, dicit: Eumq; adorent omnes Dei Angeli. Et ad Angelos quidem dicit: Qui creat Augelos ſuos Spiritus. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi (permanet) Virga æquitatis uirga Regni tui eſt: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatē, propterea Deus, tuus Deus, lętitiæ oleo te inunxit ſupra tuos conſortes, Actor. 2. Non enim Dauid in (ſummos) aſcendit cœlos, ſed ille ipſe ſic ait, Dixit DOMINVS DOMINO meo, ſede à meis dextris, donec tuos inimicos ponam ſcabellum pedum tuorum. Quare hoc certò cognoſcat omnis Iſraelis Domus, ꝙ DOMINVM & CHRISTVM fecerit Deus hunc ipſum IESVM, quem uos crucifixiſtis.

CAP. XIII.

נהר השני גיחון׃

Ποταμὸς γέων.

Gihon fons, ſeu fluuius.

Fons erat hic pariter ſalua memorabilis unda:
Nobis quo uiuæ uena notatur aquæ,
Hæc fluit irriguo ſancti de corpore Chriſti,
Hæc animæ ſiccam pellit ab ore ſitim.

HISTORIA.

Gihon fluuius.



IHON fluuius in ſummo Gihonis iugo oriebatur, dictus inde Gihon, Item ſuperior ac uetuſta Colymbethra, & torrens in medio terræ efferueſcens: quem Hiskias Rex canalibus in Vrbem deriuauit, prout ſcriptum habet 2. Par. 32. Videns Hiskias Sennacheribum bello Ieroſolymā aggredi parare, fontanas aquas, quæ extra Vrbem erant, obturauit,

turauit,& (in his) fluuium in terræ medio efferuescentem, ne si uenissent Assyriæ Reges tantam aquarũ abundantiam inuenissent. Ac paulò post: Hiskias superiores aquę Gihonis scatebras obstruxit, eamq; subter occidentalem Ciuitatis Dauidis partẽ deriuauit, 4. Reg. 20. De reliquis Hiskiæ rebus gestis, utq; facta piscina & aquæductu aquam in Vrbem induxerit, scriptum in Annal. Regum Iudęæ. Syrach. 48. Hiskias in Vrbem induxit aquam, cauauit ferro scopulum, & piscinam aquæ gratia construxit.

Aben Ezra uult eundem esse fluuiũ, quem & Moses Gihonẽ appellãs, ex Paradiso emanasse his uerbis refert: Secũdo fluuio nomẽ est Gihon, qui terrã Cusch circuit. *Gihõ Paradisi fluuius.*

INTERPRETATIO.

GIhonem Iosephus exortũ ab oriente, Hieronymus pectus & emanationẽ exponit. Sapientia 24. apud Syrach. cap. suam in carne & apparitionẽ & operationem cum Gihone eiusq; aquæductu cõparat, ita disserens: Ego ex ore Altissimi prodij, ante omnẽ creaturam genita: Creator omniũ mihi ita pręcepit, In Iacobęis habita, & in Israelitis possessionẽ obtineto. Ita in Sione firmata sum, estq; mea potestas Ierosolymis. Assisto quasi Gihon uindemiæ tempore, quam neq; primus perfectè nouit, nec ultimus item peruestigauit. Ego (Sapientia) quasi (immensæ aquæ) corrugus à flumine, quasique aquæductus è Paradiso exiui, sic dicens: Meum præstantissimũ hortum irrigabo, meamq; iustam areolam perfundam: & ecce meus corrugus factus est fluuius, meusque fluuius excreuit in mare. Mei memoria atq; possessio melle est, mellisq; fauo dulcior, adeò ut qui me bibunt (magis magisque) sitiant. *Gihonis notio* *Spiritualis Gihon.*

CAP. XIIII.

מסלה שדה כובס.

τὸ τοῦ γναφέως μνῆμα.

Semita, Ager Fullonis.

Hîc Fullonis erat tritiſsima ſemita quondam,
Dictus & eiuſdem nomine campus erat:
Myſtica de Chriſto caput hoc tibi multa recludit,
A Chriſto nobis pendeat una ſalus.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Fullones.



IC locus inde ſic denominatus creditur, quòd in eo Fullones ſuos pannos, ex uicino Gihonis flumine lotos, ſiccare & extendere ſolerent.

Temporib. Achazi Iudęæ Regis, Reſin Syriæ Rex, & Pecha Remaliæ filius Iſraelitarum Rex, aſcenderunt ad inferendum Ieroſolymis bellum, neq; ea tamen expugnare potuerunt. Poſtquam autem Dauidis domui nunciatum eſt, in Ephraimitis acquieſcere Syros, & Regis & populi corda cõmota ſunt, quemadmodum uento commouentur ſyluarum ligna. Et DOMINVS (ſic) ad Eſaiam dixit: Exi obuiam Achazo ad extremũ aquęductus piſcinæ ſuperioris ad ſemitam agri Fullonis, & ei ſic dicito: Vide ut quieſcas, nec uerearis quòd in te Syri, Ephraimitæ & Remaliæ filius malum inierint conſilium, dicentes: Aſcendamus Iudæam, eamque excitemus, & nobis ſubijciamus, Sic dicit DOMINVS: Id non præſtabitur, neque fiet: Quod ſi non creditis, non permanebitis (uel iuxta LXX. non intelligetis) Pete tibi ſignum (dicit DOMINVS, Achazum porrò alloquens) Cui Achazus reſpondit: Non petam ſignum, neq; DOMINVM

Mittitur Eſaias Achazæ obuiam ad ſemitam agri Fullonis.

MINVM tentabo. Hic(Propheta)dixit: DOMINVS ipſe uobis ſignum dabit: Ecce Virgo quædam prægnata, filium pariet, quem nomine uocabit Emmanuelem (qui) butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, eligere bonum: prius enim quàm is puer malũ reprobare bonumq́ue eligere ſciat, derelinquetur terra, quam tu ob duos iſtos Reges deteſtaris, Eſaiæ 7. Vbi Hieron. Iuxta Anagogẽ facilis eſt huius textus interpretatio, quòd Rex Aram, qui interpretatur excelſus atque ſublimis, ſecularis ſapientiæ arrogantiã, Phaceæ autem hæreticos, indicet: Hi enim cum aliàs inter ſeſe diſcrepent, in hoc tamen conſentiunt, ut Domũ Dauid, id eſt Eccleſiam, argumentorũ Dialecticæq; artis gladijs expugnent, & ſuis erroribus copulent, quemadmodũ Herodes & Pilatus inter ſe diſcordantes in DOMINI paſſione amicitia fœderantur. Sed fruſtra conſilia ſua inibunt: ſemẽ enim mulieris, CHRISTVS ille benedictus ſuam Eccleſiam, ut nec inferorũ contra eam portę prȩualeant, cuſtodit, inuocatusq; Syriam cum Samaria uaſtat, & ſuam Domũ à Raſina & Phacea liberat.

Vaticinium de Christi ex Maria uirgine partu.

ארם

Luc. 23.

Anno quartodecimo Regis Hiskiæ Senacheribus Aſſyriæ Rex Rabſacim à Lachi Ieroſolymã ad Hiskiam miſit cum magnis copijs, qui Rabſaces poſtquam apud aquæductum piſcinæ ſuperioris in ſemita agri Fullonij conſtitit, prodijt ad eum iuſſu Regis Eliacimus Procurator, & Sobna Scriba, & Ioa Cõmentarienſis: ad quos Rabſaces huiuſmodi uerba fecit: Hæc Hiskiæ dicite: Sic dicit Rex Aſſyriæ: Qua tandem ſpe fretus in me rebellaſti, nec meum in Vrbem exercitum uis recipi. Quod ſi mihi dices uos DOMINO Deo ueſtro confidere, Scire poteris, ipſum me DOMINVM iuſsiſſe in hanc regionem aſcendere, eamque depopulari. Hìc Eliacimus Rabſacem interpellauit, rogans ut ſe Syriacè, non

Aſſyrij in ſemita agri Fullonis ſua caſtra metantur.

autem Hebraicè, audienti quę in muro erat populi multitudine, alloqueretur. Cui Rabſaces: Quaſi uerò, inquit, ad DOMINVM tuum aut ad te miſerit me DOMINVS meus ad hæc dicenda, ac non potius ad miſeros iſtos qui in muris excubant, Audite Regis Aſſyriæ mandatũ, inquit ſtans, & uoce magna ad eos, qui in muris erant, Hebraicè clamans: Hęc dicit Rex, Ne uobis imponat Hiskias: neque enim poterit uos à mea manu uindicare, nec eſt ut is uos DOMINO confidere iubeat, dicendo: Indubiè nos DOMINVS liberabit, neq; Vrbem iſtam in Regis Aſſyriæ poteſtatẽ permittet, Nolite Hiſkiam audire, qui uos ſpe defenſionis à DOMINO fallit. Quis tandem eſt ex omnibus terrarum Dijs, qui ſuam terram ab Aſſyriæ Rege aſſeruerit? ut Deus ueſter Ieroſolymam aſſerturus eſſe uideatur. Hæc cum audiſſent à Rabſaco tam Legati quàm populus, ad Regẽ Hiskiam etiam perlata ſunt. Ille perculſus, habitum Regalem exuit, ſaccumque indutus, in Templo Deo ſupplicauit, ut cum alia ſpes nulla adſit, opem & ſalutẽ afferat. Miſſis etiam ad Eſaiam Prophetam Eliacimo, & Sobna & Senioribus Sacerdotum, rogauit ut pro communi ſalute Deum ſollicitet. Paruit Propheta, & diuino monitus reſponſo, iuſsit Regem atque amicos bono eſſe animo, prædicens, & hoſtis exercitum ſine pręlio uincendum, & ipſum Senacheribum ferro eſſe interiturum. Igitur ea nocte Aſſyriorum caſtra adortus DOMINI Angelus, centum octoginta hominum millia, peſte immiſſa, occidit. Manè, ubi ſurrectum eſt, conſpicitur tanta ſtrages, itaque digreſſus Aſſyriæ Rex, Niniuem repetijt, ubi Dei ſui ædem ingreſſus, ab ijs ipſis, qui ex eius uiſceribus exierant, ferro obtruncatus eſt, 4. Reg. 18. 19. 2. Paral. 32. Eſa. 36. Nahum. 1. Eccleſ. 48. Tob. 1. 1. Maccab. 7. 2. Maccab. 8. Ioſeph. Antiq. lib. 10. cap. 2. Sennacheribus exponitur tollens uel leuans deſerta, Aſſyrij graſſatores & inſidia-

insidiatores: denotant Sathanam cum omni eius exercitu, peccato, morte, inferno, quos ut fœderis magniq; consilij Angelus, CHRISTVS IESVS, secundum Fulloneam semitam, in uicino Caluariæ loco interemptos deuicerit, & paulò post indicabitur, & ex ijs, quæ huc asscribam, testimonijs planũ fiet: Heb. 2. Cum pueri carni & sanguini communicârint, CHRISTVS similiter eorundem particeps est factus, ut per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolũ, eosq; liberaret, qui mortis metu per omnem uitam seruituti erant obnoxij. Coloss. 2. CHRISTVS deleuit placitorum chirographum, quod nobis contrarium erat, idq; de medio sustulit affixum cruci, & per semetipsum expoliatos principatus ac potestates palam traduxit. Assyrij quoq; hominem peccati, cæterosq;, spiritualem obsidentes Ierosolymam, Deiq; nomini cõuitia facientes, Sathanę genios, adumbrant, de quorum quidem & obsidione & strage hæc prædicta legimus, 2. Thessal. 2. Hominem illum scelerosum, cuius aduentus secũdum Sathanæ operationẽ erit, ut aduersetur; & se suprà quicquid dicitur Deus extollat, DOMINVS oris sui Spiritu conficiet, aduentusq; sui illustratione abolebit. Apocal. 12. Factum est in cœlo prælium, Michael & eius Angeli aduersum Draconem pugnabant, & Draco eiusq; Angeli pugnantes uicti & ad terrã deiecti sunt. Cap. 17. Decem Reges, qui idem habebant consilium, suamque uirtutem & potestatem Bestiæ tradunt, cum Agno pugnabunt, eosq; uincet Agnus, quia Dominorum est Dominus, & Regum Rex (nec non) uocati cum eo, electiq; & fideles.

Aug. Assur pro ipso Diabolo intelligi solet, qui operatur in filijs diffidentiæ tanq̃ in uasis suis, ut oppugnent populũ Dei.

August. Christus manu inermi & affixa cruci debellauit aerias potestates.

Hiero. in Ezech. Per inimicum & ultorem Assurum intelligimus Antichristum.

CAP. XV.

גלגלתא.

Κρανίου τόπος.

Golgotha, Caluariæ locus.



Latrones inter pendet Saluator iniquos,
Et medius pœnas immeritusq; luit,
Factus pro nobis ſic eſt maledictio Chriſtus,
Vt per eum fieret Gens benedicta Dei.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

LOCVS Golgotha, ſiue ut Chaldaicè ſcribitur Golgoltha, in monte Gihone erat, ubi CHRISTVM inter duos noxios, ob latrocinia damnatos, mediũ cruci affixerunt. Mar. 15. Milites Ieſum in locũ Golgotha ducunt, quod interpretatũ perinde eſt acſi dicas, Caluarię locũ, & (ibi) eũ crucifixerũt (Sed)

(ſed) & cum eo latrones duos, alterum ad dexteram, alterum ad ſiniſtram, crucifixerunt. Ita perfecta eſt Scriptura illa, quæ (ſic) dicit: Et inter iniquos habitus eſt. Lucę 23. Cum IESVM (crucifigendum) educerent, Simonem Cyreneum comprehenderunt, eiq́; crucem poſt IESV tergum portandam impoſuerunt. Ducebantur autem etiam alij duo facinoroſi cum eo interficiendi, Atq; ubi ad locum uenerunt, qui Caluaria uocatur, ibi eum & facinoroſos, alterum ad dexterã, alterum ad ſiniſtram crucifixerunt. Iohan. 19. Tunc ergo IESVM Pilatus illis, ut crucifigeretur, tradidit. Et illi Ieſum acceptũ abduxerunt, isq; ſuam crucem baiulans, exiuit in locum Caluariæ appellatum, qui dicitur Hebraicè Golgotha, ubi eum crucifixerunt, & unà cum eo hinc atque hinc duos alios, Ieſum autem medium. Hieron. in Matth. Extra Vrbem & foras portã loca erant, in quibus truncabantur capita damnatorum, & Caluariæ, id eſt, decollatorum nomen ſumpſerunt: propterea autem ibi crucifixus eſt Dominus, ut ubi prius erat area damnatorũ, ibi erigerentur uexilla martyrij, ubiq́ue ante abundauit peccatum, ſuperabundaret gratia: & quomodo pro nobis maledictum crucis factus eſt, & flagellatus, & crucifixus, ſic pro omnium ſalute quaſi noxius inter noxios crucifigeretur.

Ieſus in Golgotha crucifigitur.

Golgotha quid.

Caluariæ notio & myſterium.

Chriſtum uerò in cruce pro nobis ſubiturum mortem, his prædictum fuerat ſcriptis: Deut. 28. Tua Vita tibi ante oculos pendebit, tu autem noctem diemq́; pauens, uitę tuæ non credes. Pſal. 22. Meas manus meosq́; pedes perfoderunt. Zach. 12. Eum quem transfixerunt intuebuntur, & de eo plangẽt ut de Vnigenito filio plangitur. 3. Eſd. 9. Habemus eum humiliare in ligno, & poſt hæc ſperabimus in eum. Matth. 20. Ecce aſcendimus Ieroſolyma, & filius hominis Pontificibus Scribisq́; tra-

Vaticinia de Chriſti in crucem ſublatione.

Iren. Hoc dicto Moſes ſignificat Verbũ quod ab initio nos condidit, nouiſsimis tẽporib. ut eos uiuificaret, oſtendẽdum eſſe, pendẽs in ligno, cui non ſint credituri. Vide Tert. cõtra Iud. Aug. Dia. de alterc. Eccl. & Synag. Lact. libr. 4. Inſtit.

detur,qui eum morte damnatum tradent Gentibus illudendum,& flagellandum & crucifigendum. Iohannis 3. Sicut Moses Serpentem exaltauit in deserto,ita oportet Filium hominis exaltari. Cap.12. Et ego si à terra exaltatus fuero, omnes ad meipsum traham. Hoc autẽ dicebat (ait porrò Euangelista) significans qua morte moriturus esset.

Cur crucis morte Dominus sustinere uoluerit.

Athanasius de Incarnat. Verbi: Porrò si quis ex nostris non contentiosè, sed discendi studio inquirat, cur non aliter quàm cruce DOMINVS noster consummatus sit,audiat non aliter nobis expedijsse, Dominumq; propter nos id in primis genus mortis pertulisse: Nam si maledictum,quod erat contra nos,portare ipse uenerat,quomodo maledictum factus esset, nisi mortem illam,quæ pro maledicto erat,excepisset? Ea uerò crux est:sic enim scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Præterea si mors DOMINI redemptio omnium est,eiusq; morte medius maceriæ paries soluitur, fitq; uocatio Gentiũ, quomodo nos ad se inuitaret,nisi crucifixus esset? Sola enim in cruce expansis manibus quis moritur: Idcircò meritò DOMINVS hãc pati debuit,& manus extendere,ut alia Iudęos alia Gentiles attraheret, ambosq; in seipso coniungeret: Hoc enim & ipse dixerat,significans qua morte esset moriturus,omnesq; redempturus: cum exaltatus,inquit,fuero,omnes traham ad meipsum.

Vide Lactant. lib.4. cap.26.

Vestes Domini diuiduntur.

Deinceps reliquam passionis atque mortis CHRISTI in Caluaria peractam historiam persequemur: Igitur milites postquam IESVM (nudo corpore, ut mos erat) crucifixerunt, eius uestimenta acceperunt, & (ex eis) quatuor fecerunt partes, unicuique militi unam: itemque tunicam. Erat autem tunica inconsuta,à summo tota contexta. Itaque inter sese dixerunt: Eam ne scinda-

ſcindamus, ſed de ea ſortiamur cuius ſit, Matth.27. Iohan.19. Hæc autem tametſi prophanis animis à militibus gererentur, tamen imprudentes ſubſeruiebant uaticinio Prophetarũ, ut hinc etiam agnoſceretur is eſſe, de quo diuinus prædixerat Spiritus in Pſalmis: Partiti ſunt inter ſeſe, inquiens, mea ueſtimenta, & ſuper ueſte mea ſortem iecerunt, Matth.27. Luc. 23. Iohan.19. At nudo DOMINVM corpore cruci affixum, & cur id factum ſit, Ambroſius his indicat uerbis: Refert conſiderare qualis crucem aſcendat: Nudum uideo, Talis ergo aſcendat, qui ſeculum uincere parat, ut ſeculi adiumenta non quærat. Victus eſt Adam qui ueſtimenta quæſiuit, uicit ille qui tegumenta depoſuit: & talis aſcendit, quales nos auctore Deo natura formauit. Talis in Paradiſo homo primus habitauerat, talis ad Paradiſum homo ſecundus intrauit. Et ut non ſibi ſoli, ſed omnibus uinceret, manus extendit, quò omnia traheret ad ſe, ut nodo mortis exuta, iugo fidei ſuſpenſa, cœleſtib. ea quæ prius erant terrena ſociaret.

Pſal.21.

Chriſtus nudꝰ in crucē actus.

Scripſit autem titulum Pilatus, quem cruci impoſuit, in quo Hebraicè, Græcè & Latinè (ita) ſcriptũ erat:

Titulus cruci impoſitus.

ישוע ברצוי מלך יהודים·

Ιησοῦς ὁ Ναζωραῖος ὁ Βασιλεὺς τῶν Ιουδαίων.

Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.

Hunc titulum cum multi Iudæorũ legiſſent (nam prope Ciuitatẽ erat is locus, ubi crucifixus eſt IESVS) dixerunt Iudæorũ Pontifices Pilato: Ne ſcribas Iudæorum Rex, ſed quòd ille dixerit, Iudęorum Rex ego ſum. (At) Pilatus reſpondit: Quod ſcripſi ſcripſi, Matth.27. Mar.15. Luc.23. Iohan.19. Vbi Cyrillus: Diuinitùs, ut ego puto, factum eſt, ut trium linguarum, quæ præcipuę

Hier. Velitis nolitis ô carnales Iudæi, Ieſus Rex Iudęorum eſt, id eſt imperator credẽtium & confitentium.

ſunt, literis ſcriptus titulus fuerit: Omnium enim Gentium regnum CHRISTO attributũ eſſe ſignificauit: Ipſi enim, inquit Daniel, honor & regnum datum eſt, & omnes tribus & linguę ipſi ſeruient. Et ut Paulus ait: Omne genu flectetur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua cõfitebitur, quia DOMINVS noſter IESVS CHRISTVS in gloria eſt Dei Patris. Titulus igitur iſte per præcipuas linguas omniũ linguarum IESVM futurũ Principem prædicabat, & impietatis crimine Iudæos arguebat, magna eorum uoce qui legebant conclamans, quòd DOMINVM Regemq́ue ſuum crucifixerint.

Aug. Tract. 31. in Iohan. Dominus de cruce dicens: Ignoſce illis Pater, uidebat quoſdã ſuos inter multos alienos, illis iam petebat ueniam, à quib. adhuc accipiebat iniuriam: non enim attendebat quòd ab ipſis moriebatur, ſed quia pro ipſis moriebatur: multum eſt quod illis conceſſum eſt, & ab ipſis & pro ipſis, ut nemo de ſui peccati dimiſſione deſperet, quoniam illi ueniam meruerunt, qui Chriſtum occiderunt.

IESVS cruci affixus, ut re præſtaret quod ſuos ante Diſcipulos docuerat, pro hoſtib. deprecatur, inquiens: Pater remitte eis, neſciunt enim quid faciant, Lucæ. 23. Sed & hoc eum facturum, Pſal. 109. his denunciatur uerbis: Impium doloſumq́; os in me aperuerunt, mecũ locuti ſunt lingua mendaci. Verbis me circundederunt odioſis, oppugnant gratis. Pro amore meo mihi aduerſantur, ego tamen orabam.

Aſtabant uerò apud IESV crucem eius mater, & matris ſoror Maria, Cleophæ uxor, & Maria Magdalena. IESVS igitur conſpicatus matrem & aſtantem Diſcipulum, quem (præ cæteris familiarius) diligebat (ne quid affectus humani in terris relinqueret, quemadmodũ diſtributis ueſtibus rerum nihil reliquerat) uerſus ad matrem ait: Mulier, ecce filius tuus (capitis & oculorum nutu Diſcipulũ deſignans) Deinde ad Diſcipulũ uerſus: Ecce, inquit, mater tua: Atq; ex ea hora recepit matrẽ IESV Diſcipulus in ſua (eius per omnia, ceu natiuæ matris, curam agens) Iohan. 19.

Ieſus matrẽ Iohãni cõmendat

Ambr. Maria, ut matrẽ Chriſti decebat, fugiẽtibus Apoſtolis, ante crucẽ ſtabat, & pijs ſpectabat oculis filij uulnera, quia expectabat nõ pignoris mortem, ſed mundi ſalutẽ cognoſcens per filij mortem mundi ſalutem fore.

At prætereuntes ei maledicebant, motantes ſua capita, & dicentes: Vah qui Templum deſtruis, & triduò inſtau-

instauras, serua teipsum, & de cruce descende. Similiter & Pontifices inter sese illudentes, cum Scribis & Senioribus, dicebant: Alios seruauit, seipsum seruare non potest, CHRISTVS ille Israelitarum Rex & Dei Electus, descendat nunc de cruce, ut eo uiso credamus. Confidit in Deo (quem iactabat suum patrem esse) liberet nunc eum, si ei benè uult, nam dixit: Ego Dei sum filius. Illudebant quoque milites, & ei sic dicebant: Si tu Iudæorũ Rex es, serua teipsum, Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Hìc expressis uerbis prophetiæ perficiuntur, quæ ita habent: Psal. 22. Ego uermis sum & non Vir, hominum opprobrium & populi contemptus. Quicunq; me aspiciunt, subsannant, labra distendunt, & capita quassant, itaque dicunt: Confidit in Domino, liberet eum, eripiat eum, quoniã ei tam benè uult. Psal. 31. Omnibus hostib. meis opprobrium factus sum, & maximè uicinis, Multorum audiui contumelias. Sapien. 2. Circũueniamus iustum, Filium Dei seipsum nominat, Deumq; suũ iactitat Patrem, uideamus an ea quę dicit uera sint, Si uerus est Dei filius, ille eum suscipiet, cõtumelia & cruciatu eum examinemus, ut eius probemus patientiam.

In Iesu crucifixo omnes offendunt.

Quin & unus è sceleratis, qui (ad Iesu) pendebant (latus è cruce) ei maledicebat, inquiens: Si tu CHRISTVS ille (& mundi es Seruator) serua teipsum (simul) & nos. Cæterùm alter (considerata tam admirabili IESV patientia, postquam diuino accensus est instinctu) increpabat (sceleris & supplicij socium) dicens: An tu Deum non times? (qui morituro moriturus insultas, præsertim) cum sis in eadem (cum illo) damnatione (uel hoc solum te à conuitijs debebat cohibere, etiamsi socius esset criminis. Nunc alia eius alia nostra est conditio) Nos quidem iustè (damnati, ac) nostris digna factis accipimus, At ille nihil mali commisit.

Latro Iesu maledicit.

Hier. Cũ iniquis ueritas deputata unum reliquit sinistrum, alterum assumit dexterũ, sicut in die iudicij faciet, ex simili crimine dissimiles sortiuntur fines.

(Bis autem inhumanum eſt,&morituro maledicere & innocenti.Hoc teſtimonium IESV reddidit in cruce latro,ut uſquequaq; eius innocentia fieret teſtata)Moxq́; ad IESVM (conuerſus)ait:Memento mei DOMINE cum ueneris in regnum tuum (Mira latronis fides, qui quum uideret pendentem ac morientem in cruce,moriturus & ipſe,reſuſcitatum regnaturum Deum credidit)IESVS autẽ(qui mutus erat ac ſurdus ad omnia conuicia,non eſt ſurdus ac mutus cum fiducia poſtulanti)dixit ad eum: Amen tibi dico,hodie mecum futurus es in Paradiſo(æternam nimirum ei requiem ac refocillationem apud ſe in cœleſtis regni Paradiſo pollicens, mox à peracto ſupplicio. Quàm bonum eſt ſemper adiungi IESV, qui ſibi credentes nuſquam non ſeruat,facileq́; ignoſcit,& plus quàm rogetur confert) Luc.23.

Alter latronũ fidei iuſtificatione ſeruatur

Erat hora ferè ſexta (cum ea quæ adhuc dicta ſunt acciderent)à ſexta autẽ tenebræ per uniuerſam terram extiterunt,uſque ad horam nonam, & Sol obſcuratus eſt, Matth.27. Mar.15. Luc.23. Vbi Hieronymus: Qui ſcripſerunt contra Euangelia, ſuſpicantur deliquiũ Solis,quod certis ſtatutisq́; temporibus accidere ſolet, Diſcipulos CHRISTI ob imperitiam ſuper paſsione Domini interpretatos, cum defectus Solis nunquã niſi ortu Lunæ fieri ſoleat. Nulli autem dubium eſt Paſchæ tempore Lunam fuiſſe pleniſsimam. Et ne forſan uideretur umbra terræ uel orbis Lunæ Soli oppoſitus,breues & ferrugineas feciſſe tenebras, trium horarum ſpacium ponitur, ut omnis cauſantiũ occaſio tolleretur. Et hoc factum reor,ut compleatur prophetia, dicens: Occumbet Sol meridie, & contenebrabitur ſuper terram in die lux. Et in alio loco: Occubuit ſol cum adhuc media eſſet dies. Videturq́ue mihi clariſsimum lumen mundi, hoc eſt,luminare maius, retraxiſſe radios ſuos, ne aut

Tenebræ. Eclipſis.

Phlegon.14. lib. Quarto anno 202 Olympiadis magna & excellens inter omnes,quæ ante eam acciderant,defectio Solis eſt facta, dies hora ſexta ita in tenebroſam noctẽ uerſus,ut ſtellæ in cœlo uiſæ ſint.

Amos 8.

Ierem.15.

ne aut pendentem uideret DOMINVM, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur.

Circa nonam horã exclamauit IESVS magna uoce (referens prophetiam de se prędictam ex 22. Psalmo) his uerbis: Eli Eli, lama sabachthani? Hoc est, Mi Deus mi Deus, cur me dereliquisti? Quo audito quidam eorum qui illic astabant, dixerunt: Iste uocat Eliam. Reliqui uerò dicere: Videamus an ueniat Elias seruatũ eum, Matt. 27. Mar. 15. Hilarius: Ne mireris uerborum DOMINI humilitatem, & quærimonias derelicti, cum formam serui sciens, scandalum crucis uideas. Et Glossa Ord. Dicitur Deus filium deseruisse in morte, quia potestati persequentiũ eum exposuit: subtraxit enim protectionem, sed non soluit unionem. *Eli Eli, &c.*

Postea sciens IESVS omnia iam perfecta esse, ut impleretur Scriptura, dicit: Sitio. Positum uerò erat ibi uas aceti plenum (quod sitientibus porrigi solebat ad mortem accelerandam) igitur illi oppletam aceto spongiam & arundini affixã, admouerunt eius ori, Matt. 27. Mar. 15. Iohan. 19. Vbi Augustinus: Quis potest quę facit ita disponere, quomodo disposuit homo iste quæ passus est? Sed homo Mediator Dei & hominum, homo de quo prædictum legitur: Et homo est, & quis cognoscet eum? quoniam homines per quos hæc fiebant, uidebant hominem, sed non agnoscebant Deum. Homo nanque apparebat, qui Deus latebat: Patiebatur hæc omnia, qui apparebat, & idem ipse disponebat hæc omnia qui latebat. Vidit ergo quia consummata sunt omnia, quæ oportebat ut fierent, antequam acciperet acetum, & traderet spiritum: atque ut hoc etiam consummaretur, quod Scriptura prædixerat: Et in siti mea potauerunt me aceto, Psalmo 68. Sitio, inquit. Tanquam dicere uellet: Hoc minus fecistis, *Iesus sitit.* *1. Tim. 2.* *Ierem. 17.* *2. Cor. Deus erat in Christo mundũ sibi reconcilians.*

date quod reſtat. Tunc illi ſpongiam aceto plenam obtulerunt. Faciebat iſta populus impius, patiebatur iſta miſericors Chriſtus. Qui faciebat, quid faceret neſciebat: qui patiebatur autem non ſolum quid fieret, ſed & cur fieret ſciebat, uerumetiam de male facientibus bene ipſe faciebat.

Quum ergo Ieſus acetũ accepiſſet, dixit: Conſummatum eſt, Iohan. 19. ſignificans Scripturam de ſeſe teſtantem impletam, ſacrificium pro noſtris peccatis, in Lege adumbratum, nunc iuxta Dei Patris uoluntatem in ſuo corpore ritè abſolutum, quicquid perditorũ conduceret ſaluti uſquequaq; perfectum eſſe.

Ieſus cũ ingenti clamore emittit animã.

Hieron. Cum ima uoce uel ſine noce morimur qui de terra ſumus, Ille uero cum exaltata uoce expirauit, qui de cœlo deſcendit.

Theoph. Non ſicut cõmunis homo, ſed cum magna poteſtate mortuus eſt.

Deinde magna iterum uoce clamauit, inquiens: Pater tibi in manus cõmendo ſpiritum meum. Atque hęc locutus inclinato capite, emiſit ſpiritum, Matt. 27. Marci 15. Luc. 23. Iohan. 19. Vbi Auguſt. Quia nihil remanſerat, quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret, tanquam ille qui poteſtatẽ habebat ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam: peractis omnibus quę ut peragerentur expectabat, inclinato capite tradidit ſpiritum. Quis ita dormit quando uoluerit, ſicut Ieſus mortuus eſt quando uoluit? Quis ita ueſtem deponit quando uoluerit, ſicut ſe carne exuit quando uoluit? Quis ita cum uoluerit abit, quomodo cum uoluit obijt? Quanta ſperanda uel timenda poteſtas eſt iudicantis, ſi apparuit tanta morientis?

Signa expirationem Chriſti ſubſecuta.

Tunc Templi uelum in duas partes à ſummo ad imum uſq; fiſſum eſt, & terra cõmota eſt, & petræ fiſſę, & monumẽta aperta, multaq; corpora ſanctorum, qui obdormierant, ſurrexerunt, qui è monumentis egreſsi, poſt eius reſurrectionem uenerunt in ſanctam Vrbem, & multis apparuerunt, Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Hieronymus

nymus in Matt.& Epiſtola ad Hedibiam: Velum Templi ſciſſum eſt,& omnia Legis ſacramenta,quę prius tegebantur,prodita ſunt,atq; ad Gentium populũ tranſierunt. In Euangelio quod Hebraicis literis ſcriptum eſt, ſuperliminare Templi infinitæ magnitudinis fractum eſſe atq; diruiſſe legimus. Ioſephus quoq; refert uirtutes Angelicas præſides quondam Templi tunc pariter conclamaſſe: Tranſeamus ex his ſedibus: Terra mota eſt,pendentem DOMINVM ferre nõ ſuſtinens. Petræ ſciſſæ ſunt,ut indicarent duritiam Iudæorum,qui præſentem Dei Filium intelligere noluerunt. Monumenta aperta ſunt,in ſignum futuræ reſurrectionis,multaque ſanctorũ corpora reſurrexerunt,ut DOMINVM oſtenderent reſurgentem. Et tum cum monumenta aperta ſint,non antea reſurrexerunt,quàm DOMINVS reſurgeret, ut is Primogenitus reſurrectionis ex mortuis eſſet. Sanctam Ciuitatem,in qua uiſi ſunt reſurgentes, Ieroſolymam debemus accipere, quæ ſancta appellabatur propter Templum & Sancta ſanctorum, & ob diſtinctionem aliarum Vrbium, in quibus idola colebantur. Quando uero dicitur: Apparuerunt multis,oſtenditur non generalis fuiſſe reſurrectio, quæ omnibus appareret,ſed ſpecialis ad plurimos,ut hi uiderent,qui cernere merebantur, & reſurgentem ſuſceperunt DOMINVM.

Veli ſciſſura indicauit Moſaicę Legis umbras deinceps abolendas, cum per Chriſti carnẽ patefactus ſit in cœleſte Sanctuarium aditus. Heb. 10.

Centurio uerò,qui è regione aſtabat,uiſo terręmotu,quodque IESVS emiſſo clamore expiraſſet, Deum glorificauit,dicens: Verè hic homo iuſtus & Dei erat Filius. Et omnis eorum turba, qui ſimul ad hoc ſpectaculum acceſſerant, uidentes quæ facta forent, tundendo ſua pectora reuerſi ſunt, Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Vbi Hieron. & Ambr. Nouiſsimi nũc primi efficiũtur, Gentilis cõfitetur popul9, Iudęa obcęcata manet,ut fiat eis error

Centurionis de Chriſto cõfeſsio.

peior priore. Eſt & hoc conſiderandum, quòd Centurio antè crucem in ipſo paſsionis ſcandalo crucifixum uerè Dei filium confiteatur, quem Arrius in Eccleſia Creaturam prædicat.

Mulieres.

Hier. Conſuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpã more Gentis antiquo, ut mulieres de ſubſtantia ſua uictũ atq; ueſtitũ præceptorib. miniſtrarent. Miniſtrabant ergo Domino de ſubſtantia ſua hæ mulieres, ut is meteret earum carnalia, cuius illæ metebãt ſpiritualia. Atq; ita typũ oſtenderet magiſtrorũ, quod uictu atque ueſtitu ex Diſcipulis deberent eſſe contenti.

Aſtabant uerò illic & mulieres procul (quæ gerebantur) ſpectantes, in quibus erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi Minoris Ioſiſq; mater, & Salome: quæ etiam, dum (ille) erat in Galilæa, eum ſequutæ fuerant, ei ſubminiſtrantes (neceſſaria) itemque aliæ multæ quæ cum eo Ieroſolymam aſcenderant, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Fugientibus Diſcipulis & in fide labefactatis, iuxta illud Pſal. 88. Meos à me familiares alienaſti, mulieres pręcipuè cum aliàs infirmiora dicantur uaſa, fortiores exiſtebant, atq; hoc factum eſt, ut huius mundi fortia confunderentur, 1. Cor. 1.

Latronũ crura franguntur.

Ex aperto Ieſu latere emanat ſanguis & aqua.
Exod. 12.
Num. 6.
Zach. 12.

Verùm Iudæi, quandoquidẽ erat Paraſceue, ne manerent in cruce corpora Sabbatho: erat enim magna (& celebris) illa dies Sabbathi, Pilatũ rogârunt, ut eorũ crura (quò mors acceleraretur) frangerẽtur, ijq; tollerẽtur (è crucibus, ne ſui conſpectu diem Feſtum funeſtarent) Itaq; uenerunt milites (iuſſu Pilati) & primi quidẽ (latronis) crura fregerunt, itemq; alterius cum eo crucifixi: Sed poſtquam ad IESVM uentum eſt, ut eum uiderunt iam mortuum, non fregerunt eius crura: ſed unus militum (ſubdubitans fortaſsis an uerè mortuus eſſet) lancea latus eius aperuit, ac continuo exiuit ſanguis & aqua. Atq; hæc quidẽ facta ſunt, ut Scriptura illa impleretur: Nullum eius os cõminuetis. Et rurſus alia Scriptura ait: Intuebuntur quem transfixerunt, Iohan. 19. Non religione hoc à Iudæis factum (ait Cyrillus) quòd pendentes tolli cupiebant, ſed quia, ut cõſueuerant, excolabant culicem, & camelũ glutiebant. Maxima enim delicta temerariè ſuſcipiebant, & de minimis erant curioſi,

riosi,quod eodem patuit die: nam CHRISTVM occidere non dubitârunt, & Sabbathi honorem in re minima conseruare studebant. Auctorem Legis interimerunt,& Legem seruare fingebant. Honorant magnum illius Sabbathi diem, qui magnæ diei Dominum crucifixerũt. Ad figuralis Agni esum se expediunt,qui uerũ iam immolârant. Verũenimrerò licet hæc ab illis præpostera ac peruersa gererẽtur religione,interim tamen diuinũ interueniebat consiliũ, ut scilicet CHRISTVS è cruce in sepulchrum translatus, illic,peracto nostræ redemptionis opere, suum ageret Sabbathũ, cuius externus Sabbatismus figura erat. Porrò aquam Christus iam mortuus ex aperto emisit latere, ut se uerũ illum Nepthoa,id est, apertum fontem esse ostẽderet, de quo Zach.13.sic dicitur: Illa die erit fons apertus pro Domo Dauidis, proq; Ierosolymæ habitatoribus ad peccatorum & menstrualium expiationem. † Emisit quoque sanguinem quo nouum confirmaretur Testamentum, & sceleribus mortui uiuificarentur: In sanguine enim uita,nec peccatorum remissio fieri, aut Testamentum confirmari aliter,quàm fuso sanguine,poterat, Gene.9. Heb.10. Sub hæc & illud,quòd scilicet CHRISTO non sunt crura fracta,licet casu geri uideretur, tamen diuini consilij dispensatione gestum esse Euangelista indicat, quò hac etiam in parte Prophetarum oraculis rerum euentus responderet: Nam inter cæteros ritus, quibus in Exodo Moses docet celebrandum esse Phase, nominatim & illud præscripserat, Agnum illum sic mactari debere,ne quod eius os confringeretur. Hac nimirum nota declarabat, IESVM esse uerum illud Phase,cuius imaginem Agnus ille Mosâicus præferebat: hic enim non per membrorum diffractionem,sed ultrò,& quando uolebat,mori debuit,ut & sua morte morti morsus 1.Cor.15.

Sicut Pater à creatione quieuit, sic Christus à redemptionis quieuit opere. Quiescet etiã Spiritus sanctus consummato hoc seculo, sanctificatis credentibus, & in æternam translatis requiem.

Ephes.5. esset, mortuaq; uiuificata ex suis regeneraret * ossibus,
Matt.5. & iustitiam esurientes cœlesti suæ carnis esca reficeret.
Iohan.6.

† *In Lege occidebantur hostiæ, & tum primùm in sacrificium assumptæ sunt, cum sanguis esset effusus. Deinde uetus Testamentum non nisi sanguinis aspersione confirmabatur. Sic Christus hostia pro peccatis factus, testatus est primùm se uerè pro nobis mortuum esse in extrema hac sanguinis effusione. Deinde confirmauit nouum Testamentum proprio sanguine.*

* *Bernhardus: Scio quòd merita mea non mihi sufficiunt, quod mihi deest audacter usurpo ex uisceribus Christi, quæ misericordia effluunt, nec desunt foramina per quæ defluant: patet enim arcanum cordis per foramina cordis, patent uiscera misericordiæ Dei nostri, quibus uisitauit nos Oriens ex alto.*

CAP. XVI.

קבי חרש׃	גן בערן
Καινὸν μνημεῖον.	Κῆπος τῆς ἀναστάσεως.
Monumentũ nouũ.	Hortus resurrectionis.



Clauditur hoc tumulo Christi uenerabile corpus,
Pro nobis postquam funera acerba tulit:
Tres etiam noctes tenet incorrupta sepulchrum
Membra: dehinc uerus morte resurgit homo.

HISTO-

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



POSTQVAM iam aduesperauit (cum Iesus in cruce expirasset) uenit diues honestusq; Senator ab Arimathea, Iudæorum oppido, nomine Iosephus, qui & ipse Dei regnum expectabat, ac occultus Iesu Discipulus erat, & empto mundo linteo Pilatum ausus aggredi, rogauit: ut Iesu corpus auferre sibi (de cruce) liceret: id quod Pilatus, à Centurione eum (uerè) mortuum esse edoctus, permisit. Accessit (interim funeralis adiutor officij) & Nicodemus, (is qui prius ad IESVM noctu uenerat) ferens myrrhæ & aloes misturam, ad libras centum. Hi IESV corpus è cruce demissum, ceperunt, & linteis cum aromatis obligârunt, ut Iudæis sepeliendi mos est. Erat autem in eo loco, ubi Iesus crucifixus fuit, hortus, & in horto monumentũ nouum, quo nemo adhuc positus fuerat, sed id Iosephus (sibijpsi) ex petra exciderat. Illic igitur, propter Iudæorum Parasceuen, quoniam propè erat monumentum, posuêre Iesum, aduolutoq́; ad monumenti ostium ingenti saxo discesserunt, cum quidem illic essent Maria Magdalena, & Maria Iosis mater, & item aliæ mulieres, è regione sepulchri sedentes, & ubinam Iesus poneretur spectantes, Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Iohan. 19. Hìc perficiuntur Scripturæ quæ sic habent: Esa. 53. Ex uiuorum terra succisus est ob mei populi peccatum, eiq; mortuo sepulchrum (non in Dauidica Vrbe, sed in loco Golgotha) cum impijs, & apud diuitem (Iosephum) est datum, cum tamen nec scelus fecerit, nec dolum habuerit in ore. Threnor. 3. Oppresserunt in lacu meam uitam, mihique lapidem imposuerunt. Psal. 88. Factus sum ut homo inualidus inter mortuos liber, ut uulnerati in sepulchro dormientes. Genes. 49.

Ioseph⁹ ab Arimathea & Nicodemus Christum sepeliũt.

Hortus in quo monumentum nouum.

Superatis peccato & inferno, quieuit corpus Christi, iã nõ ultra obnoxium paßioni.

Vide Cyprianum Explicat. Symboli.

Hier. Oppresserunt in lacu uitã Christi, quando eius caro peruenit usq; ad mortis occubitũ, cui superimposuerũt lapidem, eumque signarunt, custodibus adhibitis.

Accubuisti humi ceu Leo, quis te excitabit? Quid uerò CHRISTI in horto & nouo monumento sepultura designârit, Cyrillus in Ioannem his explicat uerbis: Monumentum Saluatoris in horto erat, & ipsum nouum: quæ res significat recursum nobis ad Paradisum morte CHRISTI esse præparatum: Præcursor enim ipse pro nobis ingressus est. Monumenti autem nouitas, nouum atque inauditum de morte ad uitam reditum significat: Nam & ipsa mors in morte CHRISTI innouata, ad somni conditionem est mutata, Viuimus enim Deo, & ipsa nostra corpora reuictura sunt, secundum Scripturas: unde mortui, dormientes iam ab omnibus, & maximè à Paulo, appellantur: Nam olim quidem etiam in eos qui non peccârunt in similitudine præuaricationis Adæ (cuius imaginem induti, omnes maledictioni subijciebantur) mors apertissimè regnabat: Sed postquam secundus Adam effulsit, & morte sua humani generis uitam redemit, & imperio interitus destructo surrexit: reformati sumus, nouæ cuidam morti, non sempiternæ, sed somno simillimæ subiecti, ad similitudinem scilicet CHRISTI, qui hanc nobis uitam præparauit. Si quis autem ideò nouum dici monumentum credit, quia nemo ante CHRISTVM ibi positus fuerat: id non modò non renuimus, uerumetiam ualdè approbamus: Nouum enim fuit monumẽtum, nemoque ante CHRISTVM positus, ne alius è mortuis surrexisse crederetur.

Heb. 6. *Esa. 26.* *1. Theß. 4.* *Rom. 5.*

Sepulchrũ Iesu custoditur.

Tres dies Christi, Parasceue, id est, passio; Sabbathũ, id est, requies: Dies Dominicus, id est, resurrectio & ingressus in gloriam.

Postero die, qui est post Parasceuen, conuenerunt Pontifices & Pharisæi ad Pilatum, eiq; dicunt, Domine recordamur, quòd seductor iste, cũ adhuc uiueret, dixit: Post tres dies resurgã, Ergo iube muniri sepulchrũ usq; ad diem tertium, ne forte eius Discipuli eum noctu furatum eant, dicantq; populo: Ex mortuis surrexit: atque

(ita)

(ita)poſterior erit error priore deterior. Quibus Pilatus ait:Habetis cuſtodiam,ite(id) munitum,ſicut ſcitis. Ita illi ſepulchrum munitũ abiuerunt,& lapidem obſignârunt,adhibita quoque cuſtodia,Matt.27. Vbi Hieronymus:Non ſuffecerat Principibus Sacerdotũ &Scribis ac Phariſæis crucifixiſſe DOMINVM Saluatorem, niſi ſepulchrũ cuſtodirent,cohortem acciperent,ſignarent lapidem, &,quantum in illis eſt, manum opponerent reſurgenti, ut diligentia eorum noſtræ fidei proficeret.Hilarius:Metus furandi corporis,& ſepulchri cuſtodia atque obſignatio, ſtultitiæ atque infidelitatis teſtimonium eſt: quòd ſignare eius ſepulchrũ uoluerunt, cuius præcepto conſpexiſſent de ſepulchro mortuum ſuſcitatum.

Habebant in feſtis militũ cuſtodiã, ad quã eos Pilatus mittit.

Tertio deinde die, qui primus poſt Sabbathũ erat, CHRISTVS ſua ſuiq; Patris excitatus uirtute, è ſepulchro ſurrexit: Marc.15. IESVS manè reſurrexit primo Sabbathi die.1.Corinth 15.In primis enim uobis tradidi (id) quod & (ipſe) acceperam, CHRISTVM mortuũ eſſe propter peccata noſtra,ſecundum Scripturas,& ſepultum eſſe, & tertio die reſurrexiſſe ſecundũ Scripturas. Lactant.lib.4.Inſtit.cap.19.CHRISTVS tertio die ante lucem,terræmotu facto,integer è ſepulchro ac uiuus egreſſus eſt. Vaticinia quibus id fore prædictum fuerat;hæc ſunt: Pſal.15. DOMINVM mihi ſemper habeo propoſitum,qui mihi à dextera adeſt, ne commouear. Idcircò cor meum lætatur,meaq; lingua exultat, quin & ipſa caro mea in ſpe requieſcet, quum tu animã meam non relinques in inferno,neq; permittes ut Sanctus tuus corruptionẽ uideat. Oſtendiſti mihi uitę uias, me cum tua facie iucunditate replebis. Oſeæ 6.DOMINVS uiuificabit nos (cum CHRISTO) poſt biduũ,die tertio nos ſuſcitabit,& coram eo uiuemus.Luc.18.Ieſus

Chriſtus & moriens & reſurgẽs terram mouit, dũ iudicaturus adueniet, iterum hoc eſt, tertio, eã mouebit, Heb.12.

aſſumpſit duodecim,& dixit eis:En aſcendimus Ieroſo lyma, & perficientur planè omnia quæ de Filio hominis per Prophetas ſcripta ſunt: Tradetur enim Gentibus,& illudetur,& cõtumelijs afficietur, & uerberatus occidetur,& tertio die reſurget.

Mulieres uiſitãt ſepulchrũ.

Primo igitur illo poſt Sabbathum die, ueniunt ad monumentum,orto iam Sole,Maria Magdalena,&Maria Iacobi mater,& Salome:tum ut IESV corpus ungerent,tum quid de eo ageretur ſpectarent,Ac dum inter ſeſe querunt, quis ſibi ſaxum auolueret ab oſtio monumenti,erat enim permagnum, ſubitò ingens terræmotus oritur, in quo Angelus DOMINI de cœlo degreſſus,uenit auolutũ lapidem, & ſuper eo ſedit,cuius metu expauefacti cuſtodes,penè exanimati ſunt.Is angelus ad mulieres ſic dicit: Ne timete uos: Scio uos IESVM quærere Nazarenum crucifixum,Non eſt hìc,ſurrexit enim quemadmodũ ipſe prædixerat, inquiens: Oportet Filium hominis in hominum peccatorum manus tradi,& crucifigi,& tertio die reſurgere. Adeſte,uidete locum (uacuũ)ubi poſitus fuit DOMINVS: accitò ite nunciatum eius Diſcipulis,& Petro,eum à mortuis ſurrexiſſe.Igitur illæ DOMINI uerborũ recordatæ,à monumento regreſſæ ſunt,& hæc Vndecim omnibusq́ue cæteris (Diſcipulis)nunciatum cucurrerunt. Tum & quidam cuſtodum uenerunt in Vrbem,& Pontificibus omnia quæ facta erant renunciârunt, quibus illi ſatis grandem pecuniam dederunt,ut dicerent: IESV Diſcipuli uenerunt noctu,&eum nobis dormientibus ſurripuerunt,Matth.28.Mar.16.Luc.24. Vbi Beda: Angelus nõ reuoluit lapidem, ut DOMINO egreſſuro ianuam panderet, ſed ut eius egreſſus iam facti hominibus præſtaret indicium. Et Hieronymus: Angelus ueniens,cuſtos ſepulchri Dominici, non milites perterritos, ſed mulie-

Angelus Domini reſurrectionem prædicat.

Patres hic illud Ieremiæ impleri dicunt:Audite mulieres uerbũ Domini, & docete filias ueſtras lamẽtum.

mulieres, cõsolatur: Nolite timere uos, Illi, dicere uult, timeant, in his perseueret pauor, in quibus permanet incredulitas: Cæterùm uos, quia IESVM quæritis crucifixum, audite quòd resurrexerit, & promissa perfecerit. Mulieribus porrò Angelus dicit, ut Apostolis DOMINVM resurrexisse nuncient, quia per mulierẽ mors annunciata est, per mulieres uita resurgens prædicari debuit. Venisse & custodes nunciatum Principibus dicuntur, quæ facta conspexerint. Sed hi cum deberent conuerti ad pœnitentiam, & IESVM quærere resurgentem, perseuerant in malitia, & pecuniam, quæ ad usus Templi data fuerat, uertunt in redemptionem mendacij.

Auditis igitur Mulierum uerbis, quodq́ue Magdalena DOMINVM ablatum nunciaret, egressus Petrus, & alter Discipulus, quem IESVS amabat, uenerunt ad monumentum. Et currentibus simul ambobus, alter Discipulus Petro citius præcucurrit, & introspiciens monumentum, uidit (quidem) posita lintea, non (tamen) introiuit. At Petrus eum sequens, ingressus est, & uidit posita (ordine) lintea, & sudarium (quod super IESV capite fuerat) non cum linteis positum, sed seorsim in uno loco inuolutum. Tunc ergo introiuit etiam alter discipulus, uiditq́ue, & credidit: Nondum enim (penitus) Scripturam intelligebant (quæ certò prædixerat) oportere eum ex mortuis resurgere. Igitur rursus ad se (domum, unde uenerant) abierunt, Iohannis 20. Vbi Theophylactus: Vide hìc quàm alienus à fastu sit Euangelista, quòmodo Petri in scrutando diligentiam testetur: Nam cum ipse præuenisset, & uidisset iacentia lintea, non ultrà curiose quærit, sed illum expectat. Petrus autem feruentior introgressus,

Petrus & Iohannes currũt ad sepulchrũ.

omnia diligenter explorauit: tunc hic post illum ingressus, uidit sepulchralia separatim posita, ac credidit: non quòd surrexisset DOMINVS, sed quòd furtò ablatus esset: Credidit enim Mariæ dicenti: *S*ustulerunt DOMINVM. Quare autem credidit Mariæ, & non cogitauit eum surrexisse? Nondum enim sciuerunt Scripturam, eum oportere à mortuis resurgere, & propterea credẽtes Mariæ, suspicantur furtum & ablationem. Igitur hi quidem ad seipsos abierunt, nihil ultra curiosius inquirentes.

Maria ad monumentũ uidit Iesum.

Maria ad monumentum (regressa ibi) astabat, plorans extra, & dum inter plorandum se conuertit in tergum, uidet astantem IESVM, nesciens IESVM esse. Et IESVS dicit ei: Mulier quid ploras? quem quæris? Illa Hortulanum (cultorem & custodem eius loci in quo fuit monumentum) esse existimans, dicit ei: Domine, si tu (meum Dominum) abstulisti, dic mihi, ubi eum posueris, ut ego eũ auferam (Et) IESVS (ei se manifestãs) dicit: Maria (Hic) illa (agnoscens uocantẽ) conuersa ait: Rabboni, quod (*S*yris) dicitur Magister (Et) IESVS inquit ei: Ne me tange, nondum enim ascendi ad Patrem meum: sed uade ad fratres meos, eisq́; (me tibi hæc uerba fecisse) nunciato. Ego ascendo ad Patrem meum & Patrem uestrum, & Deum meum & Deum uestrum. Venit Magdalena nunciatũ Discipulis, sese uidisse DOMINVM (eumq́;) illa sibi dixisse, Iohan. 20. Hieron. ad Principiam: *S*acerdotes & Pharisæi crucifigunt Filium Dei, & Maria Magdalena plorat ad crucem, unguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Apostolos, repertũ nunciat: Illi dubitant, ista confidit. Verè Magdalena, id est, πυργίτης, uerè turris candoris & Libani, quæ prospicit faciem Damasci, sanguinem uidelicet *S*aluatoris, ad sacci pœnitentiã prouocantem. Quòd uerò Dominus Mariæ,

Aug. Iesus uerus erat Hortulanus, qui in Mariæ corde tanquã in suo horto granũ sinapis seminauit.

Aug. Quod Christus Mariæ dixit: Noli me tangere, eo tactũ spiritualẽ significare uoluit, id est, accessũ fidei se requirere, qua creditur excelsus & æqualis esse cum Patre. Epist. 59. & 222. Itẽ de Trin. lib. 1. cap. 9. lib. 4. cap. 3. Et in Iohannẽ.

Magdalenæ nominis notio.

riæ, se quidem iam agnoscenti, sed in externo hærenti contactu, dixit: Noli me tangere: eo mulierem à carnali ad spiritualẽ uoluit euehere cognitionẽ, ut glorificatũ suum corpus deinceps ad Patris dexterã fidei attingere disceret manibus, qui contactus iustitiã, uitam & æternam salutẽ allaturus esset. Ab alijs uerò, suam necdum percipientibus resurrectionẽ, se tangi permisit, ne spectrum esse, sed uero apparere corpore crederetur. At cur mulier ad Apostolos, eis DOMINI nunciatura resurrectionem, amandata sit, Ambros. Cõment. in Luc. hoc indicat modo: Sicut in principio mulier uiro auctor culpæ fuit, uir executor erroris: ita nunc quæ mortem prior gustauerat, resurrectionem prior uidit, culpæ ordine remedio prior. Et ne perpetui reatus apud uiros opprobriũ sustineret, quæ culpam uiro nunciârat, nunciat & gratiam: ueterisq; lapsus compensat erumnam, resurrectionis indicio. Per os mulieris mors ante processerat, per os mulieris uita euangelizatur. Sed quia constantia ad prædicandum inferior sexus, ad exequendum infirmior, uiris porrò euangelizãdi mandatur officium: nam sicut mulierum per IESVM non solũ culpa soluitur, sed etiam multiplicatur gratia, ut pluribus suadeat quæ unum ante deceperat: ita & Vir, qui temerè antè crediderat, fœneratum munus recuperare debuit, ut qui sibi ipse fuerat ad credendũ lubricus, fieret alijs ad prædicandum idoneus. Similiter Gregor. Ecce humani, inquit, generis culpa ibi abscõditur unde processit: quia enim in Paradiso Mulier uiro propinauit mortem, à sepulchro Mulier uiris annunciauit uitam, & dicta sui uiuificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis uerba narrauerat.

Mulier Domini euangelizat resurrectionẽ.

CAP. XVII.

עמאוס.

Κώμη ᾗ ὄνομα Ἐμαοῦς.

Castellum uetus hic tibi designatur Emaus,
Millia quod Solyma distat ab Vrbe duo:
Hìc geminis se Discipulis manifestat IESVS,
Prodiret gelida cum rediuiuus humo.

HISTORIA.

Emauntis uici situs.



MAVS uicus distabat à Ierosolyma stadia sexaginta, positus ad uiam qua Ioppen descēdebatur, Luc.24.cap. Hieron. de Locis Heb.

Emauntis notio & mysterium.

Emaus ad uerbum est, abijciens populus: Talis certè populus Iudæi erant, DOMINVM atque Mesiam suum, & ante ipsius in carnem aduentum, & cum iam præsto esset, nunquam non abijcientes atque contemnentes: hinc ipse DOMINVS de ijs 1.Reg.8. dixisse fertur: Populus iste me à sui rectione depellit. Et 19. apud Lucam cap. eosdē ita loquentes introducit: Nolumus hunc in nos regnare.

Iudas Maccabæus.

Apud Emauntem Iudas Maccabæus Antiochi exercitum fudit, 1.Maccab.3.4. Ioseph. Antiq. lib.12. cap.11. Hieronymus in 8. Danielis cap.

Hier. ad Eustoc. Apud Emaū Dominus in fractione panis cognitus, Cleophæ domum in Ecclesiā dedicauit.

CHRISTVS ipso suę resurrectionis die cum duobus suorum Discipulorum, peregrini assumpta forma, Emauntem ingressus est, atq; inter accumbendū cum eis, panem sumpsit, eumq; gratijs actis fregit, & eis præbuit: Sed ut illi, apertis eorum oculis, eum agnouerunt, ipse ex eorum conspectu euanuit, Luc.24. Mar.16.

In tri-

In triuio foris hunc uicũ aquas calidas, è fonte, Callirhoe nomine, ad uarias diſpellendas ægritudines inprimis efficaces, prorupiſſe, auctores ſunt Ioſephus Antiq.18.cap.3. Sozo. Hiſt.lib.5:cap.21. Niceph.lib.10.cap.31. Solinus in Polyhiſtore. Callirhoe fons.

Romani deuaſtata Ieroſolyma Emauntẽ ædificijs exornârunt, & ex euentu uictoriæ portæ Nicopolin nuncupauêre, Tripart.lib.6.cap.42. Nicep.lib.10.cap.31. Plinius lib.5. Hieron.in Danielem. Nicopolis.

DE LOCIS AD SEPTENTRIONEM POSITIS.

CAP. XVIII.

ספא.

ὁ σκοπός.

Specula.

Hunc Speculã dixêre locum, quo machina Templi
Vrbs & præluſtris conſpicienda fuit.
Hìc tibi Rex Macedo, turba comitante, Sacerdos
Maximus occurrens, aſpera corda mouet.

HISTORIA.



IN Septentrionali parte humilior locus eſt, interuallo ſeptem ſtadiorũ ab Vrbe diſcedens, quem Saphan, id eſt, Speculã uocabant, quòd inde & Vrbs & clara Templi magnitudo conſpici poſſet. Saphæ deſcriptio.

Hìc Alexander Magnus prouolutus ad Iaddi Ponti-

ficis genua, maximum ueri Dei nomen adorauit: quam hiſtoriam Ioſephus Antiq. lib.11. cap.8. Gorion lib.2. Iohannes Monachus in uita Alexandri, & Petrus Galatinus lib.1. in hanc deſcribunt ſententiã: Cum Iaddus Pontifex Alexandri Magni amicitiã repudiaſſet, nec ei contra Darium auxilia mittere uellet, iratus Alexander minitatus eſt ſeſe in Pontificem exercitum moturũ: & expugnatis paulò poſt Tyro atq; Gaza, Ieroſolymã aſcendere contendit. Hoc audito Pontifex Iaddus in anguſtia erat atque metu, ſolicitus quónam pacto Macedonibus obuiam iret, irato Rege propter ſuperiorem contumaciam. Itaque indictis populo ſupplicationibus, & cum eo immolans Deo uictimas, orat ut Gentem tueri, & ab impendentib. periculis liberare uelit. Deinde dormientem poſt ſacrificium monuit in ſomnis Deus, ut bono eſſet animo, utq; coronata Vrbe portas aperirent, & alij in albis ueſtibus, ipſe cum Sacerdotibus, ornatus ad præſcriptum Legis, obuiam irent, nihil mali ſibi metuentes, prouidente Deo. Igitur experrectus è ſomno, magnopere gauiſus eſt, & indicato cunctis hoc oraculo, factisq; omnibus, quæ ei in ſomnis mandata fuerant, Regis aduentum præſtolabatur: Atq; ubi eum non procul abeſſe ab Vrbe intellexit, prodit unà cũ Sacerdotibus & ciuili turba, uenerabili & diuerſo ab alijs Gentib. occurſu in locum nomine Sapha, hoc eſt ſpecula, quòd ibi & Vrbs & Templum in proſpectu eſſet. Cumq; Phœnices & Chaldæi, qui Regem ſequebantur, fore putarent, ut Rex præ iracundia Vrbem eis diripiendam, & Pontificem excarnificandum addiceret, planè contrariũ accidit: Alexander enim procul adhuc conſpicatus multitudinem in albis ueſtibus, & Sacerdotes præcedentes in byſſenis tunicis, & Pontificem in hyacinthina ſtola auro diſtincta, & in capite geſtantem Tiaram cum præfixa aurea lamina, in qua Dei nomen inſcriptum erat: ſolus ac-

Alexander Magnus Ieroſolyma contendit.

In loco Sapha Iaddus cũ omni populo Alexandro occurrit.

lus accesſit,& nomẽ illud adorauit,priorq; Pontificem ſalutauit: & Iudæi omnes una uoce Alexandrum ſalutârunt,atq; circũſteterunt. Quo facto, Reges Syriæ reliquiq; obſtupuerunt,& Regem mentis impotem eſſe ſuſpicati ſunt. Et Parmenio ſolus eum aggreſſus, quęrit ex eo, qui factum ſit, ut omnibus eum adorantibus, ipſe Iudæorum Pontificẽ adorârit? Cui ille: Non hunc, inquit, adoraui, ſed Deum, cuius ipſe ſummo Sacerdotio decoratus eſt: Hunc enim ſecundum quietem uidi in hoc habitu, cũ eſſem in Dio in Macedonia, ac deliberantẽ quónam pacto potiri poſſem Aſia, hortatus eſt ne cũctarer, ſed cõfidenter traijcerem: ſeſe enim exercitui meo pręiturum, mihiq; Perſarum imperium traditurum. Itaq; cum alium nullum in tali ueſte uiderim,& nunc conſpicatus hunc, & illius in quiete uiſi & cohortationis recordatus ſum, puto me diuino miſſu facta expeditione, Dario ſuperiorem fore, & Perſarum poteſtatem aboliturum, atq; omnia quæ mihi ſunt in animo ſucceſſura. Hæc locutus, dataq; Pontifici dextera, Sacerdotib. eum curſu comitantibus in Vrbẽ uenit, & in Templũ aſcendit, ac Deo ad Sacerdotis pręſcriptũ ſacrificauit, ipſumque Pontificem magnificè honorauit. Ac oſtenſo ei Danielis libro, in quo fore ſignificabatur, ut Græcorũ quidam Perſarum imperium aboleret, ipſe ſe eum eſſe qui ſignificaretur exiſtimans, lętatus, Iudęos quæ uelint dona poſtulare iubet. Et Pontificẽ petẽte, ut liceret patrijs uti legibus, utq; ſeptimus annus immunis eſſet, conceſſit omnia. Atque his apud Ieroſolyma actis, duxit inde in proximas Vrbes exercitum.

Alexander apud Saphã Dei nomẽ adorat.

Alexander in Templo ſacrificat.

Danielis de Alexandro prophetia.

Ceſtius poſtea Vrbem oppugnaturus in Scopo caſtra poſuit, Ioſeph de Bel. lib. 2. cap. 24. *Ceſtius.*

Hìc quoq; Titus primam habuit ſtationem, De Bello lib. 6. cap. 3. 4. *Titus.*

CAP. XIX.

הברכה נחשים.

Κολυμβήθρα τῶν ὀφεῶν.

Lacus Serpentium.

Hoc ſtagnum fuerat plenum ſerpentibus atris,
Cuius & Hebræum Bethara nomen erat:
Noſtra uetus Serpens infecit corda ueneno,
Sed medica CHRISTVS uulnera ſanat ope.

HISTORIA.



DE Serpentiũ ſtagno hęc Ioſephus lib.6.de Bell. cap.4.refert: Titus caſtra propius Ciuitatem transferre cupiens, de Scopo contra excurſus quidẽ lectos equites ac pedites, quos ſatis eſſe arbitrabatur, poſuit: aliũ uerò exercitum iuſsit totum, quod erat, uſq; ad muros ſpacium complanare. Cunctis igitur macerijs ac ſepibus dirutis, quibus hortos ac prędia incolæ præmunierant, omniq́ue oppoſita quamuis frugifera ſylua exciſa, repletũ eſt quicquid erat cauum & uallib. impeditũ: ſaxorum aũt eminentiſsimis ferro truncatis, humiliorẽ totum illum tractum à Scopo uſq; ad Herodis monumenta fecerunt, ſerpentium ſtagnum continentia, quod olim Bethara uocabatur.

Bethara.

CAP.

CAP. XX.

אוריאן.

Ηρώδου μνημεῖον.

Herodium.

Hic ſunt Herodis Magni monumenta Tyranni,
Marmore candenti quæ nituiſſe ferunt.

HISTORIA.



IN eodem tractu Herodium caſtellum & Herodis monumentum collocantur, Ioſephus de Bello lib.1.cap.16.& Antiq.lib.15.cap.12.Herodes in laudem cognatorum atque amicorum multis extructis ædificijs, ne ſui quidẽ fuit immemor:ſed caſtellum contra mõtem Arabici lateris, propugnaculo permunitum de ſuo nomine Herodium uocauit: tumulumq; in mammæ formam manufactum, qui ſtadiorum ſexaginta ſpacio ab Hieroſolymis aberat, ſimiliter nominatum, munificẽtius accurauit: Etenim rotundis quidem turribus cacumen eius amplexus eſt. Ambitum autem compleuit ędibus regijs liberaliſsimè exornatis: ut non ſolum interna membrorũ facies clarior eſſet, uerumetiam foris parietes ac maceriæ tectaque largis infuſa diuitijs elucerent: Aquam enim plurimam ingenti ſumptu ex longo interuallo induxit, perque ducentos gradus marmoris candidiſsimi fabricauit aſcenſum:Erat enim totus collis manufactus, & uehementer excelſus. Quin & aliam circa radices eius regiam, ac diuerſoria, quæ & ſarcinas & amicos recipere poſſent, ædificauit: ut pro rerum quidem omnium copia Ciuitas eſſe uideretur caſtellum, circumſcriptione uerò domus regalis. *Herodij deſcriptio.*

Herodis funus & sepultura.

Huc Archelaus Herodem patrem suum sepeliri curauit. Ioseph. Antiq.17.cap.10. Mortuo Herode, Archelaus filius curauit, ut exequię ei fierent quàm splendidissimæ, & omnem ornatum protulit, ut in pompa comitaretur mortuum. Ferebatur autem in lectica aurea, distincta uarijs gemmis preciosis, & instrata purpura: corpus quoq; amictum erat purpura, imposito capiti diademate, & desuper corona aurea, sceptroque in manu dextera: lecticam stipabant filij, & cognatorum numerus. Hos sequebantur milites, distributi per nationũ genera: primùm Satellites, deinde Thraces, post hos Germani, & deinceps Galli, omnes instructi uelut ad prælium: reliqua deinde exercitus multitudo armata sub suis Ducibus ac Centurionibus: hos sequebantur quingenti famuli, ferentes aromata. Ea pompa procesit Herodium usque per octo stadia, ubi, quemadmodum ante mandauerat, sepultus est.

CAP. XXI.

Μνημεῖον τῆς Ἑλένης.

Monumentum Helenæ Reginæ.

Hac in parte fuit Helenes quoq; nobile marmor,
Quod Solyma stadijs distat ab urbe tribus.

HISTORIA.



AD Boream, tertio ab Vrbe stadio, fuit monumentum Helenæ Adiabenorum Reginæ, & eiusdem filij Izatæ. Ioseph. Antiq. lib.20.cap.2. Mortuis Helena Adiabenorum regina, & eius filio Izata, Monabazus eorũ ossa misit Ierosolyma, condenda in extructis ab ipsa Helena pyramidibus tribus numero, tertio ab urbe Ierosolymitano stadio dissitis.

Helena. Izates.

Narrat

Narrat Eusebius 2. Eccle. Hist. lib. cap. 12. suo etiamnum tempore illustres Helenæ sepulchri columnas in Aeliæ Suburbijs extitisse.

CAP. XXII.

מפלעה הלאשוה·

Ερεβίνθων οἶκος.

Erebinthonicus uicus.

Hic Erebinthonicus memoratur nomine uicus,
Iudæi falsos quo coluere Deos.

HISTORIA.



ERSVS Septentrionem quoque Erebinthonicus uicus constitit, Iosephus de Bello lib. 6. cap. 13. Titus cœptum à castris Assyriorum ubi ipse tendebat, ad inferiorem Cœnopolim murum duxit, hinc per Cedronem ad Elæon montem reuertens à meridie montem complectitur, usque ad Peristereonem saxum, eiq; proximum collem, ac inde ad Occidentem flexo ædificio ad uallem fontis descendit. Hinc subiens ad Anani Pontificis monumentũ circundato monte, ubi Pompeius castra posuerat, ad Septentrionalem redit regionem. Et cum processisset ad uicũ, cui nomen est Erebinthonicus, post illum Herodis monumentum ab Oriente clausum castris suis coniunxit unde cœperat. Murus autem hic uno minus quadraginta stadiorum erat.

DE LOCIS ORIENTALIBVS.

CAP. XXIII.

הר הזתים.

Ὄρος τῶν ἐλαιῶν.

Mons Oliuarum.



Christus in hoc duxit non rarò monte quietem,
Discipulis dicens multa futura suis:
Rursus ab hoc etiam nitidum cõscendit Olympũ,
Patris ubi æterni regna beata tenet.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Montis Oliuarum situs.



MONS Oliueti seu Oliuarũ, ab oliuis in eo consitis sic appellatur: Zach.14. Stabunt eius pedes super Olíueti monte, q est in Ierosolymæ conspectu ab Oriente. Actor.1. Tunc illi Ierosoly-

ſolymam reuerſi ſunt à monte, qui Oliueti uocatur, qui Ieroſolyma Sabbathi iter abeſt. Ioſeph. Antiq. 20. cap. 6. Mons Oliueti è regione Vrbis ad quintũ abeſt ſtadium. Idem de Bello lib. 6. cap. 3. Mons, qui appellatur Elæon, contra Ciuitatẽ ab Oriente ſitus eſt, altaq; interiacente ualle diſcernitur, cui nomen eſt Cedron.

Sabbathi iter duo millia paſſuum continebat.

Sedentem (aliquando Ieſum) in monte Oliuarum è regione Templi, interrogârunt ſeorſim Petrus, & Iacobus, & Iohannes, & Andreas (his uerbis) Dic nobis quando ea futura ſint (quæ de Templi & Vrbis deſtructione dudũ pronunciaſti) & quod ſignum ſit aduentus tui, cõſummationiſq; ſeculi? (Quibus) Ieſus (ita) reſpondit: Videte ne quis uos ſeducat: multi enim uenient in nomine meo (ſic) dicẽtes: Ego ſum CHRISTVS, multoſq; ſeducent: Nam bella bellorumq; rumores audietis, uidete ne perturbemini: oportet enim omnia fieri, ſed nondum finis erit: conſurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnũ, eruntq; peſtes, & fames & terræmotus. Ea erunt dolorũ principia, ſed ante hæc omnia inijcient uobis manus, uoſq; perſequentur & occident, & cunctis eritis Gentibus inuiſi propter nomen meum. Ac tum quidem offendent multi, & alius alium prodent atq; oderint. Surgentq; multi falſi prophetæ, qui multos ſeducent. Et quia iniquitas abundabit, refrigeſcet multorum caritas. Qui autem ad finem perſeuerauerit, is ſeruabitur. Prædicabitur (autem) hoc regni Euangelium in toto orbe. Porrò cum deſolationis abominationẽ, quæ à Daniele Propheta prędicta eſt, conſiſtentem uidebitis in loco ſancto, Ieroſolymãq; exercitibus circundatam, tunc ſcitote eius inſtare deſolationẽ: tum qui erunt in Iudęa, fugiant in mõtes, & qui (erunt) in eius medio, diſcedant: & qui in agris erunt, ne intrent in eam: nam ultionis dies erunt illi, ut impleantur hæc

Ieſus ſedet in monte Oliuarum.

Signa excidiũ Iudæorũ præcedentia.

Dan. 12.

Deſtructio Ieroſolymæ & Iudæorum.

omnia quæ ſcripta ſunt. Væ uterũ ferentibus & lactentibus in illis diebus: Orate uerò ut nõ fiat ueſtra fuga in hyeme nec in Sabbatho: erit enim in (hac) terra magna afflictio, & in hunc populum ira (ſeuietur) ut gladiorũ acie cadant, & captiui in omnes Gentes abducãtur, calceturq; à Gentibus Ieroſolyma, donec (exterarum) nationũ tempora cõpleantur. Sed (extremis) illis diebus poſt afflictionem illam erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, & in terris (tantus) Gentium angor, mari, fluctibusq́ue reſonantibus (ut) homines præ eorum timore, & expectatione, quæ orbi ſuperuenient, extabeſcant: nam cœlorum uirtutes concutientur. Ac tum apparebit in cœlo ſignum Filij hominis, eumq́ue uidebunt uenientem in nubibus cum multa uirtute atq; gloria, qui ſuos Angelos mittet cũ tuba, qui eius electos à quatuor uentis ab extremo cœlorum ad alterum extremũ congregabunt. Cæterùm de illa die atque hora nullus ſcit, ne cœleſtes quidem Angeli, ſed meus Pater ſolus. Cauete igitur uobis, uigilate & orate: neſcitis enim quando tempus futurum ſit. Quæ autem uobis dico, omnibus dico, Matt.24. Mar.13. Luc.21. Quæ adhuc Ieſum Diſcipulis ad tres eorum poſitas reſpondentem quæſtiones audiuimus, nõ allegoricè dicta, ſed ueras rerum futurarum præſenſiones eſſe putabimus: nam ut illa de Templi, Vrbisq́ue & totius Iudææ uaſtatione ipſo rerũ euentu, prout hìc prædicitur, ſunt comprobata, id Hiſtoricis atteſtantibus: ſic & ſigna, mundi interitum denunciantia, iam non obſcurè apparent, nec Chriſtus tandem, ubi extrema dies aderit, emanebit, nos modò caueamus, ne fortè obruantur animi noſtri crapula, & ebrietate, & huius uitę curis, atque ſic nec opinantes dicta dies opprimat: adueniet enim tanquã decipula omnibus in totius terræ ſolo degentibus, Luc.21.

Ieroſolyma obſeſſa eſt in feſto Paſchatis, hoc eſt, magno Sabbatho.

Signa conſummationis ſeculi.

De extrema die.

Chriſtus identidem ad Olivueti montem cõmeare ſolitus

ſolitus eſt:hinc illa, Iohan.8. IESVS in Oliuarum montem diſceſsit. Diluculo autem rurſus uenit in Templũ, omniq; ad eum ueniente populo,ſedet & eos docet. Lucę 19. Interdiu docebat in Templo,in noctes autem exibat,& in monte, qui uocatur Oliuarum, diuerſabatur. Cap.22. Tum egreſſus iuit(ut erat ſolitus) in Oliuarum montem,eumq; ſecuti ſunt Diſcipuli.

Ab hoc etiam monte CHRISTVS in cœlũ ad Patrem aſcendiſſe fertur: Luc.24. Eduxit ſuos Diſcipulos foras,Bethaniam uſque, ſublatisq; manibus eis benedixit,& inter benedicendum receſsit ab eis, & in cœlum ſublatus eſt. Atq; illi eo adorato,Ieroſolymam cum magno gaudio redierunt. Et Actor.1. IESVS congregando Diſcipulos in eundem locum,præcepit eis,ne Ieroſolymis diſcederẽt,ſed Patris promiſſum expectarẽt, quod ex me audiuiſtis inquit:Iohannes quidem aqua baptizauit,ſed uos ſancto Spiritu baptizabimini poſt dies hoſce non multos,mihique teſtes eritis(&)Ieroſolymæ,& in tota Iudæa,ac Samaria(denique)ad extrema uſque terræ. Atque hæc locutus eis uidentibus ſurſum ſublatus eſt,eumque nubes ſubduxit ab eorum oculis. Ac dum eo abeunte illi in cœlum oculos defigunt,ecce duo Viri eis in ueſtibus albis aſtiterunt, qui (ita) dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis in cœlum intuentes? Hic IESVS,qui à uobis in cœlum (ad dexteram Patris) ſublatus eſt, ſic (cum nube extremo die)ueniet,quemadmodum uidiſtis eum in cœlum abeuntem. Tum(illi) Ieroſolymam redierunt à monte, qui Olíueti uocatur, qui Ieroſolyma Sabbathi uiam abeſt. *Sic* perfectæ ſunt & uiſiones & prophetiæ,hanc CHRISTI aſcenſionẽ ſequentibus adumbrantes uerbis:Daniel.7. Spectabam in nocturna uiſione, & ecce cũ cœli nubibus Filius ille hominis ueniebat,qui ad antiquuũ dierũ(ſeu longęuũ)uſq; peruenit,

Aug. de Paſtoribus: De mõte Oliueti Chriſtus aſcendit in cœlũ.

Niceph. lib. 8. capite 30. Helena Templũ conſtruxit in Oliuarũ monte ad uerticẽ ipſum,ubi relictis Diſcipulis Chriſtus in cœlos eſt aſſumptus.

Raban. Creatura ubiq; obſequitur Creatori,aſtra iudicant naſcentẽ, patienti compatiuntur,aſcendentem nubes ſuſcepit,redeuntem ad iudicium comitabitur.

atque ei (tanta) poteſtas, gloria, regnũ datum eſt, ut omnes populi, tribus & linguę eum colerent. Pſal. 24. Quis aſcendet in montem DOMINI, quis in eius ſancto loco ſtabit? Attollite portæ capita ueſtra, efferte uos portæ æternæ, ut gloriæ Rex intret. Quis eſt iſte Rex gloriæ? DOMINVS fortis & potens, DOMINVS Sebaoth eſt Rex gloriæ. Pſal. 47. Aſcendit cum triumpho Deus, DOMINVS cum tubæ ſonitu. Regnat Deus in Gentes, Deus in ſuo ſancto ſedet throno. Pſal. 68. Aſcendiſti in altum, captiuam abduxiſti captiuitatem, accepiſti in homines (effundenda) dona.

Vide Hiero. in hunc Pſal. & Cyp. Expoſit. Symboli.

Felice Iudęæ Pretore Aegyptius quidã Pſeudopropheta in prouinciã aduenit, & Magus cum eſſet, uatis opinionem ſibi arrogans, triginta ferè millia hominum ſibi aſſociauit, quibus è deſerto in montem Oliuarum circunductis, perſuaſit, illic eos uiſuros ſuo iuſſu cadere Ieroſolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinas aditus in Ciuitatem, ad depellenda Romanorum pręſidia, pateret. Quo cognito Felix iubet milites arma ſumere, ſtipatusq; multis equitibus ac peditibus erumpens, inuadit turbam ſeductã ab Aegyptio: quorum quadringentis occiſis, ducentos uiuos cepit. Aegyptius ipſe cũ paucis pugna elapſus diſparuit, Ioſeph. Antiq. 20. cap. 6. De Bello 2. cap. 12. Egeſip. lib. 2. cap. 7.

Aegyptius pſeudopropheta.

In Elæo monte decima Titi Legio conſtitit, id Ioſepho 6. de Bello cap. 3. ſequentibus approbante uerbis: Decimæ Legioni pręceptum erat ſexto ab Ieroſolymis ſtadio caſtra ponere, qua in parte mons, qui appellatur Elæon, contra Ciuitatem ab Oriente ſitus eſt. Et 5. cap. Decima Legio in Elæon monte erat. Tunc confecta eſt Ezechielis prophetia, Vrbis obſidionem & ruinam in hanc prędicentis ſententiã, Cap. 11. Tunc Cherubi comitantibus rotis ſuas alas ſuſtulerunt, & DOMINI Dei

Decima Titi Legio in Oliuarũ monte.

Iſrae-

Iſraelitarũ gloria deſuper inſidens,è medio urbis aſcendit,atq; in monte,qui Vrbi ab Oriente eſt,cõſedit. Vbi Hieron: Paulatim gloria DOMINI recedit de Ieruſalẽ: Primũ Templũ deſerens,ſtat in atrio uel in limine Domus,& poſtea in introitu portæ Orientalis, nouiſsimè ſublatis pennis rotisq; ſequẽtibus, ſtat ſuper montẽ,qui eſt ad Orientẽ urbis,haud dubiũ quin montẽ ſignificet Olíueti,unde Saluator aſcẽdit ad Patrẽ. Stabatq; gloria Domini,quæ de Ieruſalẽ urbe diſceſſerat, ſuper montẽ Olíueti,in ſignũ reſurrectionis & luminis, ut inde periturã arſurãq; cerneret Ieruſalẽ. Quodq; dicit: Aſcendit gloria de medio ciuitatis,alijs uerbis loquitur Dominus ad Diſcipulos: Surgite,abeamus hinc. Et ad Iudæos: Relinquetur domus ueſtra deſerta. Ioſephus quoq; refert auditã uocẽ in Templo Angelorũ & fortitudinũ cœleſtium,quæ prius in Vrbis præſidio erant,abeamus ex his ſedib. mirumq; in modũ uſq; in præſentẽ diẽ gloria DOMINI quæ deſeruit Templũ, ſtat ſuper montẽ Olíueti, et in crucis ſigno rutilãs,ſpectat Templũ quondã Iudaicum in fauillas & cineres diſſolutũ. De Vrbis excidione etiã Zacharias uaticinatur: Ecce Domini dies aduentat, qua diuidẽtur in tui medio tua ſpolia,cõgregaboq; Gentes omnes in Ieroſolymã ad prælium,& Vrbe capta diripientur domus, & mulieres uiolabuntur, egredieturq; dimidia pars Vrbis in captiuitatẽ,reliquusq; populus nõ exterminabitur ex Vrbe (ſed in ea fame,peſte atq; gladio peribit) Tũ ſtabunt Domini pedes ſuper Olíueti mõte, qui eſt in Ieroſolymæ cõſpectu ab oriente,fiſſoq; medio Oliuarũ monte ad orientẽ & occidentẽ,exiſtet permagna uallis,altero montis dimidio ad Aquilonẽ,altero ad meridiẽ deflexo, fugietisq; per montiũ uallẽ,ſicut fugiſtis ob terræmotũ diebus Vſiæ Iudææ regis. Vbi Hier. Dies quos uenturos Dñs cõminatur,ut diuidãtur ſpolia Ieruſalẽ in medio eius,& cætera quæ prophetia cõprehendit:

Hanc prophetiã alij de Christi in cœlũ aſcenſione, ab Oliuarũ monte facta,intelligũt, quorum ſententia etiam conſiſtere poteſt.

Iohan. 14.

Lucæ 13.

Zach. 14.

hi ſunt de quibus & in Eſaia legimus: Dies DOMINI inſanabilis ueniet furoris & iræ, ponere totum orbem in ſolitudinem, & peccatores auferre de eo. Quanta autem neceſsitas erit, ut ſpolia eius diuidantur in medio eius? Solet hoc frequenter accidere, ut quæ ſubito impetu in Ciuitate direpta ſunt, foris in agro aut in ſolitudine diuidantur, ne forte hoſtes ſuperueniant. Hìc autem tantum malorum pondus incumbet, ut quæ direpta ſunt, in Ciuitatis medio diuidãtur pro ſecuritate uictoriæ. Et nõ ſolum capietur Ieruſalem, cunctis Gentibus aduerſum eam in prælio concitatis, ſed & uaſtabuntur domus habitantium Ieruſalem, & mulieres uiolabuntur in dolorem Dominorũ & maritorum: qui nec populationem domorum, nec uxorum ſtuprum ab hoſtibus prohibere poterunt: iuxta illud quod alibi legimus: Qui congregati ſunt in medio tui, gladio cadent, & filios ueſtros in conſpectu ueſtro allident, & domos ueſtras deprædabuntur, & uxores ueſtras habebunt: quo nihil crudelius, nihilq́; miſerius inueniri poteſt: ut timore mortis propriæ, nec ſalutem filiorum, nec uxorũ pudicitiam defendere audeant. Hoc ipſum & Amos Propheta ad Amaſiam impium Sacerdotem comminans loquitur: Vxor tua in Ciuitate fornicabitur, & filij tui & filiæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur. Et hæc populo Iudęorũ uniuerſa contingent: Quia fremuerũt Gentes & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes cõuenerunt in unum, aduerſum DOMINVM & aduerſum CHRISTVM eius. Qui irriſit & ſubſannauit eos, & in furore ſuo conturbauit illos, in tantum ut Apoſtolus quoque cernens eos annos, qui ad pœnitentiã dati fuerant, iam eſſe completos, & nihilominus illos in negatione perſiſtere qui occiderunt DOMINVM, & Prophetas & Apoſtolos perſecuti ſunt, dixerit: Perueniet ſuper eos ira in finem.

Amos 7.

Pſal. 2.

Hæc

Hæc omnia plenisſimè Ioſephus, qui Iudaicam ſcripſit Hiſtoriam, & multò maiora quàm legimus in Prophetis eos ſuſtinuiſſe commemorat. Cornelius quoq; Tacitus, qui poſt Auguſtum uſq; ad mortem Domitiani uitas Cæſarum triginta uoluminibus exarauit: Hæc ille.

CAP. XXIIII.

בית עניה·

Κώμη μαρίας καὶ μάρθας.

Bethania.

Vicus erat Marthæ, Bethania nomine dictus
Et Mariæ, quarum Lazare frater erat,
Aſsidet hic pedibus Chriſti, uerbumq; Mariæ
Percipit, aſt epulas anxia Martha parat.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



IOHANNIS 11. Bethania Mariæ & eius ſororis Marthæ uicus aberat propè Ieroſolymis ſtadia circiter quindecim. Hiero. de Locis, Bethania uilla in ſecundo ab Aelia miliario, in montis Oliueti latere ſita. Zieglerus deſcriptione Paleſtinæ: Bethania uilla ad auſtrum montis Oliuarum, procul ab Aelia 2000. paſs. *Bethaniæ ſitus*

Bethaniam exponunt, domũ paſsionis, humilitatis & obedientię DOMINI. Hac denominatione ciues admoneri poterant, DOMINVM ipſum in carne pręſentem paſſurum, humiliandumq;, & patri ad crucis uſq; mortem obediẽtem futurum eſſe, de quo myſterio Lactantius lib. 4 cap. 18. ſubſcripta allegat teſtimonia: Fore ut Iudæi manus inferrent Deo ſuo, eumq; interfice- *Bethaniæ nominis notio et myſterium.*

rent teſtimonia Prophetarum hæc anteceſſerunt. Eſdras ad populum ita dixit: Hoc Paſcha Saluator noſter eſt, quem habemus humiliare in ligno, & poſthęc ſperabimus in eum. Eſais quoq; dicit, In humilitate eius iudicium ſublatum eſt à facinoribus populi mei abductus eſt ad mortẽ. Et Dauid in Pſal. 93. Captabunt animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Item Moſes in Numeris: Non quaſi homo DOMINVS ſuſpenditur: neq; quaſi filius hominis minas patitur. Sed & Salomon: Propter hoc importauit illis DEVS hæc mala quia reliquerunt DOMINVM DEVM ſuum, & perſecuti ſunt Regem ſuum dilectiſsimum Deo, & cruciauerunt illum in humilitate magna.

Bethania quoq; domus exauditionis & reſponſionis DOMINI dicitur: Eiuſmodi certè domus fidele Dauidis pectus erat, cum is à DOMINO exauditus Pſal. 120. ita caneret: Cum DOMINVM in mea anguſtia inuocarem reſpondit mihi. Habac. etiam 2. cap. de ſeipſo ita teſtatur: In cuſtodia mea ſtabam ut ſpeculabũdus uiderem, quid (DOMINVS) in me loqueretur, tum reſpõdit mihi DOMINVS: Scribe uiſum: Si moram fecerit (DOMINVS) exſpecta, certiſsimè enim ueniet. Iuſtus autem ex ſua fide uiuet. Vbi iHero. Ex eo quod Habacuc dicit, uideam quid loquetur in me, notandũ Propheticam uiſionem & eloquium Dei non extrinſecus ad Prophetas fieri, ſed intrinſecus & interiori homini reſpondere. Vnde & Zacharias: Et Angelus, inquit, loquebatur in me. Et in Pſalmis: Audiam quid loquatur in me Dominus.

Bethaniam DOMINVM diuertiſſe hæc indicant. Matt. 21. IESVS relictis Pontificib. & Scribis, exijt ex Vrbe Bethaniam ibiq; eſt diuerſatus Marci. 11. Ingreſſus Ieroſolymam DOMINVS & in Templum, omnibusq; circum-

cîrcumſpectis, cum iam ſera eſſet hora, egreſſus eſt Bethaniam cum Duodecim, Lucæ 10. Factum eſt autem, ut eis proficiſcentibus intraret in quendam uicum: & mulier quædam Martha eum in domum ſuã excipit. Huic ſoror erat, nomine Maria, quæ ad Ieſu pedes aſsidens, audiebat eius ſermonem. Martha autem quæ circa frequens diſtrahebatur miniſteriũ (ſic) dicere inſtitit: DOMINE non eſt tibi curæ, quod mea ſoror ſolam me miniſtrare ſinit, dic ergo illi, ut me adiuuet. Cui Ieſus reſpõdens, dixit: Martha Martha, tu ſollicita es, et de multis turbaris. Atqui unum eſt neceſſarium. Maria bonam illam partem elegit, quę quidem ab ea nõ auferetur. Hiero. in Matthæum: Reliquit DOMINVS incredulos, & Vrbem egreſſus contradicentium, iuit Bethaniam, quod interpretatur Domus obedientiæ: iam tũc uocationem Gentium præfigurans: ibiq́; manſit, quia in Iſrael permanere non potuit. Hoc quoq; intelligendum eſt, quod tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus ſit, ut in urbe maxima nullum hoſpitem, nullã inuenerit manſionem, ſed in agro paruulo apud Lazarũ ſororesq́; eius habitaret, eorum quippe uicus Bethania eſt. Ambroſ. in allegatum ex Lucæ Euangelio locum: Subijcitur Marthæ exemplo & Mariæ, alterius operib. actuoſa deuotio, alterius religioſa mentis intentio Dei uerbo: Quæ ſi cum fide congruat, etiam ipſis operibus antefertur, iuxta quod ſcriptum eſt: Maria optimã partem ſibi elegit, quæ nõ auferetur illi. Studeamus igitur & nos habere, quod nemo nobis poſsit auferre, non ut perfunctoria, ſed diligens audientia deferatur: Solẽt enim etiam ipſius ſemina uerbi cœleſtis auferri, ſi ſecus uiam ſint ſeminata. Agat te ſicut Mariam deſideriũ ſapientiæ: Hoc enim maius, hoc perfectius opus, nec miniſterij cura à cognitione uerbi cœleſtis auertat, nec arguas eos, et ocioſos iudices quos uideas ſtudere ſapiẽtię:

Macar. Homil. Non ſimpliciter Dominus erga Mariam ſe diligentem & ad pedes eius aſsidentẽ affectus fidit, ſed uirtutem quandã occultam ex ſua natura ei dedit: Propterea Dominus ſciens quid dediſſet ei (uerba enim quę Deus cũ pace loquebatur Mariæ ſpiritus erant, et uirtus quędam) Maria, inquit, bonam partem elegit.

Matth. 13.

Hanc enim ſibi cohabitantem Salomon ille pacificus aſciuit. Nec Martha tamẽ in bono miniſterio reprehenditur: ſed Maria, quòd meliorem ſibi partem elegerit, antefertur. IESVS enim multis abundat & dat, & multa largitur. Et ideo ſapientior iudicatur, quia quod principale aduertit, elegit. Deniq; Apoſtoli optimum non

Acto.6.

putauerunt relinquere Dei Verbum, & miniſtrare mẽſis, ſed utrumque munus ſapientiæ eſt: Nam & Stephanus plenus ſapientia, miniſter menſæ electus, & ideo qui miniſtrat Doctori, deferat, & miniſtrantem Doctor inuitet & prouocet. Vnum enim corpus Eccleſię, etſi diuerſa membra: alterum altero eget. Non poteſt dicere oculus manui, Opera tua non deſidero: aut iterũ caput pedibus, & auricula ſe negare eſſe de corpore: nã etſi alia principalia, tamen alia etiam neceſſaria. Sapientia in capite, actus in manibus: Oculi enim ſapientis in capite eius: Quia ille uerè ſapit, cuius animus in Chriſto eſt, & cuius interior oculus erigitur ad ſuperna. Et ideo ſapientis oculi in capite ipſius, ſtulti autem in calcaneo.

1.Cor.12.

Eccleſ.2.

CAP. XXV.

קבר לועזר·

Μνημεῖον καὶ σπήλαιον.

Monumentum Lazari.

Lazarus à Chriſto, quarta iam luce ſepultus,
Prodijt occluſa uiuificatus humo:
Prodijt & uinctus: duo ſic miracula Chriſtus
Aedidit: omnipotens creditur ergo Deus.

HI-

HISTORIA.

E Lazaro Bethanienſi à CHRISTO in uitam reuocato, Iohan. 11. hæc ſcribit: Erat quidam ægrotus Lazarus à Bethania, Mariȩ & eius Sororis Marthæ uico. Miſerunt igitur eius ſorores ad IESVM (trans Iordanem) qui ei dicerent: DOMINE ecce quem amas ægrotat. Hoc audito IESVS, dixit: Hæc infirmitas non eſt ad mortem (Lazaro immiſſa) ſed pro Dei gloria, ut per eam glorificetur Dei filius. Diligebat autem IESVS Martham eiusq; ſororem & Lazarum (eosq; ſuo dignos fecerat amore) Vt igitur eum ægrotare audiuit, tum quidem manſit in quo erat loco duos dies (ut quæ in ægroto reſtabat mors publicaretur) Deinde dicit Diſcipulis: Lazarus amicus noſter dormit, ſed ego uado ut eum expergefaciam. Tum eius Diſcipuli inquiunt: DOMINE ſi dormit, ſaluus eſt (nam in ægrotis ſomnus rediturȩ ſanitatis ſolet eſſe argumentum) Dixerat autem IESVS de eius morte: at illi de ſomni dormitione dicere putabant. Itaque tum dixit illis IESVS manifeſtè: Lazarus mortuus eſt: Atque (equidem) ueſtra cauſa ut credatis (amplius robuſtiusque) me illic non adfuiſſe gaudeo: ſed abeamus ad eum. Igitur IESVS (ubi) uenit (eò) inuenit eum quartũ iam diem agentẽ in monumento. Aberat autem propè Bethania Ieroſolymis ſtadia ferè quindecim, multiq; ex Iudȩis ad Martham & Mariam uenerunt, ut eas de ſuo fratre conſolarentur. Igitur Martha ut IESVM uenire audiuit, ei occurrit, Maria autem domi deſidebat: & Martha ad IESVM (flebili uoce) dixit: DOMINE, ſi (tu) hìc adfuiſſes, meus frater mortuus non fuiſſet. Cui IESVS dicit: Reſurget frater tuus. Ait illi Martha: Scio reſurrecturum eſſe in (omnium) reſurrectione in nouiſsima die (an uerò iam reſurget incerta ſum) Et IESVS inquit

Lazarus. Maria. Martha.

Satis putabat nũciaſſe amanti, nihil precãtur.

Mors dormitio appellatur.

Affectus carnis & fidei imbecillitas.

ei:Ego ſum reſurrectio & uita.Qui in me credit, etiam ſi (carne) mortuus fuerit,uiuet (anima donec reſurget & caro,nunquã poſtea moritura) Et omnis q uiuit (ad huc carne)& in me credit,(etſi moriatur ad tẽpus propter carnis mortem) non (tamen) morietur in perpetuũ (propter ſpiritus uitam,& ipſam reſurrectionis immortalitatẽ) Credis hoc? Ait illa:Etiam DOMINE,Ego credo te Chriſtũ illũ Dei Filiũ eſſe, qui (promiſſus à Prophetis, ac multis iam ſęculis expectatus) in mundũ ueneris. Et quũ hęc dixiſſet,abijt uocatũ Mariã, eiq; clãculum dixit:Magiſter adeſt, qui te uocat. Illa hoc audito, citò ſurgit, & ad eum uenit, quã Iudæi (cũ ea domi conſidentes) ſecuti ſunt. Nondum aũt uenerat IESVS in uicũ,ſed in eo erat loco,ubi ei occurrerat Martha.Igitur Maria uiſo IESV, ei ad pedes accidit, & (ita) dicit: DOMINE ſi (tu) hic adfuiſſes, non fuiſſet mortuus frater meus.Tum IESVS,ut eam & Iudæos plorantes uidit,infremuit ſpiritu, ſeq; ipſum conturbans, dixit: Vbi eum poſuiſtis? Dicunt ei:DOMINE, Veni & uide. Lachrymauit IESVS, & rurſus in ſemetipſo fremens,uenit ad monumentum. Erat autem ſpelunca cui impoſitus erat lapis,(Et)IESVS dixit:Tollite lapidẽ.Cui Martha (in fide adhuc infirma) inquit, DOMINE iam fœtet,nam quatuor dierum eſt (At) IESVS ei dicit:Nónne tibi dixi (te) ſi credideris uiſuram Dei gloriam? Igitur (illi) lapidem ſuſtulerunt, ubi poſitus erat mortuus. Et IESVS poſtquam dixiſſet: Pater ago tibi gratias quod me audiuiſti, magna uoce clamauit:Lazare adeſdum foras. Et mortuus exijt pedes manusq; uinctus faſcijs,facie ſudario obuincta. Dicit ei IESVS: Soluite eum & abire ſinite. Igitur multi ex Iudæis, qui ad Mariam uenerant,& quæ feciſſet IESVS uiderant, in eum crediderunt. Sed eorũ quidam ad Phariſæos abierunt, & eis quæ feciſſet IESVS dixerunt.

Integra & expreſſa fidei de Chriſto profeſſio.

IN-

INTERPRETATIO.

Lazari nominis notio & mysterium.

LAzar dicitur is qui auxilio Domini eget, uel cui Dominus auxilio est: CHRISTVS hunc è mortis suscitatum somno uenit, ut se eum ostēderet esse, de quo sic scriptũ habetur, Esaię 41. Ne formida uermis Iacoboeę, ego te adiuuo, dicit Dominus, Redemptorq́; tuus sanctus Israelis (Deus) Oseæ. 13. Ego sum Dominus Deus tuus, Nec seruator (ullus) est præter me, ego (tuos inimicos) Leonis more consumam: Tua est perditio ô Israel, sed in me solo tibi auxilium existit: Ego eos ab inferni potestate liberabo, à morte redimam. CHRISTVS Lazarum dormientem quàm mortuum maluit dicere, ut iuxta sacræ Scripturæ consuetudinem ostenderet spem resurrectionis: Dormiunt enim uerius quàm mortui sunt, qui reuicturi quiescunt: Neque nostrum cuiquam tam facilè est excitare dormiētem, quàm facilè erat DOMINO ad uitam reuocare mortuum. Infremuit DOMINVS ad Lazari monumentũ, ipse quippe Leo de Iudæ tribu, hoc est, omnipotens in carne Deus erat, de quo sic scribitur Ieremiæ 25. Dominus ex sublimi rugiet, ex suo sancto habitaculo uocem ędet, rugiet aduersus suum domicilium. Ioelis 3. Dominus ex Sione rugiet, ex Ierosolyma uocem dabit. CRISTO Lazarum nominatim inclamante, mors ipsius uerbo cessit, & mortuo uita reddita est, ut eum mortis Dominum atque extinctorem, uitæ autem & immortalitatis arripiamus Largitorem. In excitando autem Lazaro tria CHRISTVS uno uerbo miracula ędit: Nam & mortuum in uitam reuocat, & foetidum corpus integritati restituit, & ligatum pedes ex monumento prodire facit.

Mors dormitio dicitur.

Fremitus Christi.

Mors eum tenere non poterat quem uita uocabat.

August. de tempore Serm. 103. Non minoris admirationis est Lazarum ligatũ pedibus ambulare potuisse, quàm à mortuis resurrexisse.

Sed quia Cyrillus hanc Historiam pulcherrima de-

Allegoria de Lazari resuscitatione.

Vide Augu. in Ioan. & Tom. 4. fol. 574.

clarat allegoria, eius uerba in studiosorũ gratiã qui huiusmodi delectantur contemplationibus, huc asscribere minimè grauabor: Verum hæc, inquit ille, quæ literam Euangelij cõcernunt iam expositam, missa facientes, ad allegoricam sententiam, Lazari mortem, sepulturam & resuscitationem accommodare satagamus: Quanquam enim secundum Euangelistę historiam resuscitatum Lazarum plena fide teneamus, id tamen in allegoria aliquid aliud significare non est hæsitandum: neque enim quum res factæ per allegoriam exponuntur, gestæ rei fidem amittunt. Itaq; per Lazarum mortuum intelligitur peccator, per iniquitatem à Deo, qui uitæ fons est, disseparatus: Omnis enim qui peccat, moritur, ut DOMINVS per Ezechielem dicit: Anima quę peccauerit, ipsa morietur. Et Sapiens: Homo per malitiam occidit animam suam, de quibus quidẽ mortuis loquitur DOMINVS in Euangelio: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Sepulchro uerò conditus dicitur peccator, quum ingenti mole, malæque consuetudinis pondere obrutus est, & faciendo quod malũ est, etiam se mala cõsuetudine implicat: adeò ut ipsa mali consuetudo non permittat eum intelligere malum esse quod facit: & nõnunquam malum quod perpetrat defendit, ac demum quum reprehenditur succenset. De tali dicit Sapiens: Impius quum in profundum malorum uenerit, contemnet. Et Esaias: Væ illis qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Rursum de eodem Sapiens: Nõ amat pestilens eum qui se corripit. Peccator uerò qui iam mala peccandi cõsuetudine & desperatione sepultus est, quatuor habet dies in monumẽto sui peccati, & sepulchro quo obrutus iacet: quia ad peccati consuetudinem quadruplici quodam progressu peruenitur: Primò enim est titillatio in corde & cogitatio annexa delectationi

Matt. 8. *Prouerb. 18.* *Esa. 5.* *Prouerb. 15.*

cum

cum mora: & hic eſt primus mortis dies. Secundò eſt cordis in opus prauum conſenſus, & hic eſt ſecundus dies interitus. Tertiò factum & operis praui perpetratio, & hic eſt tertius dies ſepulturæ. Quartò uerò conſuetudo eſt, & ex frequentia mali contracta aſſuefactio, & hic quartus eſt dies: Nempe quidam quum illicita cogitatione pulſantur, ita eam à corde repellunt, ut penitus nulla mala delectatione moueantur: Quoſdam delectant quædã mala cum immoratione, & afflictione animi ad ea, ſed non adducuntur ut conſentiant in opus. Accedit deinde conſenſus, & ſic in opus erumpitur. Iam factum in conſuetudinem uertitur, & impletur illud mortis quatriduum, & quaſi quædam fit deſperatio, ut dicatur: Iam fœtet, quatriduanus enim eſt. Bene autem de illo qui peccare conſueuerat, dicitur, Fœtet: Incipit enim peſsimam habere famam tanquam odorem teterrimum, & ſuæ malitiæ exempla ut grauiſsimum halitum in alios tranſmittit, quibus eos inficiat, corrumpat & perdat. Lapis ille ſuperpoſitus quum in uitiorum ſuorum tumulo putidus iacet, obdurationem animi deſignat, ex conſuetudine peccandi inductam, qua Deo & monitis hominum reſiſtit, ne ex inueterato ſuo malo reſipiſcat, & redeat ad uitam, de quo dicit Sapiens: Cor durum malè habebit in die nouiſsimo. Et Pſalmus: Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra. Deinde facies illius peccatoris mole conſuetudinis oppreſsi, ſudario eſt ligata: quia eius mens tenebris eſt obfuſa, ne periculum in quo uerſatur, aut malum quo grauatur, uideat. Quemadmodum Sapiens de talibus dicit: Excæcauit eos eorum malitia. Demum huiuſmodi peccator ligatus eſt inſtitis & uinculis: quia conſuetudine peccandi, tanquam grauibus conſtrictus eſt cathenis, et uſq; adeò

Eccleſ.3. Pſal.94. Sapient.2.

Prouerb.5. irretitus, ut nõ posit quoquo pacto sese explicare. Nẽpe
Psal.118. dicit Sapiens: Funibus suorum peccatorum cõstringi-
Esa.58. tur peccator. Et Prophetæ: Funes peccatorum me circumplexi sunt: Hanc sanè cathenam abijciendam esse monet Esaias, dicẽs: Si abstuleris de medio tui cathenã, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. Ad hunc aũt peccatorem suscitandũ duæ deuotæ sorores DOMINVM obnixè debent precari, id est, Ecclesiæ preces asiduè fieri pro conuersione malorum ut eos suæ gratiæ lumine illustrare dignetur, & dextera
Iacob 5. uirtutis suæ erigere: Præcepit enim beatus Iacobus: Orate pro inuicem ut saluemini. Et DOMINVS deuotarum animarum (quæ ut sorores obturati peccatoris casum lugent) aut ecclesiæ inflexus precibus, uisitat eum tandem suę misericordiæ benignitate, & uisitans infremit, lachrymatur, & turbat seipsum: quia difficilè resurgit à peccati morte, quem prauę consuetudinis moles premit. Sciscitatur etiam de illo DOMINVS, ubi posuistis eum? ut ostenderet solum ea se cognoscere, quæ iusta & sancta sunt. Peccatorẽ uerò ignorat, quia repro
Genes.3. bat. Vnde Adæ post peccatum dicitur: Vbi es? Et repro
Matt.7. bis in iudicio dicturus est: Nescio uos unde sitis. Quid est aũt dicere, nescio uos, nisi uos in iustitiæ luce non agnosco? Ad petitionem deniq; sororum uenit IESVS, & uidet, id est, miseretur peccatoris: Videre nanq; eius
Psal.26. est misereri. Vnde orat Propheta in Psalmo: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte uniuersa delicta mea. Demum uoce magna & alta DOMINVS in huiusmodi peccatoris resuscitatione utitur: ad magnam enim DOMINI uocem surgit mortuus, quando magna Dei gratia resipiscit peccator. Prodit de monumento quando confitetur sua peccata: sed tamẽ adhuc ligatus est, adhuc reus, suis uiribus absolui nõ potest, necesse est ut DOMINVS eum intrinsecus per seipsum uificet,

uificet, qui dicit. Ego ſum qui deleo iniquitates ueſtras. *Eſa. 48*
Et apud hunc Euangeliſtã: *Sicut* pater ſuſcitat mortu- *Ioh. 5.*
os & uiuificat, ſic & filius quos uult uiuificat. Amẽ dico uobis, quia uenit hora, & nunc eſt, quando omnis qui in monumentis ſunt, audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent: quod de ijs, qui ſuorum peccatorum ſepulchris quaſi mortui premuntur, & ad gratiæ uitam per CHRISTVM reuocantur, intelligi poteſt. Hęc ille.

CAP. XXVI.

בית סימון המצרע.

Οἰκία Σίμωνος τοῦ λεπροῦ.

Domus *S*imonis leproſi.

Hic olim fuerant *S*imonis tecta leproſi,
    Cui ſanat natus morbida membra Dei.
Aedibus his Chriſti perfundit ubiq; beatum
    Vnguento nardi fœmina mœſta caput.

HISTORIA.

QVVM eſſet IESVS Bethaniæ in domo *S*imonis leproſi, eo accumbente acceſsit Mulier habens alabaſtrum unguenti ſpicatę nardi pretioſi, (quæ) confracto alabaſtro perfudit eius caput. (Quo) uiſo Diſcipuli apud ſeſe indignati ſunt (atque ita) dixerunt: Ad quid hæc perditio? Poterat enim unguentum hoc plus quàm trecentis denarijs uendi, & pauperibus dari. Id quod cognoſcens IESVS ait eis: Sinite eam, cur moleſti ei eſtis? Nam opus bonum operata eſt erga me: *S*emper enim (uulgares iſtos) pauperes habebitis uobiſcum, quibus quandocunque uo-

Ieſus in domo Simonis unguẽto perfunditur.

Dum benefit Chriſto, mox adſunt qui calumniã faciãt.

Dominus fidei opus comprobat.

letis, benefacere poteritis: at me non ſemper (corporali præſentia) habebitis. Quod potuit hæc fecit, præuenit meum corpus ad ſepulturam ungere. Amē dico uobis (fore, ut) ubicūq; prædicabitur Euangelium hoc in toto mundo, dicatur id quoq; quod ea fecit ad eius memoriam, Matth. 26 Mar. 14.

Hieron. Quod uos putatis perditionem eſſe unguenti, officiū ſepulturæ eſt.

INTERPRETATIO.

Hieronymus: Paſſurus ꝓ omni mundo DOMINVS, & uniuerſas nationes ſuo ſanguine redempturus, moratur in Bethania, domo obediētiæ: quæ quondam fuit Simonis leproſi: Non quod leproſus & illo tempore permaneret: ſed qui antea leproſus, poſtea à Saluatore mundatus eſt: nomine priſtino permanente, ut uirtus curãtis appareat: Nam in Cathalogo Apoſtolorum cum priſtino uitio & officio Matthæus publicanus appellatur: qui certè publicanus eſſe deſierat. Oritur autē hic quęſtio: Quare DOMINVS poſt reſurrectionē dixerit ad Diſcipulos: Ecce ego uobiſcum ſum uſq; ad cōſummationem ſęculi, & nunc ait, me autem non ſemper habebitis. Sed mihi uidetur in hoc loco de corporali dicere præſentia, quòd nequaquam cum eis ita futurus ſit poſt reſurrectionē: quomodo nunc in omni conuictu & familiaritate: cuius rei memor Apoſtolus ait: Et ſi noueramus Ieſum Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus eum. Quod uerò iſta mulier pretioſo DOMINI corpus perfudit unguento, uoluit eo ſuo opere declarare, ſe fidei oculis proſpicere, DOMINVM breui moriturum, & ſepeliendum, poſteaq; ex ſepulchro reſuſcitatum, in primogenitura ex mortuis oleo lætitiæ æternum cœli Regem, ſummumque iuxta Melchiſedechi ordinem Sacerdotem ungendum eſſe.

Simon leproſus.

Matthæus publicanus.

Guilermus Poſtilla in Paſchate, Corpꝰ Chriſti Deitate eſt imbalſimatū.

CAP

CAP. XXVII.

האבה רע·

Συκῆ ἔχουσα φύλλα·

Ficus foliosa.



En ficus foliosa tibi sine fructibus astat,
Protinus à Christo quæ maledicta fuit:
Florentes refert homines extrinsecus, arbor:
Interno quorum corda decore uacant.

HISTORIA.



REVERTENS aliqudo IESVS cũ Discipulis Bethania Ierosolymam, (inter eundum) esurijt, uisaq; quadã apud uiã ficu, accessit, si quid in ea forte inueniret, sed ut ad eã uenit, nihil inuenit nisi folia: nec enim tẽpus erat ficuũ (Itaq;) sic ad eam dixit: Ne posthac ex te fructus nascatur in perpetuum, continuoq; ficus *Iesus foliosam ficum execratur.*

Ee

aruit ex radicibus. Quo uiso, admirati Discipuli, dicebant, ut cõtinuò aruit ficus. Quibus IESVS respõdens, ait: Amen dico uobis: Si fidẽ habebitis, neq; hæsitabitis, nõ solùm hoc de ficu facietis, uerumetiã si huic monti dixeritis: Tollere, et in mare proijciaris, fiet, ac quicquid in uestrà oratione fidenter petieritis, accipietis, Matth. 21. Mar. 11.

Fides.

INTERPRETATIO.

Hieronymus: Discussis noctis tenebris, matutina luce radiante, & uicina meridie, in qua DOMINVS passione sua illustraturus erat orbem, cum in ciuitatem reuerteretur, esurijt, uel ueritatẽ humanæ carnis ostendens, uel esuriens salutem credentium, & æstuans ad incredulitatem Israelis. Cumq; uidisset arborem unam quam intelligimus Synagogã & conciliabulũ Iudęorũ iuxta uiã: habebat enim legẽ, & ideò iuxta uiã erat, quia non credebant in uiã (quæ Christus est) Venit ad eam, stantẽ scilicet & immobilem, & non habentẽ Euangelij pedes: nihilq; inuenit in ea, nisi folia tantũ, promissionũ strepitũ, traditiones Pharisaicas, & iactationẽ legis, & ornamenta uerborũ absq; ullis fructib. ueritatis. Vnde & alius Euangelista dicit: Nondũ enim erat tempus, siue quod tempus nondum uenerat saluationis Israel, eò quòd nondum Gentilium populus subintrassẽt: siue quod præterisset tempus fidei, quia ad illum primum ueniens & spretus, transisset ad nationes. Et arefacta est ficulnea, quæ esuriẽte DOMINO cibos, quos ille cupierat, non habebat. Sic autẽ aruerunt folia, ut truncus ipse remaneret, & fractis ramis uireret radix, quæ in nouissimo tempore si (conuersa ad Christum) credat, uirgulta fidei pullulet, impleaturque Scriptura, dicens: Est arbor spes. Iuxta literam autem DOMINVS passurus

Iob. 14.

in

in populis, & baiulaturus ſcandalum crucis, debuit Diſcipulorum animos ſigni anticipatione firmare. Vnde & Diſcipuli mirantur, dicentes: Quomodo continuò aruit? Potuit ergo Saluator eadem uirtute etiam inimicos ſuos ſiccare, niſi eorum per pœnitentiam expectaſſet ſalutem. Porrò montis translatio non eius hic ſignificatur, quẽ oculis carnis aſpicimus, ſed illius qui à DOMINO translatus fuerat è Lunatico: Quod enim dicitur: Dicetis monti huic, tranſi huc, & tranſibit, de Dæmone intelligitur, ſuperbiente & ſeſe cõtra ſuum Creatorem iactante. Qui ab Apoſtolis, & his qui Apoſtolorum ſimiles ſunt, ex homine ad æternam uitam deſtinato) DOMINI uirtute per fidem) transferri poteſt in mare, hoc eſt, in loca ſalſa & fluctuãtia & amara, quę nullam Dei dulcedinem habent, & apud incredulorũ mentem, ut porcorum duo milia ſuffocari. Idipſum & in Pſalmis legitur: Non timebimus, dũ tuebabitur terra, et transferentur mõtes in cor maris. Ex quo ſtultitię coarguendi ſunt, qui contendunt Apoſtolos, omnesq; credentes, ne paruam quidem habuiſſe fidem: quia nullus eorum mõtes tranſtulerit: Neq; enim tantum prodeſt montis de alio in alium locum translatio, & uana ſignorum quęrenda oſtentatio, quantum in utilitatem omnium iſte mons transferendus eſt: qui per Prophetã dicitur corrumpere omnem terram.

Pſal. 45.

Ieremiæ. 51.

CAP. XXV.

בית פגי.

Βηθφαγή.

Bethphage.



Bethphage uilla Sacerdotũ prope culmina mõtis
Extitit: hoc nata est plurima Oliua loce,
Hinc asina uectus celebrem Saluator in Vrbem
Tendit, uates dixerat ante sacer.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Bethphage descriptio.



IERONYMVS in Matthæum & de locis Hebraicis, Bethphage Sacerdotũ uiculus, in Olineti monte situs. Zieglerus descriptione Palestinę, Bethphage uilla, procul à uia per stadium, quæ à Bethania ducit,

cit Aeliam. Collis mõtis Oliuarum obijcitur Bethphage uillæ, quo minus ex ea Ciuitas conſpiciatur, quo ſuperato tota urbs patet.

Bethphagæ notio.

Bethphagen exponunt domũ oris, Item mediatoris, deprecatoris & occurrentis, domũ: Remoto uelo noſter Chriſtus occurret, qui 1. Threnorum, & Eſa. 58. Dei os. 1. Timo. 2. Heb. 9. 12. Mediator, Eſa. 53. ſontium interpellator. Sapientiæ autem 6. æterna Sapientia, ſuis procedens obuiam æmulis, denominatur.

August. de Eſſentia diuinit. Os Dei filius Dei patris, id eſt, Chriſtus Dominus eſt.

Ieſus mittit qui aſinam ad ducant & pullum.

Poſtquã IESVS cũ ſuis Diſcipulis Ieroſolymis quinto ante paſsionem die propinquauit, & Bethphage ad Oliueti montem uenit, mittit duos ex eis, dicens: Ite in uicum qui contrà uos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullũ cum ea, ſoluitote, & mihi adducitote. Quod ſi quis uobis aliquid dixerit, dicetis: DOMINVS ijs opus habet. Igitur euntes Diſcipuli fecerũt ſicut præceperat eis Ieſus, aſinamq́; & pullum adduxerunt, & eis ueſtimenta ſuà impoſuerunt, et eum ſuper ea collocârunt. Atq; ita IESVS Ieroſolymam ingreſſus eſt. Matt. 21. Hoc nec fruſtrà, nec ideò à DOMINO factum eſſe arbitrabimur, quòd adeò de uia feſſus fuerit, ſed partim ut illud confieret uaticinium: Dicite filiæ Sionis, Ecce Rex tuus tibi uenit manſuetus, inſidens aſinæ, & pullo ſubiugalis filio. Zach. 9. Eſa. 2. partim ut huiuſmodi demonſtraret exemplo, ſe breui Diſcipulos per omnem amandaturum terram, ut ſibi Euangelij uoce Iudæos & Paganos adducerent, quos ipſe deinceps in cœleſtem traductos Ieroſolymam, ibi iuſtificaturus, ſuaq́ue gratia perfuſurus & ſibi ſubiecturus eſſet. Comprobat hanc interpretationem Cyrillus Commentario in Iohannem ſubſequentibus uerbis: Præceptum legis erat, ut decima Luna primi menſis Agnus ſiue hœdus in domo occluderetur, uſque ad Lunam decimamquartam

Agni Paſchalis myſterium.

eiusdem mensis, quando ad uesperam immolabatur. Vnde & uerus Agnus ex omni grege sine macula electus pro populi sanctificatione immolandus, ante quinque dies, id est, decima Luna Ierosolymam ascendit. Et appropinquante hora passionis, appropinquare uoluit & loco passionis, ut etiam per hoc clareſceret, quia non inuitus, sed sponte pro humani generis salute mortem pateretur. In asino autem uenire, & à turbis Rex appellari & laudari uoluit, ut etiam per hoc eruditus quisq; cognosceret, ipsum esse CHRISTVM, quem sic uenturum Prophetia olim præmissa signauerat. Sed & magnæ suæ humilitatis atq; mansuetudinis, hac aduentus sui in Ierosolymam specie nobis demonstrat exemplũ: Non enim sedet in aureo curru, preciosa purpura fulgens, neq; conscendit equum feruidum, amatorem discordię & litis, qui gloriæ iactantia pectus habet repletum, qui de longinquo odoratur bellum, & gaudet ad uocem tubæ, & cum sanguineam pugnam uiderit, dicit in suo corde, bene factum: sed insedit asello, tranquillitatis & pacis amico, oneris & laboris patientissimo. *Pulli & asinæ mysterium.* Designat autem pullus asinæ populum Gentium, nullo prius legis onere pressum, sed sine freno & habenis quocunq; ferebat animus, sese agentem. Huic DOMINVS insedit, quoniam Gentilẽ sibi populum sub Apostolorum prædicatione subiectum, suisq; mandatis obtemperantem reddidit. Et rectè alij Euangelistę de hoc pullo asinæ dicũt, neminem hominum super eo sedisse: quoniam Gentiles legem DOMINI non acceperãt, nec Prophetarum oracula, quibus ad submittendũ sua colla iugo Dominico inducerentur. Meminit autem et Matthæus asinam simul cum asello esse adductam DOMINO, perquam Iudæorum populus est intelligendus non indomitus ut Gentilis, sed iugo legis iampridem assuetus, & legalium Ceremoniarum oneri mancipatus.

tus. Super hãc quoq; DOMINVS Ierosolymã ueniens sedisse scribitur: quoniã & ex Iudæis cõplures collegit, qui in ipsum crediderunt, & eius disciplinæ frenũ, mandatorumq; habenas susceperunt, ut CHRISTVM tanquam insidentẽ suis cordibus piè et sedulò gustauerint.

CAP. XXIX.

טירה׃

Κώμη.

Castellum.



Vicus erat contra prædictam nomine uillam,
E socijs DOMINVS quo iubet ire duos:
Viq; ferant asinas mandat Saluator: at illi
Expediunt animo iussa uolente Dei.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



VICVS è regione Bethphage situs fuit, in cõpito ubi uiæ à porta Siloam & Gehennomi ualle descendentes in unum confluebant. *Vicus è regione Bethphage*

Cum IESVS, ut dudum auditum est, Betphagen uenisset, misit suorum Discipulorum duos, & eis (sic) dixit: Ite in uicum, qui contrà uos est, & statim in eum intrantes, inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, quem nemo unquam hominũ insedit: soluitote, & mihi adducitote. Quod si qs uos interroget: Cur soluitis? Sic ei dicetis: DOMINVS ijs opus habet, & statim ea huc dimittet. Igitur illi profecti (& asinam atq;) pullum foris ad portam in biuio inuenientes, soluerunt. Et eorum quidam, qui illic stabant, eis dixerũt: Quid facitis? cur (asinam &) pullum soluitis? Quibus illi dixerunt, quemadmodum mandauerat IESVS, atq; ita permittentibus illis, adduxerũt asinam & pullum ad IESVM, Matth. 21. Mar. 10. Luc. 19. Iohan. 12. Ex his gestis docemur, primò CHRISTVM uere omniscientem Deum præpotentemq; cunctarum rerum esse DOMINVM, cuius arbitrio omnia subiecta sint, quem certa amplecti fide, inprimisq; obseruare debeamus. Deinde, æternum eius atq; uiuum sermonem aduersarios quidem & contradictores multos in huius mundi compito habere, sed ideo tamen nec supprimi, nec infecta re, unde missus erat, redire posse, quin faciat quod DOMINO uisum fuerit, feliciterq; transigat quod obiturus erat. Tum autem ueros Christi apostolos decere, ut à sui DOMINI uoluntate usquequaq; pendeant, & quæ sibi mandata sint, accuratè exequantur, parum interim curantes, quid alij contrà uel sentiant uel moliantur.

Adducũtur Asina & pullus ad Iesum.

CAP.

CAP. XXX.

מעלה הזיתים.

Ἀνάβασις τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν.

Montis Oliuarum fuit hic aſcenſus, eadem
Ad tua deſcendis funera, CHRISTE, uia
Terga premẽs aſinæ, ſternuntur ab arbore frõdes
Vrbis fata ſimul fles inimica tuæ.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



AVDIENS Dauid filium Abſolomũ multitudinis animos ſibi conciliare, contraq; ſuum parentem coniurationem machinari, decreuit ultrà Iordanem in loca tutiora ſe recipere, conuocatisq; amicorum intimis, & collocutus cum eis de filij inſolentia, totum negotium iudici Deo committens, relinquit Regię cuſtodiam decem mulieribus concubinis, & Ieroſolymis excedit cum alia multitudine magna alacritate proſequẽte, tum præcipuè ſexcentorum cohorte, qui etiam regnante Saulo à fugitantis latere nuſquam diſceſſerant. Aſcendenti autem per cliuum Olíueti montis capite aperto, nudisq; pedibus ingredienti, ac ploranti, omnibus etiam qui eum comitabantur, tecta capita habẽtibus, & aſcendendo flentibus, renunciatum eſt Achitophelem quoq; inter coniuratos apud Abſolomum eſſe, quamobrem Dominica precatus eſt, ut omne Achitophelis conſiliũ, contra ſe Abſolomo cõmunicatum, facile efficeret. Quumq; in montis uerticem perueniſſet, reſpiciebat Ciuitatẽ, & cũ multis lachrymis nõ aliter q̃ regno eiectus precabatur: ibi obuiã fit ei Vir in amicitia

Abſolomi aduerſus Parentem cõiuratio.

Dauid ex Vrbe fugit.

Chusæus. constans, Chusæus Aechita, scissa ueste, & capite terra consperso, quem obnixè rogauit, ut in Vrbē ascendens, simulato Absolomi studio, eius secreta diligenter perscrutaretur, sibiq; renunciaret, Achitophelis etiam consilia nunquam non dissoluere conaretur. Deinde Dauid paululum prętergressus montis uerticem, obuium Siba. habuit Sibam Mephibosethi famulum, agentem pręse duos asinos, necessarijs ad uictum onustos, cui, quòd diceret se illa pro Regia familia adferre, Dominū autem suum Mephibosethum Ierosolymis hærere, Dauid omnes Mephibosethi facultates cōtulit, &c. 2. Reg. 15. 16. Ioseph. Antiq. 7. cap. 8.

Absolomi mysterium. Vide Eucherium ca. 2. Reg. 15. Esa. 9. Puer natus est nobis qui est Deus fortis, Pater æternitatis. Esa. 1.

Absolomus Patri suo bellum inferens, eumq; & regno & uita priuare instituens, figura Iudaici populi fuit, uerum Dauidem, suum nempe Creatorem, æternitatisq; Patrem, CHRISTVM IESVM in carne pręsentem nunquam non persequentis, tandemq; in mortis tradentis supplicium: iuxta illud eiusdem CHRISTI apud Esaiam uaticinium: Filios enutriui & exaltaui, qui in me præuaricati sunt. Israel (suum DOMINVM) nō nouit, meus populus nō intelligit. Væ Gēti peccatrici, populo iniquitate onusto, semini malefico, filijs corruptis, qui DOMINVM dereliquerunt, sanctū Israelis irritârunt, retrò recesserunt. At uelut Dauid à filij persecutione demum liberatus, regnoq; restitutus, Absolomus autem occisus est: Sic licet Iudęi CHRISTVM ad mortis usq; supplicium redegerint, & sepultum, ne resurgere, aut clàm à suis auferri posset, custodierint, tamen is & sua & Patris uirtute excitatus, spiritualium Israelitarum Rex unctus est, carnales uerò Iudæos, qui eum in se regnare nolebant, Romanis uexandos atq; iugulandos tradidit, quæ res tum Lucæ 19. parabolicæs indicatur, tum Psalm. 3. sub Dauidicæ precationis typo huiusmodi

modi deliniatur uerbis: O Domine quàm multi ſunt mei hoſtes? quàm multi in me inſurgunt. Quàm multi animæ meæ dicunt: Non eſt ipſi in Deo ſalus (poſita) Sela. Atqui tu, Domine, meus es clypeus, meaq; gloria, qui meum caput exaltas. Mea uoce Dominũ inclamabo, qui mihi è ſuæ ſanctitatis monte reſpondebit. Ego cubaui, ſoporatus ſum & expergefactus, quia Dominus me ſuffulcit. Non timebo uel decem populi millia, qui me circũcirca obſident. Exurge Domine, ſerua me mi Deus, qui meis omnibus hoſtibus malas feris, impiorũ dentes confringis. Domini eſt ſalus, ſuaq; is ſuum populum benedictione proſequitur. Denotat quoq; Abſolomi in Patrem bellum pugnã carnis aduerſus ſpiritum in quolibet Chriſti membro, de qua quidem pugna ſic Apoſtolus 7. ad Romanos cap. Scimus legem eſſe ſpiritualem, ego uerò (à natura) carnalis ſum, uenditus ſub peccatum: Quod enim ago (iuxta carnem) non agnoſco (ſed auerſor iuxta nouũ hominem) nõ enim quod (iuxta ſpiritũ) uolo, id ago (ob adhęrentis carnis uitioſitatem) ſed quod odi (ſpiritu) id facio (ex carnis malitia) Quod ſi quod nolo (quoad ſpiritum) id facio (ex carnis imbecillitate) Legem bonam eſſe conſentio, nũc nõ iam ego id perpetro (nam iuxta ſpiritum repugno) ſed habitans in me peccatum: Scio enim non habitare in me hoc eſt, in mea carne, bonũ: Nam uelle adeſt mihi, ſed quomodo bonum faciam, non inuenio: Non enim quod uolo (ſpiritu) facio bonum (carne) ſed quod nolo malum, id ago. Quod ſi quod nolo, ego id facio, non iam ego id perpetro, ſed habitãs in me peccatum. Itaq; reperio per legem mihi bonum facere uolenti malum mihi adiunctũ eſſe: Delector enim Dei lege ſecundum interiorem hominem, ſed aliam uideo legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & me captiuum reddentẽ legi peccati, quæ (lex) eſt in mem-

Vide Auguſt. in hunc Pſal.

bris meis. Miſer ego homo quis me ex huius mortis cor pore liberet? Ago Deo gratias per IESVM CHRISTVM DOMINVM noſtrum. Ergo ego idem mente quidē ſeruio Legi Dei, carne autem legi peccati. Et ad Galatas 5. Caro contra ſpiritum, & ſpiritus contra carnem concupiſcit, hæc autem (ita) ſunt inter ſe contraria, ut non quæ uelitis ea faciatis: At qui ſunt CHRISTI ij carnē cum affectibus & cupiditatibus crucifixerunt. Si ſpiritu uiuimus, etiam ſpiritu incedamus.

Ieſus aſinæ pullo inſidens, ingreditur Vrbem.

Vbi IESVS, aſinæ pullo inſidens, propè montis Oliuarum deſcenſum uenit, multi (ex turba quæ aderat) ueſtimentis ſuis uiam inſternebāt, alij abſciſſos ex arboribus ramos per uiam ſternebant, quiq́; præcedebant, quiq́; ſequebantur. Diſcipuli cœperunt Deum laudare magna uoce de omnibus quæ uiderant miraculis (per eum geſtis ita) dicentes: Hoſanna, benedictus ſit Rex, qui uenit in nomine Domini, pax in cœlo & gloria in ſupremis. At quidam Phariſæorum ex turba dixerunt ad eum: Magiſter increpa tuos Diſcipulos, quibus ille reſpondens, inquit: Hoc uobis dico, ſi taceant hi, clamaturos eſſe lapides. Deinde ut propiùs acceſsit uiſa Ciuitate, ſuper ea fleuit, dicens: O ſi ſcires tu, & quidem hac ipſa tua die, quæ ad pacem (forent) ſed nunc tuis oculis abſcondita ſunt: Veniet enim in te dies, cum te tui inimici uallo circundabunt, & circunſidebunt, & premēt undiq;, teq́; & tuos in te filios ſolo æquabunt, nec in te lapidem lapidi impoſitum relinquent: propterea quòd tempus tuæ uiſitationis nō cognoueris. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Iohan. 12. Vbi Theophilactus: Veſtimētorum ſubſtratus ſignificare uidetur, eos ueterem hominem cum concupiſcentijs atq; affectibus exutum, Chriſto ſubijcere oportere, qui & dignè eum laudabūt, & cum Propheta dicent: Subiectus fui Domino, eumq́; adoraui.

Hoſanna.

Ieſus deflet Ieroſolymam.

Veſtimentorū ſubſtratus.

ui. Cyrillus Rami palmarum significârunt uictoriam, qua DOMINVS mortem moriendo superaturus, suęque crucis trophęo de Diabolo, mortis principe, triumphaturus esset: Solent enim uictores palma uictrice coronari, & in Apocalypsi beati illi & sancti supernę Ierosolymę ciues, qui in hoc mundo aduersus spirituales hostes legitimè certauerũt, palmas manibus tenere describuntur. Hieronymus: Turbæ quæ præcedebant & quę sequebantur utrunq; ostenderunt populum, & qui ante Euangelium, & qui post Euangeliũ DOMINO crediderunt, consona IESVM confessionis uoce laudare. Porrò dictione illa Osanna significarunt aduentum CHRISTI non tantùm hominum, sed & totius mundi salutem fore, qui terrena cœlestibus iuncturus sit, ut ei omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Origenes: Non nego terrenam à DOMINO Ierosolymam, propter habitatorum scelera esse destructam, sed defletur & nostra Ciuitas, si à spiritibus nequam circundata, carnisq; libidinibus obsessa, priorem relinquat fidem.

Rami palmarum.

Turbæ præcedentes & sequentes.

Osanna.

CAP. XXXI.

גת שמני·

Χωρίον λεγόμενον γεθσημανῆ.

Gethſemane uilla.



Nomine Gethſemane locus hic memoratur, IE-
Diſcipulos iuſsit quo reſidere ſuos. (SVS
Ipſe ſed interea diuina uoce precatur,
Obruiturq; fero mitis ab hoſte Deus.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



HIERO. de locis, & in Marcum: Gethſemani locus ad radices mõtis Oliueti, uallem pinguedinum (ſeu torcularis) ſignificans, ubi Saluatorem (poſtquam ante ſuã paſſionem oraſſet) pingues tauri obſederũt, multiq; uituli circundederunt.

Habit

Habita ultima in Vrbe Cœna, cum iam suę passionis adesse tempus nosset IESVS, egressus est unà cum Discipulis trans torrentem Cedronem ad Olìueti montem, in uillam nomine Gethsemane, ubi hortus erat, in quem unà cum illis intrauit. Sciebat autem etiam Iudas eius proditor, locum, quòd eò IESVS frequenter cum Discipulis uenerat. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Iohan. 18. Vbi Cyrillus: CHRISTVS eò cum Discipulis uadit, ubi conuersari solebat, Quod facit ut facilius à proditore possit inueniri Hortus autem erat, Paradysi locum designans: ad pristina enim omnia recurrere oportebat: Et ut in Paradyso malorum initium factum est, sic in horto Christi passio incipit, per quam à malis liberati in pristinum habitum restituti sumus. Alcuinus: Transit torrentem DOMINVS, quia de torrente passionis bibit, ubi erat hortus, ut peccatũ, quod in horto commissum fuerat, in horto deleret: Paradysus enim hortus deliciarum interpretatur. Vbi igitur cum Vndecim ad hunc locum uenit, reliquos (octo) subsistere iubens, inquit: Sedete hic dum ego illuc ad precandum uado, tum assumptis unà secum Petro & Iacobo, & Iohanne, cœpit dolere atque angi, eisq; dixit: Mœsta est mea anima usq; ad mortem: Manete hic, & uigilate mecum, (tempus enim hoc non somnum postulat, sed uigilantem & intentam deprecationem) Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. DOMINVS tres illos assumit, qui suæ in monte Thabor claritatis spectatores fuerant, ut cùm gloriosa uiderint, uideant & tristia, edocti ab eodem & quid esset imitandum, & quid sperandum. De eius autem tristitia & dolore hæc Ambrosius super Lucam affert: Hęrent pleriq; hoc loco qui tristitiam Saluatoris ad argumentum inolitæ potius à principio, quam susceptę ad tempus infirmitatis inclinant, & naturalis sensum cupiunt retorquere sententiæ. Ego autem non solùm excusandum

Egreditur Iesus in Villam Gethsemané.

Tristis Christus.

non puto,ſed etiam nuſquam magis pietatem eius maieſtatemq; demiror: Minùs enim contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectũ. Ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret, & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meę infirmitatis afficitur: Suſcepit enim triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur, & ueſtigijs noſtris deſcendit uſq; ad mortis ærumnam, ut nos ſuis ueſtigijs reuocaret ad uitã. Confidenter ergo triſtitiã nomino, quia crucẽ prædico: Neque enim ſpeciẽ incarnationis ſuſcepit, ſed ueritatem: Debuit ergo & dolorem ſuſcipere, ut uinceret triſtitiã nõ excluderet: Neq; enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis uulnerũ tulerint quàm dolorem.

Oratio Christi. Tunc ab his fermè ad lapidis iactum digreſſus, humi in faciem procidit, & hunc in modum orat: Abba Pater, omnia tu potes, ſi fieri poteſt, aufer hoc à me (paſsionis) poculum: uerum non quod ego uolo, ſed quod tu. Matt.26. Mar.14. Luc.22. Auguſtinus ad Probam: Cum Mediator noſter dixiſſet: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, humanam in ſe uolũtatem ex hominis ſuſceptione transformans, continuò ſubiecit: uerum non quod ego uolo, ſed quod tu uis Pater. Vnde non immeritò per unius obedientiam iuſti conſtituuntur multi. *Rom.5.*

Dormiẽtes Diſcipuli. Deinde uenit ad Diſcipulos, et eos dormientes offendens dicit: Adeóne non potuiſtis unam horam uigilare mecum? Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem: ſpiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma. Matth. 26. Mar.14. Luc.22. Hieronymus: Impoſsibile eſt humanam animam non tentari, Ergo non ait: Vigilate, & orate, ne tentemini, ſed ne intretis in tentationem, hoc eſt, ne uos tentatio ſuperet, & uincat, & uos intra caſſes teneat. Theophylactus: DOMINVS dicit: Vigilate & orate, ut ne ueniatis in tentationem me abnegandi, ac ſi *Intrare in tentationem.*

ac si diceret: Spiritus quidẽ promptus est, ut me non abneget, & propterea etiã uos mihi hoc pollicemini, sed caro infirma est, & ita si non per orationem uirtutẽ dederit Deus carni periclitabimini.

Hylarius: Hoc: Spiritus promptus est nõ de se dicitur, sed de Discipulis, ad quos conuersus est sermo.

Deinde rursus oratum iuit, ita dicẽs: Mi Pater si non potest hoc à me trãsire poculum, quò minus id bibam, fiat tua uolũtas. Matth. 26. Hiero. Secundò orat, ut si (spiritualis) Niniue aliter saluari non potest, nisi aruerit cucurbita (ipso moriente) fiat uoluntas Patris, quæ non est contraria filij uoluntati, dicente ipso per Prophetã: ut facerem uoluntatem tuam Deus meus ueni. *Psal. 39.*

Deinde denuò ad Discipulos reuersus, eos rursum dormientes offendit: erant enim eorum oculi (ita) grauati, ut nescirent quid ei responderent (mœrore cõduplicante somnolentiam) Igitur relictis illis, iterum iuit oratum tertiò ijsdem uerbis: Matth. 26. Mar. 14. Hieronymus: Solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro uniuersis. Languescebant autem & opprimebantur Apostolorum oculi negatione uicina.

Apparuit autem ei Angelus de cœlo, qui eum corroboraret, Atq; ille, cum esset in angore, prolixiùs orabat, & factus est eius sudor ut sanguis guttæ ad terram decurrentes, Luc. 22. Hic uidere est, quomodo Christus ex ijs, quæ passus est, obedientiam didicerit, cumq; ei, qui sese seruare poterat, preces atque supplicationes ualido clamore ac lachrymis obtulisset, pro sua reuerentia sit exauditus. Hebr. 5. adueniente Angelo, qui eum confirmaret, iuxta illud Mosis in Cantico: Et cõfortent eum filij Dei.

Angelus Iesum confirmat.

Deinde tertiò uenit ad suos Discipulos, & dicit eis:

Dormite iam & requiescite (ac post paululũ) Satis est, uenit hora, ecce traditur filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus (obuiã persecutoribus) En qui me prodit aduentat, Matt.26. Mar.14. Hiero. postquam tertiò orauerat, securus de sua passione, pergit ad persecutores, & ultrò se interficiendũ præbet, dicitq; Discipulis: Surgite eamus: ac si diceret: Ne nos inueniant, quasi timentes et retrahentes, ultrò pergamus ad mortem.

Iudas cum cohorte. Et continuò, adhuc eo loquẽte, aduenit is, qui Iudas dicebatur, unus ex Duodecim, comitante multa turba, cum facibus ac lucernis, & armis à Pontificibus & Scribis, populiq; Senioribus (Ne uerò hi uel in persona errarent) dederat illis proditor signum, dicens: Quem osculatus fuero, is est (IESVS) eum comprehendite, & cautè abducite, ne elabatur. Matth.26. Mar.14. Luc.22. Ioh. 18. Cyrillus: Derisione digni, qui laternis & facib. aduersus Christũ proficiscebantur. Timebant forsan ne, ut in tenebris fieri solet, aut in foueas caderent, aut pedes ad lapides offenderent: nec uidebãt se in lapidem illidere, Esa.23. de quo à Deo Patre dicitur: Ecce ponam in Sion lapidẽ offensionis & petram scandali. Et paruam foueam formidantes, in profundũ abyssi delapsi sunt. Et illius noctis tenebras facibus depellentes, de noctis perpetuæ tenebris minimè curant: Non enim possunt, qui naturali lumini, id est, Christo insidiati sunt, nisi æternas tenebras habitare, ubi suę impietatis amaris nimium pœnis torquebuntur.

Tum IESVS omnia sibi euẽtura sciens (ut planè doceret se uolentẽ pati) processit (illis aduentantibus obuiam) & (ultrò percontans) inquit: Quem quæritis? Cui illi responderunt: IESVM Nazarenũ. (Et) IESVS eis (intrepida uoce) dicit: Ego (is) sum. Stabat autem Iesus uerbo hostes sternit. cum eis etiam Iudas. Vt ergo dixit IESVS, Ego (is) sum (illi) retrorsum abierunt, & humi ceciderunt. (Et ille) rursus

rursus eos interrogauit: Quem quæritis? Illi dixerũt: IESVM Nazarenum (Et) IESVS respondit: Dixi uobis (eum) me esse. Ergo si me quæritis (in me unum uobis facio potestatem, at) sinite hos abire (in quos uobis per me ius non est in præsentia, scilicet) ut sermo, quem dixerat, compleretur: Quos tu mihi dedisti, ego nullũ perdidi: Iohan. 18. Vbi Cyrillus: Dominus ut magnas militum cateruas nihil aduersus suam uirtutem posse monstraret, miti sermone in terram illos prostrauit. Hinc re ipsa discimus, nihil uel ad unum Verbũ Dei, & illud iucundissimè dictum, creaturam efficere posse: Quomodo igitur minas ferret? ut in Psalmis dicitur: Tu terribilis es, & quis tibi à tua ira resistet? Signum autem futuri Gentis Iudaicę casus, is ministrorum casus est. Vnde Ieremias quoq; Iudæos deflens, dicit: Cecidit domus Israel, non est qui excitabit eam. Imago etiam casus ille fuit omnium, qui CHRISTO aduersantur, quibus omninò terribilis casus imminet. Et Augustinus: Vbi nũc militum cohors, & ministri Principum ac Pharisæorum? Vbi terror et munimen armorum? Nempe una uox dicentis, Ego sum, tantam tubam odijs ferocem, armisq; terribilem, sine telo ullo percussit, repulit, strauit: Deus enim latebat in carne, & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis & facibus quæreretur, occidendus à tenebris: Ego sum dicit, & impios deijcit. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit?

Psal. 75.
Threno. 1.

Tum Iudas IESVM aggressus, dixit: Aue Rabbi, Rabbi, & (cum hoc dicto) eum deosculatus est. Cui IESVS dixit: Iuda, ad quid ades (tune) osculo Filium hominis prodis? Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. In Iuda perficitur Ioabi scelus, qui Amasam, sibi obuium factum, amicè salutans, dextera manu prehendit, quasi qui eum

Iudas osculo Iesum prodit.
Ioabus.
Amasa.

osculari uellet, at altera ensem eius ilijs incussit. 2. Reg. 20. In IESV autem splendidum mansuetudinis exemplar elucet, nec impium Discipulum ab osculo repellẽte, neq; ei suam exprobrante uesaniam, sed blando tantum eius conscientiam dicto tangente.

Videntes autem ij qui circà IESVM erant, quid futurum esset, dixerũt ei: Percutiemúsne gladio? Et Petrus (non expectans responsum) stricto, quem habebat, gladio percussit Pontificis seruum, eiq; dexteram abscidit auriculam: Ei seruo Malchus nomẽ erat. At IESVS Petro dixit: Conuerte gladium tuum in locum suum: Omnes enim qui gladium accipiunt, gladio peribunt (ultionis talione in ipsorũ caput recidente) An putas non posse me iam rogare Patrẽ meum, ut mihi plus quàm duodecim Angelorum legiones præbeat? Sed quomodo implerentur Scripturæ? (quæ testantur) sic fieri oportere? (Egóne ut) quod mihi poculum dedit Pater non bibam? (Hæc cũ dixisset IESVS) tetigit serui auriculam, eumq; sanauit, Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Iohan. 18. Noluit CHRISTVS persecutorũ fuso sanguine defendi, qui suo sanguine omnes homines redempturus erat, nec tum uenerat ad utendum sua in impios potestatẽ, sed ut suis patiẽtiæ pręberet exempla, hostibus autem, pro eorum malefactis, benignè faceret. Hic prætere a in Magistro patiente & Discipulo percutiente carnis ac spiritus licebit contemplari affectus. Caro multa sibijpsi arrogans, uehemẽti rem impetu aggreditur, sed iste feruor nec bonus est, nec perdurat, quippè qui ex Deo non oriatur. Contrà Spiritus pedetentim incedit, ac licet primò aliquid horreat atq; timeat, tamẽ in progressu fortis redditur, et summa tolerãtia extrema quęque sustinet. Quòd uerò DOMINVS ait, eos qui gladium accipiant, gladio perire, de ijs loquitur, qui seipsos priuata

Auricula Malcho abscissa.

Genes. 9. Apoc. 13.

Ambrosij uerba 3. Offi. c. 4.

Caro.

Spiritus.

Gladium accipere.

priuata uindicta ulcisci uolunt, nō de Magistratu, à Deo instituto, ut gladium, ceu publicus Dei minister, gestet, ad irrogandas pœnas ijs qui malefaciunt. Rom. 13.

Tum cohors & Tribunus Iudæorumq; ministri IESVM comprehenderunt, uinctumq; ad Annam primū adduxerunt. Matsh. 26. Mar. 14. Luc. 22. Iohan. 18. Presente scilicet constituta hora DOMINVS se uinciri & cōstringi sinit, quem nostri dilectio iam ante arctisimè ligârat, ut nos peccati Sathanæq; uinculis eriperet, dicturos cum Ieremia: Narium nostrorum spiritus DOMINI CHRISTVS captus est istorum retibus, cuius nos in umbra inter Gentes uiuemus. Et cū Dauide: Tu Domine mea dirupisti uincula, tibi laudis hostiam sacrificabo, Dominiq; nomen inuocabo. *Iesus uincitur.* *Thre. 4.* *Psal. 115.*

Ea hora dixit IESVS ijs qui se inuaserant: Vos quasi ad Latronē exijstis cum gladijs & fustibus, ad me comprehendendum: cùm quotidie sederem apud uos docens in Templo, non iniecistis mihi manus: sed hæc uestra est hora, tenebrarūq; potestas, & fieri oportet quæ scripta sunt Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Hieronymus, Quasi DOMINVS diceret: Stultum est eum cum gladijs & fustibus quærere, qui ultrò se tradit uestris manibus, & in nocte quasi latitantem, & à uestris oculis declinantem per Proditorem inuestigare, qui quotidie in Templo doceat: Sed ideo aduersum me in tenebris cōgregamini, quia potestas uestra in tenebris est.

Tunc Discipuli omnes DOMINO relicto fugerunt, cumq; adolescens quidam eum sequeretur, sindone nudum corpus indutus, adolescentes eum comprehenderunt, at ille relicta syndone, nudus ab eis effugit, Matth. 26. Mar. 14. Hic perfecta sunt uaticinia quæ sic habent: *Discipuli aufugiunt.*

Psal. 88. Effecisti ut mei amici & proximi procul à me sint, notiq; mei in tenebris delitescant. Zacha. 8. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Iohan. 16. IESVS respondit eis: Ecce instat hora, & iam aduenit, cum quisq; ad sua dispergimini, & me solũ relinquetis.

CAP. XXXII.

מימי מיז המקדש·

Ὕδατα ἐκ τῶν ἁγίων.

Aqua ex Sanctuario.

Petra Domus DOMINI cui stabat nixa, perennem
Fundebat prisco tempore fontis aquam:
Hæc sunt dona Dei, quæ Spiritus ipse sacrato
Corpore de CHRISTI distribuisse solet.

HISTORIA.

Aquarũ Templi descriptio.



QVA Templi subterraneis educta canalibus quarto ab Vrbe stadio ad orientem magno efferuescebat stridore, de qua sub spiritualis fluuij typo sic Ezechiel: Vir ille reduxit me ad ostium Domus, & ecce aquæ egrediebantur sub Domus limine ortum uersus: nam Templi facies Ortũ spectabat, quæ aquæ sub Domus latere dextero descendebant ad meridionalem altaris partem. Et egressus Vir ad Orientẽ, habens in manu funiculum & mille dimensus cubitos, traduxit me per aquas, quæ (aquæ) ad talos pertingebant. Deinde mẽsus (alios) mille cubitos, traduxit me per aquas, quę usq; ad genua pertingebant, & porrò mille mensus, traduxit me per aquas, quæ ad femora pertingebant, utq;

item

item mensus esset mille, torrens erat, quem transire nõ possem, &c. Et Aristæas Historia de LXXII. interpreti bus: Templum spectat ad ortum, posterioribus eius ad occasum tendentibus, & pauimentum totum est lapide constratũ, tractusq; habet aquę immittendæ ad loca certa, quæ immittitur ad abluendum sanguinẽ hostiarum: quia in solennibus festis multa millia iumẽtorum offeruntur. Aquæ uerò confluxus nunquam deficit: & quia fons intrinsecus magnus naturalem, & eam perennem scaturiginem habet, & quia subtus terrã sunt mira & inenarrabili arte, aquarum receptacula, confecta per quinq; stadia, quemadmodum apparebat, undiquaquè circum Templum, quorum singula habent fistulas infinitas, utrinq; in se inuicem emittentes fluxus: atque hęc omnia in imo & à lateribus plumbo sunt obducta, & multa terra accuratè cooperta. Sunt pręterea multa ostia in fundo & basi, quæ nemo cernere potest, pręter illos quibus ministerium est commissum: per hęc impetu & effluxu supermissæ aquæ, sanguis quantumuis copiosus, à uictimis collectus, abluitur & expurgatur. Exponam etiam, quomodo ipse istorũ receptaculorũ molem & structuram, ex singulari beneuolentia monstratam, cognoui: Nam abduxerunt me ex Ciuitate ultrà quatuor stadia, & iussit me unus capite ad locum quendam inclinato auscultare sonum, quem aquarum concursus ęderet. Hinc apertè cognoui magnitudinem uasorum Templi (quæ aquas illas continerent.)

Templi situs.

Hostiæ.

Fons perennis in Templo.

INTERPRETATIO.

SI uelo sublato spiritualis libeat Templi aquas cõtemplari, in promptu sunt diuinæ scripturæ testimonia, quæ sic habent: Ioel. 3. Die illa Domini stillabunt montes mustum, collesq; lacte manabunt, & fons ex Domi-

Spirituales aquæ.

ni Templo egredietur, qui Cedrorum uallē adaquet. Zachar.14. Illa effluent uiuæ aquæ Ierosolymis. Psal.36. Tuę Domus ubertate inebriabuntur, Eos tu tui torrente Edenis potabis: nam apud te est uitæ fons.

C A P. XXXIII.

נחל קדרון·

χείμαῤῥος τῶν κέδρων.

Torrens Cedron.

Hic tibi Torrentis descriptio plana notatur.
Cedron, qui rapidis undiq; crescit aquis,
Ingrediuntur eum uarijs de montibus undæ,
Scilicet inferni flumina uasta refert.

HISTORIA.

Cedron torrēs & uallis eodē nomine.



NTER Vrbem & Oliuarum montem lata atque profunda uallis erat, quà rapidus quidam torrēs, ex pluuijs natus aquis, magno transibat impetu: Iosep. de Bello libr. 6. cap.3. Mons Elæon ab ortu, alta interiacente ualle, cui nomen est Cedron, discernitur. Hieron. de Locis: Cedron appellatur Torrens & uallis iuxta Ierusalem ad orientalem plagam. 2. Reg.15. Dauid (fugiēs præ filio) torrentem Cedronem transiuit, omnisq; cū eo populus, magno cum ploratu uiam ad desertum ducentem prætereūtes. 3. Reg.2. Salomon euocato Semei dixit: Domum tibi Ierosolymis ædifica, in qua habites, neue inde huc aut illuc egrediaris: quacūq; autem die exieris & torrentem Cedronem transiueris, scito te esse interficiendum, tuumq; sanguinem in tuo futurum capite.

Ioseph. antiq. 8. cap.1.

capite.3.Reg.15.2. Para.15. Aſa Rex Maacham matrẽ ſuam imperio abdicauit,quòd ea in luco Miplatſabi ſimulachrum fecerat,quem matris Miplatſabum excidit,& apud torrentem Cedronem exuſsit. 4. Reg. 23. 2. Par. 29.Præcepit Ioſias Helkiæ Pontifici & Secundarijs Sacerdotibus liminisq́; cuſtodibus ut efferrent ex Domini Templo omnia uaſa Baali & uniuerſæ cœli militiæ facta,eaq́; extra Ieroſolymam in Cedrone conualle cõbuſsit. Ac ſtatim: Lucum quoq; ex Domini Templo extra Ieroſolymam ad torrentem Cedronem eiectum, apud torrẽtem cremauit. Et deinceps: Altaria in tecto Cœnaculi Achazi conſtituta, à Iudææ Regibus facta, tum quæ Menaſſes in duobus Templi Domini atrijs fecerat,deſtruxit Rex, eorumq́; puluerem illinc proiectũ cucurrit in torrentem Cedronem.2. Par.30. Congregati ſub Hiskia Ieroſolymam homines,deſtruxerunt(Deaſtrorum) altaria, quæ erant Ieroſolymæ, & in torrentem Cedronẽ proiecerunt. Iere. 31. Aedificabitur Vrbs uſq; ad torrentem Cedronem.Iohan.18. IESVS egreſſus eſt unà cum Diſcipulis trans torrẽtem Cedronem.

Hieron. Aiũt Aſam comminuiſſe ſimulachrum (Miplatſabi, id eſt)Priapi & clã noluiſſe proijcere, quod Dominus ut patefaceret,in torrẽte Cedron ex aqua ignis proceſsit.

CAP. XXXIIII.

ברכה השלח׃

Κολυμβήθρα τοῦ σιλωᾶμ·

Siloa colymbethra.

De montis fluuius Sion radicibus exit,
  In Cedron leni qui meat inde ſono,
Hic olim Cæcus (CHRISTO mandante) lauabat
  Lumina: de CHRISTO uiua reſultat aqua.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.

Fontis Siloæ descriptio.



IERONYMVS in 8. Esa. cap. Siloam fontem esse ad radices montis Sion, qui nō iugibus aquis, sed incertis horis diebusq; ebulliat: & per terrarum cōcaua & antra saxi durissimi cum magno strepitu ueniat, dubitare nō possumus: nos prę sertim qui in hac habitamus prouincia. Ioseph. De Bello lib. 6. cap. 7. Scitis ante aduentum Titi, & Siloam & omnes extra Ciuitatem fontes adeò defecisse, ut ad utrumq; aqua mercaretur: nunc autem ita hostibus nostris largi sunt, ut non modo ipsis & iumentis eorum, sed etiam hortis sufficiant.

Nehemias Siloam generaliter fontem, item fontem Regis & Seloam nominat: Cap. 2. Perueni ad portã fontis, & ad Regium fontem: ubi meo iumento, cui insidebam, locus ad transeundum deerat. Cap. 3. Portam fontis refecit Sallumus Colhoziæ filius, Mispensis tractus Princeps, is (dico) eam ędificauit ac operuit, eiusq; ostia, seras, repagula fixit, itemq; murum piscinæ Seloæ.

Esaiæ octauo capite, tranquillum & moderatum Dauidis regnum Siloæ aquis, placidè fluentibus comparatur, in qua comparatione mysticè placida in nostri Dauidis regno doctrina intelligitur, id quod ex subiectis patebit: Quoniam hic populus reiecit aquas Siloæ, quæ placidè fluunt, & Rasine atque Romeliæ filio delectatur, idcircò Dominus eis adducet aquas fluuij uehementes & abundantes, (uidelicet) Assyriorum Regem cum omni sua potentia, qui superatis omnibus suis alueis, omnesq; ripas supergressus, exundabit per Iudæam. Vbi Hieronymus. Simplex horum uerbo-

uerborum ſenſus eſt: Quia populus decem tribuũ magis uoluit Raſin & filio Romeliæ, id eſt, Damaſci & Samariæ Regibus eſſe ſubiectus, quàm ſtirpi Dauid, quæ meo cœpit regnare iudicio, faciam eum nequaquã his Regibus quos aſſumpſit, ſed Regi ſeruire Aſſyrio: cuius potentia occupantis terram Samariæ, inundationi fluminis comparatur. Iuxta Anagogen omnis qui iunxerit auxilio ſuo ſecularem ſapientiam, & Ieruſalem, id eſt Eccleſiam uoluerit oppugnare, derelinquens aquas Siloę fontis, qui interpretatur miſſus, & qui ſalit in uitam æternam, tradetur Aſſyriorum Principi, cuius traditus poteſtati in profundum ueniet peccatorum: tantæ eſt enim is arrogantiæ, ut auſus ſit oſtendere Saluatori uniuerſa regna terræ & dicere: Hæc omnia mihi tradita ſunt. Conabitur quoq; Iudam, id eſt, domum confeſsionis intrare, & crebrò per eos qui in eccleſia negligentes ſunt, uſque ad collum ueniet, credentes in CHRISTO cupiens ſuffocare, & extendet alas ſuas, implens uniuerſam regionem Emmanuelis, ſed non poterit obtinere, quia habet Iudas pręſentem Deum. Epiphanius: Aqua Siloam myſticè eſt doctrina eius, qui miſſus eſt. Quis autem hic alius fuerit, quam DOMINVS noſter IESVS CHRISTVS à Deo Patre miſſus? Placidè autem procedit, eò quòd nihil inane, nihil confictum, ſed in ueritate ſanctam ſuam Sponſam docet, quæ ab ipſo columba propter innocentiam & manſuetudinẽ ac puriſsimam uitam in Canticis Salomonis appellatur: perfecta uerò propterea quòd perfectam ex Deo accepit gratiam ac ſcientiam à Saluatore per Spiritum ſanctum.

Iohannis 9. Præteriens IESVS (ut) uidit hominem à natiuitate cæcum, expuit humi, & ex ſputo lutum fecit, quod lutum ſuper cæci oculos illiuit, eique (ita) dixit: Vade laua in piſcina Siloa, quod uerbum ſi inter- *Ieſus cæcũ natum ſanat.*

preteris ſonat: Miſſus, Atq; ille abijt, & lauit uenitque uidens. Vbi Cyrillus: Qui maiores ſubſtantias de nihilo adeſſe produxit, multò magis nouos in cœco oculos ſi-
Geneſ.2. ne materia feciſſet, Sed uoluit hac luti compoſitione & linitione ſuper oculos, docere ſeipſum eſſe Creatorem, qui in principio uſus eſt luto, ad hominis formationē. Ideò autem non aqua utitur ad lutum faciendũ, ſed ſputo, ut nihil aſcribatur fonti: ſed diſcas quoniam uirtus oris eius oculos aperuit cœci, & plaſmauit. Et deinde ut non uideatur cuiquam ex uirtute terrę eſſe curatio, iuſſit oculos lauari: non tamen ilico, & eo in loco ablui eũ uoluit, ſed ad Siloe miſit, ut cum multos cõtingeret exinde eum uidere euntem ad piſcinam, & lutum ſuper oculos habentem, pluribus manifeſta fieret eius illuminatio & noua uiſus reſtitutio. Neq; ipſi fonti Siloe aſcribenda erat hæc curationis gloria, (multi enim lauantes ibi oculos, nullo tali beneficio ſunt potiti,) ſed ſoli CHRISTO, cuius quidem diuina & efficax uirtus erat ad fontē Siloe, quæ omnia operabatur. Et propter hoc interpretationem nominis Siloe Euangeliſta adiecit, dicens: quod interpretatur miſſus: ut doceat, quoniam & illic CHRISTVS (qui uerè eſt Siloe ſpiritualis, & ad ſalutem hominũ miſſus) eum curauerit: Sicut enim Apo-
2.Cor.10. ſtolus dicit, quod petra erat CHRISTVS: ita & Siloe ſpiritualis erat, tum quod fons uberrimus, aquam ſalutis in totum mũdum deriuans, tum quod miſſus à Deo Patre ad illuminandos eos qui in tenebris & in umbra
Luc.1. mortis ſedebãt: Cuius quidem teſtimonium perhibet Iacob, prophetico ſpiritu futura prænuncians, cum in-
Geneſ.49. quit: Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de eius femore, donec ueniat qui mittendus eſt, ubi Hebraica litera habet dictionem Silo, CHRISTVM ibidem inſinuãs, qui peculiari quadam ratione, & Verbum Patris, miſſus eſt ad nos. Demum quanta fuerit cæci fides, uel

ex

ex ipsa Euangelij litera facilè est contueri: Non enim cõtradixit uerbis DOMINI, neq; cogitauit apud seipsum: lutum solet magis excæcare oculos, quid igitur lutum mihi superposuit? Sæpenumero laui oculos in Siloe, & in nullo sum adiutus: si quam ipse curandi uirtutem haberet, præsens utiq; me curasset. Non hæc aut similia animo secum uolutauit: sed simpliciter obediuit, & beneficiũ curationis ex fidei firmitate & obediẽdi promptitudine consequutus est. At uerò, quia miracula nostri Redemptoris ita iuxta literam facta creduntur, ut mysticè considerata aliquid innuant nobis faciendum aut credendum: age quid hæc cæci curatio spiritualiter insinuet, altius inuestigemus. Sanè per illuminationem huius cæci significabatur illuminatio generis humani: quandoquidem cæcus iste genus humanum designat, quod in primo parente obcæcatum est, quia ex illo traximus omnes, non solum originem mortis, sed etiam iniquitatis: Per unum enim hominẽ mors, & per unum hominem peccatum intrauit in mũdum: & per peccatum mors, quæ in omnes homines pertransijt. Et bene non solum cæcus, sed etiam cæcus à natiuitate dicitur: quia omnes homines (excepto illo, qui de Virgine natus est) cum peccato originali nascimur, & grauissima cæcitate depressi, in mundum uenimus: quam quidem cæcitatem de radice primi parentis cõtraximus. Qui bene uidens conditus fuerat, sed Diabolicis persuasionibus obtemperando cæcitatem incurrerat, quam in omnes suos posteros transmisit. De peccati cæcitate loquitur Propheta: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Et Paulus ad Roman. omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Porrò præteriens DOMINVS uidit cæcũ: non enim stans, sed præteriẽs uidit: quia in similitudine carnis apparuit. Sed in uia peccatorum non stetit: quia pec

Quid cæcus à Christo illuminatus mysticè designarit.

Rom. 5.

Psal. 51.

Rom. 3.

Psal. 1.

catum non fecit, nec inuẽtus est dolus in eius ore. Hinc
Luc.10. est quod secundum alterius loci parabolam, Samaritanus secus saucium uenit: Quod enim ibi per saucium, hoc significatur hic per cæcum. Et quod ibi dicitur, uenit: hic, præterijt. Venit ergo DOMINVS secus saucium, & præteriens uidit cæcum: quia appropinquauit uiæ immortalitatis nostræ, non tamen fixit uestigium in uiæ peccatorum: Venit enim ut cæcitatem peccatorum nostrorum tolleret, non ut eam susciperet. Hęc er-
Iohan.5. go opera Patris se dicebat oportere operari: quia uenerat quærere perdita, restaurare corrupta. Sed nec ipsa sui nouitate stupenda, & mirabilis cæci curatio, magna uacare mysterio putanda est. Expuens quippè DOMI-
1. Cor. 11. NVS in terram, fecit lutum, & oculos cęci inunxit. Sputum quidem quòd à capite in os defluit, diuinitatem CHRISTI significat, quia caput CHRISTI, Deus. Et
Eccles.24. ętерna Sapientia apud Ecclesiasticum loquitur: Ego ex ore Altissimi prodiui, Primogenita ante omnem Crea-
Sap.7. turam. Et Salomon de ipsa: Vapor est enim uirtutis Dei & emanatio quædam maiestatis eius syncera. Lutũ uerò de terra, sacratissima Christi caro est, de sacrosancta
Psal.84. uirgine sumpta, ut ait Psalmus: Veritas de terra orta est.
Esa.53. Similiter Esaias: Et ascendet sicut uirgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Expuens ergo in terram, lutum fecit: quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Inunctus autem cæcus nondum uidet, donec ueniat in natatoriam Siloe, quod interpretatur missus. Non caret (ut paulò antè diximus, & repetere non piget) mysterio, quod Euangelista huius nominis posuerit interpretationẽ, quod (inquiens) interpretatur mis-
Iohan.8. sus: Quis enim præcipuè missus, nisi ille qui sæpius dicit: Nõ ueni à meipso, sed à Patre missus sum: Christus enim uere est missus, quia & antè ꝓmissus, & post multos testes priùs missos, tandem nobis exhibitus. Piscina ergo

August. nisi Christus fuisset missus nemo nostrũ esset ab iniquitate dimissus.

ergo illa, baptiſmus eſt CHRISTI (ſpiritu & igne conſtans) Lauit cæcus in piſcina Siloe, quod interpretatur miſſus, et illuminatus eſt, quia in CHRISTO baptizati, illuminantur omnes, &c. Hæc ille.

Beda: Christus mittit cæcum ad piſcinam Siloam hoc eſt, baptizauit illũ in ſeipſo, & tunc illuminauit.

CAP. XXXV.

מגדל בשילה·

πύργος ἐμ τῷ σιλωὰμ.

Turris in Siloa.

Ad fontem Turris fuerat fabricata Siloa,
Quę turris CHRISTI robora celſa notat.
Iacta ſuper CHRISTVM ſunt fundamẽta ſalutis
Aeternæ: lapis hic tempus in omne manet.

HISTORIA.



AD fontem Siloam turris quædam conſtitit, quã Siloæ ſcaturigini uice caſtelli fuiſſe apparet, cuius CHRISTVS 13. apud Lucam cap. his commeminit uerbis: An illos decem & octo, ſuper quos delapſa eſt turris in Siloa, eosq; occidit, fuiſſe putatis præ omnibus hominibus Ieroſolymam incolentibus debitores? nequaquàm dico uobis, ſed uos niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

Turris in Siloa.

INTERPRETATIO.

BEda: Iſti Ieroſolomitæ à ruina turris oppreſsi ſignificãt Iudęos, q pœnitere noluerũt, cũ ſuis mœnib. eſſe pituros: Nec fruſtra decẽ & octo ponũtur, q numerus

apud Hebræos ex י & ח uel iotha & heth exprimitur, hoc eſt, ex iiſdem literis, quibus nomen IESV incipit. Significat autem Iudæos hinc maximè perituros, qui nomen Saluatoris recipere noluerint. Illa turris eum denotat qui eſt turris fortitudinis: Quæ meritò in Siloa, quia Siloa, quod interpretatur miſſus, ſignificat eum, qui miſſus à Patre, uenit in mũdum, quia omnes ſuper quos ceciderit, conteret.

CAP. XXXVI.

עין התנין·

πυγὴ τοῦ δράκοντος.

Fons Draconis.

Vnus adhuc fons eſt, qui nomina ſæua Draconis.
Obtinet: infectas is tibi monſtras aquas,
Quas haurire ſolet Sathanæ miſerabile uulgus.
Tu uitæ fontẽ, CHRISTE redemptor, habes.

HISTORIA.



EHEMIAS 2. ſui libelli ca. de ſeipſo ita ſcribit: Ego noctu per portam uallis egreſſus ſum, & fontem Draconis pretergreſſus, ad Sterquilinij portam perueni, & dirutos Ieroſolymæ muros portasq; igne conſumptas contemplatus redij ad portam uallis, & per eam ingreſſus ſum.

CAP. XXVII.

עמק יהושפט·

Κοιλὰς τῆς κρίσεως.

Vallis Iudicij.



Hac in ualle Deus iustißimus arbiter olim
Debita pro meritis præmia cuiq; dabit,
Quotquot & à primi uixerunt temporis Ortu,
Surgent Angelicis ossa sepulta tubis.

HISTORIA CVM INTERPRETATIONE.



HIERONYMVS in Ioelē: Vallis Iosaphat sita est ad Orientalem partē Templi. Beda in Nehemiam: Vallis Iosaphat ad Orientalem plagam Ciuitas est, per quam torrens Cedron pluuijs uel niuibus auctus, à Septentrionali in australem plagam defluit. Vallis Iosaphati situs.

Ioelis 3. de hac ualle sic dicitur: Excitabũtur & ascendent Gentes in uallem Iosaphati: nam ibi sedebo ad iudicãdum Gentes omnes in circuitu. Immittite falcem, maturuit enim messis, uenite, descendite: nam impletum est torcular, redundant torcularia, siquidem ingẽs est eorum malitia. Turbę turbę in ualle diuisionis: nam propinquat DOMINI dies in ualle diuisionis. Sol et Luna obscurabuntur, & stellæ splendorem suũ amittent, & DOMINVS ex Sione rugiet, ex Ierosolyma uocem suam dabit. Et commouebuntur cœlum atque terra: tum erit DOMINVS sui populi spes, filiorum Israelis fortitudo, scietisq́; me esse Dominum Deum uestrum. Ex his uerbis quidam colligũt extremum Iudicium in

Iosaphat quid

ualle Iosaphati futurum, quod & nominis notio indicare uidetur: Iosaphatus enim ad uerbũ est Dominus iudicabit, uel Dominus iudex est: aut Domini iudicium. Quale autem Domini futurum sit iudicium, id non solum Matt. 23. expressis declaratur uerbis, sed & alijs Noui Testamenti plerisq́; locis, ut Matth. 16. Futurum est est ut Filius hominis ueniat in sui Patris gloria cum suis Angelis, & tum unicuiq́; secundum eius opera reddet. Roman. 14. Omnes ad CHRISTI tribunal statuemur (&) nostrum quisq; rationem de seipso reddet Deo. 2. Cor. 5. Nos omnes manifestari oportet antè CHRISTI tribunal, ut ferat quisq; prout (se) gessit, siue bonum siue malum. 2. Petr. 3. Veniet DOMINI dies ut fur in nocte, in qua cœli procellæ in morem, transibunt, elemẽta uerò ardentia dissoluentur, & terra, et quæ sunt in ea opera, exurentur. Apoca. 20. Vidi thronum candidum magnum, & quẽdam in eo sedentem, à cuius cõspectu terra cœlumq́; fugit, nec locus eis inuentus est. Et uidi mortuos, pusillos (iuxta) ac magnos in Dei conspectu astantes, apertiq́; sunt libri, & alius liber apertus est, qui est uitæ (liber) & iudicati sunt mortui ex ijs quæ in libris

bris ſcripta erant, ſecundum eorum opera: Reddiditq; mare qui in eo erant mortuos, & Mors & infernus red diderunt qui in ipſis erant mortuos: de quibus ſingulis ſecundum eorum opera iudicatũ eſt. Mors autem & in fernus conie cti ſunt in ignis ſtagnum. Hæc eſt ſecunda mors. Quod ſi quis in uitæ Libro ſcriptus inuentus non eſt, is in ignis ſtagnum coniectus eſt.

FINIS PRIMI TOMI.

ERRATA QVAEDAM INTER *excudendum admiſſa.*

Pagina 31. *uerſu* 24. lege *hæreditatis.* *Pa.*33.*uer.*pro *habet, erit.* *Pa.*38.*uer.*18.dele *ut,* & pro *agamus, dirigamus* lege *agemus dirigemus.* *Pa.*46.*uer.*21.lege, *obſtinatos.* *Pa.*50.*uer.*18.lege, *datos eſſe* Apoſt. Pag.51.*uer.*7.lege, *teſtificata eſt dicens.* Pag.6.*uer.*11.lege, *iudiciaria.* *Pa.*102.*uer.*pro Epiſcopis lege Prophetas. Pag.105.*uer.*2.pro *ſalusq́; cõparari poſſet* lege, *ſalutemq́; cõparari poſſe.* Pag.108.*uer.*16.lege, νομοδιδάσκαλοι. *Pa.*130.*uer.*14.lege, *congenulantes.* Pag.161.*uer.*penult.lege, *linguis in* Libani. *Pa.*170.*uer.*22.dele *hæc uerba:* Hæc porta Ieremiæ 26. & 36. *noua appellatur.* *Pa.*235.*uer.*22.lege, Iudæis. *Pa.*294.*uer.*11.lege, *uero* Ieſu. *Pa.* 305. 306. lege pro *eiuſmodi modo, eiuſmodi ratione.* Pag.325.*uer.*18.pro Iudæis Iudæi. Pag. 339. *uer.* 1. pro *te, ſe.* Pag.410.*uer.*27.& 31. dele *illud* & *ille.* *Reliqua minutiora, intelligens Lector emẽdabit.*

LOCORVM SCRIPTVRAE S. QVI IN HAC IEROSOLYMAE TOPOGRAPHIA EXPLICANtur & explananntur,

Index.

Psal.18

sub cœ-

erant

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN HAC HIEROSOLYMAE DEscriptione Index.

B.

H.

I.

Iudæi Ze=

N.

O.

P.

T.

V.

Vasa

X.

Z.

FINIS.

GRAECORVM VOCABVLORVM IN HOC VOLVMINE Index.

A.

B.

Γ.

Δ.

πύργος

INDEX.

FINIS.

Nota, Y 4. Pag. 259. linea 32. pro sui legendum nostri.

FRANCOFVRTI AD MOENVM, PER
GEORGIVM CORVINVM, SIGISMVNDVM
Feirabent, & Hæredes Vuigandi Galli.